
Digitized by Google

10
5-E
11

10
6 K
17

Digitized by Google

Digitized by Google



Io. Ant.us Barigionus Inu: et delin:

Arnoldus Van Weſterhout ſculp. Romæ Sup. perm.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE

Digitized by Google

CHRONICON
TRAGICUM
SIVE
DE EVENTIBUS TRAGICIS

Principum, Tyrannorum, Virorumque fama vel nobilitate illuſtrium. A primo in Orbe Terrarum Monarcha vſque ad XVII. Seculum Chriſti.

LIBER SINGULARIS

Hiſtoricè, & Chronologicè deſcriptus

A D. CAROLO JOSEPH IMBONATO MEDIOLANENSI
Congr. S. Bernardi Ord. Ciſtercienſis S. T. & L. S. P.

OPVS Principibus, Politicis, Hiſtoricis, & Concionatoribus non tam utile quàm neceſſarium.

Vos ego nunc moneo felix quicumque dolore
Alterius diſces poſſe carere tuo. Tibull. 3. 6.

PRÆMITTITVR

Paræneſis ad Principes Veritatis amatores.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

ROMÆ, Typis Hæredum Corbelletti. MDCXCVI.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

EMIN.MO, ET REV.MO D. D.

CŒLESTINO SFONDRATO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

Ex Sanctiſſimi P. Noſtri Benedicti Ordine aſſumpto.

D. Carolus Ioſeph Imbonatus S. Bernardi Monachus

FELICITATEM PERENNEM.

PLAUDIT U*rbs, gratulatur Orbis de in Te collata dignitate E. P. Impatiens ſuſpirabat renaſci piorum Auorum Tuorum memoriam,* FRANCISCI *videlicet* SFONDRATI *illius* JOAN-

Digitized by Google

nis Baptistæ *filij*, *antiquæ ſtirpis claritate nobilis, qui Senator & Conſiliarius* Ludovico Sfortiæ *valdè charus fuit, ob multas Legationes, quas iuſſu ipſius obijt ad omnes, & Reges, & illuſtres Reſpublicas. Quas virtutes, quas animi dotes, quos honores in magnanimo hoc Viro* Francisco *quis deſiderare poteſt? Duplicem gladium habuit, unum quo ſecularem poteſtatem, ſecularis; alterum quo Eccleſiaſticam, Eccleſiaſticus, defenderet. In utroque inuincibilis. Hic Comes Littoris Larij ad Orientem vergentis, Baroque Aſſinæ vallis ob egregiam fidem, prudentiamque in Republica adminiſtranda, & admirabilem Juris intelligentiam,* à Carolo *Allobrogum Duce Senator illic creatus eſt. Poſteaque* à Franciſco II. *Inſubrum Duce in Ordinem Senatorium Mediolani adſcriptus, in ea dignitate à* Carolo V. *Imperatore, cùm in ipſius ditionem Civitas rediſſet, retentus fuit, auctusque Conſiliarij gradu; mortua verò uxore* Anna Vicecomite *lectiſſima fœmina, ab eodem ſumma cum poteſtate Senas miſſus eſt, vt eorum Rempublicam diſcordijs vexatam, conſilio ſuo regeret: à quibus ob egregia ipſius merita, & Civitate donatus eſt, &* Pater Patriæ *appellatus. Poſteà Romam à* Paulo III. *Pont. Max. evocatus, in Germaniam Nuncium direxit primò ad Conventum Spirenſem, deindè ad* Carolum V. *ut nomine Pontificis de pace cum* Franciſco *Galliarum Rege peracta gratularetur. Ibidem dum moraretur, Presbyterum Cardi-*

nalem

nalem adlegit, acceptiſque Romæ Cardinalatus inſignibus, ad eundem Carolum *Imp. ad Angliam ad S. Sedem Apoſtolicam reducendam iterum Legatus, ſummo ſtudio ne* Caroli *ſcriptum* Interim *dictum, promulgaretur, curavit: & adverſus Lutheranæ Sectæ defenſores, mirabiles fecit progreſſus. Ornatus demùm à ſapientiſſimo, acerrimique judicij ſene omnibus honoribus, quibus ſummi Antiſtitis perſona decorari poteſt. Huic bonæ arbori, optimi quoque fructus non defuere. Filius enim eius* Nicolaus *nomine, cæſo matris utero, tanquam alter Cæſar puta ad ſacrum Imperium natus, immaturo ſed felici Romanæ Eccleſiæ partu, ſub diſciplina ac tyrocinio Sanctiſſimi Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis* Caroli *educatus, cujus familiaris & imitator ab omnibus fuiſſe ſcribitur. Hinc cùm tot tantisque virtutum radijs fulgeret, illarum lux in oculos perſpicaciſſimi ac vigilantiſſimi Pontificis* Gregorij XIII. *ſpontè incurrit, qui eum abſentem ac neſcientem, inter auguſtos Eccleſiæ Patres, Principesque recenſuit, & Presbyterum Cardinalem titulo S. Cæciliæ renunciauit. Ad hanc eminentem dignitatem à Domino tanquam Aaron vocatus, & cum gemitu admiſſus, exclamauit:* Et undè hoc mihi, cùm innumeri me multò meliores aſſumi potuiſſent. *Adeò innata ei fuit humilitas. Tandem ejus bonitatis fama in dies creſcente,* Urbano VII. *vita functo, ſe Pontificem creatum vidit, & ob memoriam* Gregorij *XIII. à quo*

Pur-

Purpura inſignitus fuerat, eodem nomine appellari voluit. Certè Virum fuiſſe ſecundùm Cor Dei exindè patet, quòd cùm ſimilis ſimilem uulgo diligere ſoleat, S. PHILIPPUM NERIUM *Congregationis Oratorij Romani parentem unicè amabat, admodumque magni faciebat* Nicolaus *adhuc inter Cardinales agens. Pontifex verò factus, ipſum in grauiſſimis rebus conſulebat.*

Qualis fuerit PAULUS AEMILIUS SFONDRATUS *S. R. E. Cardinalis, ejuſdem* GREGORII XIV. *ex fratre Nepos, ſupervacaneum eſt referre, cùm adhuc tot ejus pietatis Opera ſatis ſuperque demonſtrant.*

Quid igitur mirum ſi Eminentia Tua *tot domeſticis excitatus exemplis, paternarum virtutum æmulator exiſtens, in ipſo juventutis vere calcatis mundi illecebris ad Sanctiſſimi* BENEDICTI *P. Noſtri Ordinem confugiſti? In* Abbatem, *& S. R. Imperij* Principem *electus, & Vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam celare nequiuiſti: ut ipſæ eruditiſſimæ* Lucubrationes *in Iuris Pontificij favorem ac defenſionem conſcriptæ teſtantur. Plura non addo modeſtiſſimi Principis pudori parcens. Et ſi Religioſos Viros de dignitate in Viros Religioſos de Chriſtiana Republica benemeritos collatam, gratulari, pij, Religioſique animi eſſe dilucidè patet; hinc factum eſt, ut ubi primùm Te, pro Tua ſingulari virtute, pro doctrinæ præſtantia, & pro meritorum magnitudine ſacra Purpura decoratum audiverim, vehementer mecum animo gaviſus, Tibique gratulatus.*

Hanc

Digitized by Google

Hanc autem animi mei lætitiam ex aliqua parte Tibi præſignificaturus, parum Vigiliarum mearum fœtum offero. Noui enim, & norunt mecum vniuerſi, quàm ſis inter clementes Clementiſſimus, inter mites Mitiſſimus, & quantum ſoleas manſueſcere humilibus & ſubiectis, itaut licet Opus hoc meum non mereatur in Tuæ Eminentiæ conſpectu comparere, confidam tamen qui omnibus Mitis & Clemens eſſe ſoles, uni mihi Te *inclementem haud futurum, ſed benignum Patronum ac Protectorem ſpero.*

Volo autem ſi non æternum, certè pium extare monumentum, undè homines intelligant quanti Te faciam: non tam dignitate Tua, (quam humiliter veneror) quàm Tuo ſtudio erga doctrinas optimarum artium, & omnes qui in illas egregia ſunt voluntate, eaque Eruditione Tua, ut cum diſciplinis ſeverioribus, bellas & interiores literas, atque antiquitatem in Tuo animo condideris venuſtè. Eo namque conſilio Tragicum *iſtud* Chronicon *Tuæ Celſitudinis tholo appendere viſum eſt, ut ſi qui tot Principum vitia & turpiſſima facinora demirati, ea luctuoſo exitioſoque fine, hoc eſt, æquiſſimo ſupplicio ab æterno & incorrupto Judice mulctata hoc in Volumine compererint, e-contrà præclariſſima animi Tui ornamenta, & immortalia in univerſam Catholicam Rempublicam merita ſummis in Eccleſia honoribus, ſeu potius condignis præmijs condecorata ſuſpicientes animum à mœrore ex ijs innumeris infeli-*

ciſſimis eventibus concepto abducant, ſe ſeque à teterrima Dæmonum ſervitute in Chriſtianam libertatem aſſerant, & omnis exempli documenta in Te Tuorumque Majorum perenni monumento poſita intueantur, tantiſque veſtigijs tuto pede inſiſtant. Tibi igitur ut Deus Opt. Max. benè faveat, & feliciora indies incrementa cum perenni valetudine præſtet, ardentibus cum votis rogo & obteſtor.

Scribebam ex noſtro S. Bernardi ad Thermas Diocletianas Cœnobio Kal. Aprilis 1696.

Digitized by Google

VOlumen iſtud inſcriptum *Chronicon Tragicum* à R. P. D. Carolo Ioſeph Imbonato noſtræ Congregationis Monacho Sac. Theol; & Linguæ Sanctæ Profeſſore concinnè digeſtum,iuſſu Reuerendiſs. Patris D. Ioannis Franciſci à Sancto Bernardo Abbatis Generalis eiuſdē noſtræ Congregationis ſedulò perluſtraui, nihilque in eo orthodoxæ Fidei dogmatibus,& ChriſtianæEthices documentis diſſentaneū, quominùs litterariū in theatrū ſeſe omnium oculis ſpectandum prodeat, offendi; ſed de hoc opere Lectorem ſuum conteſtari poteſt Author his mellitis verbis S. P. Bernardi: *Admoui ſpeculum, ſadur ſe in eo vultus agnoſcat, tu tuum gaude diſſimilem inueniri; inſpice tamen & tu, ne fortè etſi ſit, vndè meritò placeas tibi, etiam in quo debeas diſplicere, non deſit*; quandoquidem, vt ſapienter admonet S. Ambroſius, *quamtumlibet quiſque profecerit, nemo eſt, qui doceri non egeat, dum viuit*. Quamobrem in hoc Chronico tot cothurnorum argumentis funeſto ceu tragica in ſcena per antiquas vbique terrarum Regias animus Lectoris circumducitur, vbi omnes horrorem incutiunt, dum Tyrannorum pauciſſimi id aſſecuti videntur, vt ſicca morte decedunt, & tot Regum timendorum cadauera non alio, quàm proprij ſanguinis oſtro fędè obuoluta demonſtrantur, ſicque miſeræ mortalitatis oculis graphicè repreſentatur potiſſimum humanarum viciſſitudinum momentum, ſcilicet, mortales, cùm fortunę ſubridentis libidini ſeſe dedidere, verſatilem ſuæ naturæ conditionem etiam dedidiciſſe, immemores, ſe ſub cenſoria inuidentiæ virga pilas eſſe ventorum ludis maximè expoſitas, ſeque perituros accepiſſe peritura; cinerem eſſe, vbi Troia fuit; mare temporis puncto verti, & eode die,vbi luſerunt nauigia fluctibus obrui: adeò verum eſt ſolertiſſimū illud effatū S. Leonis Magni: *Principatus, quē aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiamſi moribus aut actibus non offendat, ipſe tamen initij ſui eſt pernicioſus exemplo, & difficile eſt, vt bono peragantur exitu, quę malo ſunt inchoata principio*. Ex noſtro S. Pudentianę de Vrbe Cœnobio 10. kal. Martij 1695.

Lib. 2. de Cōſider cap. 8.

lib. 1 offic. cap 1.

Epiſt. 85.

D. Ioannes Maria Gabrielius Sac. Cong. Indicis Conſultor, ac Supremæ Inquiſitionis Qualificator.

Digitized by Google

D. Io: Dominicus à S. Ioachim Congregationis Ref. Monachorum S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis Aſſiſtens ſecundus, & Vicarius Generalis.

CVM opus inſcriptum, *Chronicon Tragicum* à R. P. D. Carolo Ioſeph Imbonato noſtræ Congregationis Monacho Sacerdote Profeſſo compoſitum, Adm. R. P. D. Io: Maria Gabriellius eiuſdem Congregationis Viſitator Generalis, cui id commiſſum eſt, recognouerit, ac in lucem edi poſſe probauerit: nos vt typis mandetur facultatem concedimus; ſi ijs ad quos ſpectat viſum fuerit. Datum in Noſtro Monaſterio S. Bernardi ad Thermas de Vrbe die 15. Februarij 1696.

D. Io: Dominicus à S. Ioachim Aſſiſtens ſecundus, & Vicarius Gen. præſ.

D. Benedictus à S. Ioſeph Profecr.

Digitized by Google

MAgna animi voluptate legi, ita mandante Reuerendiſs. P. Magiſtro S. P. librum R. P. D. Caroli Ioſeph Imbonati cui titulus eſt *Chronicon Tragicum, ſiue de Euentibus Tragicis*: hic liber verè ſingularis eſt, tum nouitate argumenti, tum hiſtoriæ numero probatiſſimis ex Auctoribus multo ſtudio collectæ, & chronologicè ſumma diligentia diſtributæ, in tanta verò, & tam multiplici rerum enarratione, nedum quidquam non habet Fidei puritati, morum innocentiæ, vel ei quæ debetur Principibus reuerentiæ contrarium, ſed immò continet quot exempla tot argumenta quæ Dei Prouidentiam quàm maximè confirment ac commendēt, & quæ ad rectè viuendi normam tam Principes quàm ſubditos efficaciſſimè ſuadeant, eoſdemque vt in omnibus Deo velint ſubiecti eſſe feriò admoneant, quippe quæ ſiue proſpera occurrant ſiue aduerſa contingant, denique omnia Dei Numine regi multorum ſeculorum inductione eruditiſſima demonſtrant. Prædictum itaque librum typis cenſeo digniſſimum, ipſumque magno laudis cum fænore lucem ſpero publicam ſubiturum. Datum ex Monaſterio S. Gregorij de Vrbe idibus Ianuarij anno 1696.

D. Auguſtinus Romanus à Cremona Mon. Camaldulenſis in eodem Cœnobio S. Theologiæ Lector.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Sperellus Epiſcopus Interamnen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Ioſeph Maria Berti Reuerendiſs. P. Fr. Paulini Bernardinij Sac. Apoſt. Palatij Magiſt. Soc. Ord. Prędicat.

Digitized by Google

PARÆNESIS

Ad Principes Veritatis amatores.

VNVS eſt omnium interitus, non tamen vnus eſt cunctis vitæ, exitijque modus. Non vna eademque cunctis hominibus mortis cauſa, ſed aliæ alijs, cunctæ tamen ad eundem tendentes vitæ finem. Huc reſpexiſſe videtur *Herodianus* lib. 2. in vita Pertinacis p. 59. his verbis:

Hic laqueo, hic ferro, hic flammis, hic frigore, hic vndis,
Ille fame, ille cibo moritur: multique dolore,
Aut morbo, aut caſu intereunt, ſenioue fatiſcunt.
Certa dies lethi eſt cunctis, diſcrimina nulla
Ætatis: nec fas viuendo excedere metas,
Præſcripſit tetrici quas cuique potentia fuſi.
Heu quot habet mors ſæua vias, arteſque nocendi.

Et Stat. IX. Thebaid. v. 280.

Ferro, peſte, fame, vinclis, algore, calore
Mille modis miſeros mors rapit vna homines.

Sed quot crapula quotidie necat, & inſanus poculorum amor? quot hominum millia, ſagina corporis, & crebræ ingurgitationes eorum, qui ſitim, non ad ſatietatem, ſed morbum producunt? quot denique in ipſo ætatis vere, vitæ ſuæ filum abrumpunt, & pleni virium, ſanguinis, animi, vbi alij viuere incipiunt, deſinunt? & è vita, tamquam è ganeo, libidinum ſaturi excedunt? Quis non videt tales iſtos, præuertere vitæ ſuæ terminum, & mori ante diem?

pi-

Digitized by Google

piſciculis ſimiles, qui non caperentur hamo, niſi morſu eſcam appeterent. Nam quos Deus ventres eſſe præuidit, & abdomines, proiectos ad omnem luxum, & morum licentiam, eo non rarò plecti vult, quo peccarunt hæc gulæ mancipia; & prodiga vitæ ſuæ diſpendia, inexpectato excidio vindicari. Nec iniuria:

.... Neque enim lex iuſtior vlla eſt,
Quam necis artifices arte perire ſua.

Similes enim ijs ſunt, qui in carcere detenti, ludunt interdum teſſeris, ſed integris viribus ad ſupplicia mox rapiendi. At immaturi! ad mortem maturi omnes ſumus ex quo nati, imò etiam antequam nati. Pleroſque nihil tale cogitantes, quaſi furtim Deus inuadit, & non vitam modò, ſed & ſpes eorum, & inſaniam votorum in medio abrumpant. Et vetus hæc eſt *Tragœdia*: cuius Deus eſt choragus, hiſtrio homo; argumentum calamitas; chorus viri, fœminæ; apparatus, purpura, aurum, veſtes, omnia mutata, omnia reddenda; theatrum mundus, in quo homines Natura collocauit alium alio citius huic ſcenæ ſubducendum.

Tranſitorium THEATRVM eſt Mundus, inquit *Bonomius*. Et meritò, nam nil firmius in ſe retinet, quàm aſſiduè ſcenas præcipitanter euoluere. Neque pulchrius quidquam in eo conſpicitur. Et quæ tantùm cernitur,

Heu mihi quàm leuis eſt, & quàm breuis illa voluptas!

Hiſtriones ſumus miſeri Homines. Quiſque noſtrũ diuerſam induit perſonam. Sed ò ſolùm felix qui dignè gradum, quem fingit, repræſentat! Satis videmus vnumquemque proprium locum occupare, ſed non ſatis lugemus ferè nullum perſonam actibus comitari. Qui opulentum, qui pau-

perem,

perem, qui nobilem, qui abiectum, qui ſubditum, qui regnantem, qui indoctum, qui ſapientem, non pauci quæ infingunt, impropriè effingunt. Ah ſi vltimum ante actum ſemel tempeſtiua habituum fieret commutatio, qualis ordinata eſſet confuſio! At inuicem ſolemur. Qualis, ac vtcumque ſit, breui durat repræſentatio. Quàm valdè prouidus fuit diuinus ille Tragicomediæ iſtius, quæ *Mortalis* inſcribitur *Miſeria*, ac Theatri, quod *Orbis* dicitur, Conſtructor! Rotundum id fecit, vt omnia ad nihil priſtinum reuertenda oſtenderet; pinxit, vt cuncta apparentia dignoſcerentur; Palatia, ac domos ſe intùs mutuò inſpicientes erexit, vt nihil occultum diu ſtare patefaceret. Varia cogitationum architectura, cupiditatum viridarijs, & hominum ſtatuis decorauit. Ac ne cæcè vagarentur ſpectatores, duorum Lychnis Luminarium illuſtrauit. In fabulæ verò compoſitione, in hac maximam ſuæ admirabilis ſapientię partem collocauit. Hanc omni perfectione inſigniuit, licet multis aptam ex oculis nimbos elicere Pleiadem videamus. Sipario demiſſo, vt Cunæ exponerentur conſtituit; in primo ſcenarum volutatu Labyrinthos effinxit; in vltimo ſepulcra ordinauit. Prolegum Fletui commiſit. Priores actiones Querimonijs, Lacrymis, ac Vagitibus; Amori, Fortunæ, Honori medias; Morbo, Spei ac Tremori extremas præſcripſit. Vt ſuis ornaretur Choris, dulcioribus Alitum vocibus ſuauificauit. Neue intermediorum deficerent blandimenta, varijs Animalium ſpectaculis recreauit. Tandem, ne in fictionem fabula terminaret, *Tragicum ſuſpirium* toti finem imponere ſtabiliuit.

Socrates, cùm videret in Imperio triginta Tyranno-

Digitized by Google

rum multos ſummæ exiſtimationis viros interfici, & locupletiſſimos quoſque grauiſſimis ſupplicijs per inſidias circumueniri, dixiſſe fertur ad Antiſthenem: numquid te pœniret, quòd in vita nihil magnum neque ſpectabile conſequuti ſumus: quemadmodum videmus in Tragœdia deſcribit Monarchas, Atreos illos, & Tyeſtes, & Agamemnones, & Ægiſthos? Nam illi obtruncati in Tragœdijs taxantur, & mala fercula cœnaſſe vbique produntur. Sic ſic eſt, vnus omnium interitus, omnes morimur, ſed diuerſimodè. Perit cum ſonitu infelicium ſeruorum memoria, non ſic infelicium Dominorum exitus; quia *Atrocior* inquit Tacit. 4. Annal. cap. 11. *ſemper fama erga Dominantium exitus*. Alia conditio eſt eorum qui in turba, quam non excedunt, latent: quorum & virtutes vt appareant diu luctantur, & vitia tenebras habent. Dominantium verò facta, dictaque rumor excipit, de quibus Guntherus:

Nec Princeps latebras, nec Sol deſiderat vmbras.
Abſcondat Solem, qui vult abſcondere Regem.

Imò quemadmodum Solis defectio magnorum motuum plerumque argumentum trahit: ita Regum errores etiam mediocres magnam rebus humanis perturbationem afferre ſolent, vt dictitare ſolebat *Carolus V.* Enim verò, ſi nullam aliam ob cauſam, certè hac contemplatione à ſequiore vita Principes abſtinere par eſt, quòd eorum facta nullis latebris occultantur, nullis tenebris inuoluantur, ſi *Claudiano* credimus, ſic Cæſarem alloquenti:

Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe

Facta palàm: nec poſſe dari regalibus vſquam
Secretum vitijs; nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
Intrat, & obſtruſos implorat fama receſſus.

Quibus aureis verſibus congruunt hæc *Xenophontis* verba: *Neque enim*, inquit, *vos Dij in tenebris operiunt, ſed opera veſtra neceſſe eſt ſemper in propatulo eſſe apud omnes: quæ ſi pura & ſine iniuria appareat, reddent vos inter omnes homines potentiſſimos. Sin ſi quid iniuſti inter vos inuicem cogitabitis, fidei dignitatem apud omnes homines amittetis.*

In regijs natalibus, in opibus, in delicijs ac voluptatibus reponitur ſæpè ſæpius hominis felicitas; ſed perperam. Parum enim officit clarus ortus, ſi obſcurum ſortiatur exitum. Imò infelix cui ſemper fortuna ſecunda arridet. Ipſa felicitas, ſe niſi temperat, premit: ſi fugaciſſimis bonis credidit, citò deſeritur, & vt non deſeratur affligitur. Ideò omnium calamitatum materiam eſſe hominem diu felicem declamauit *Calpurnius* declam. VIII. *Neſciunt*, inquit, *ſtare ſucceſſus, & quoties prodire felicitas non poteſt, redit*. Quis fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum caſus ſatis mirari queat? quis non diuerſa præſentibus, contrariaquè expectatis aut ſperet, aut timeat? Pingitur *Fortuna* rotæ inſiſtere, vt varij & multiformes huius prodigij vultus exprimantur, quod varijs mutationum vicibus obnoxium, inſtar rotæ indeſinenter in orbem conuertitur, miſcens infima ſummis, ſumma imis.

Præcipitem mouet illa ROTAM, motuſque laborum
Nullaquies claudit, nec ſiſtunt otia motum:

Hos premit, hos releuat, hos deijcit, erigit illas,
Cogit & in varios homines deſcendere caſus.

Mortalium caſus *Fortuna* rotat. Hodie Tiberius in ſolio, cras in flumine. *Fortunæ* qui credit, mulieri credit. Fœminæ inſtar, modò vni, modò alteri amantium fauet. Verùm nos ex ſacro Codice rectiùs inſtituti & imbuti nouimus, ſiue aduerſa, ſiue proſpera accidant, diuinæ Prouidentiæ illud tribuendum eſſe; vti ex hoc Epigrammate venuſtiſſimo patet.

Si vitam inſpicias hominum, ſi denique mores;
Artem, vim, fraudem cuncta putes agere:
Si propiùs ſpectes, Fortuna eſt arbitra rerum,
Neſcis quam dicas, & tamen eſſe vides:
At penitus ſi introſpicias, atque vltima primis
Connectas, tantùm eſt Rector in orbe Deus.

Harum mutationum exemplum habemus in *Crœſo* Lydorum Rege ditiſſimo & potentiſſimo; de quo Prouerbium: *Creſo ditior*. Hic cùm in florentiſſimo regno ſuo otij impatiens eſſet, & bellum Cyro Regi Perſarum abſque vlla legitima cauſa, ſed tantùm proſperitate rerum & luxu ſuperbus inferre vellet, ob eamque cauſam Legatos ad Delphicum Oraculum diſſimulato habitu, & vndè veniſſent, miſiſſet, ita reſpondiſſe Pythiam *Cedrenus* refert:

Eſt menſura Maris, numerus mihi notus arenæ
Elinguis animi ſenſa & cognoſco tacentis,
Sed mihi Rex Cræſus, cupiuntque illudere Lydi.

Tum demùm expoſita vera cauſa legationis, ita reſpondit Oraculum:

Cræſus Halyn penetrans magnam peruertet opum vim.

Ita

Ita Cræſus Oraculi ambiguitate deluſus, magnam peruertit opum vim, non alienarum, ſed propriarum. Felix ſanè fuiſſet Cræſus, ſi Oraculum, cuius *Xenophon & Cicero* etiam meminit, obſeruaſſet:

Σαυτὸν γινώσκων εὐδαίμων Κροῖσε περάσεις.

Cræſe beatus eris, benè ſi te noueris ipſe.

Ad hæc reſpiciens *Philippus* Macedonum Rex, cùm eodem tempore tres lætos accepiſſet nuntios: vnum, quòd quadrigæ ipſius Olympia viciſſent: alter quòd legatos ipſius Parmenio pugna Dardanos ſuperaſſet: tertium, quòd vxor Olimpias marem ipſi peperiſſet: manibus ad Cœlum intentis, *O Fortuna*, inquit, *modico iſthæc compenſa damno*. Scilicet intelligens ſolere fortunam magnis inuidere proſperitatibus. *Plut. de conſolat. ad Apoll.*

Seſoſtris Rex Ægypti feliciſſimus & potentiſſimus, plurimas nationes ſeruituti ſubegit: vndè curru ex auro & lapidibus pretioſis conſtructo vehi ſolitus erat, qui à quatuor Regibus à ſe deuictis trahebatur. Cùmque vnus ex Regibus ſæpè reſpiciens *Rotam* quæ voluebatur, accuratè contemplaretur, percontatus eſt *Seſoſtris*; Cur ita retroſpiceret? Reſpondit: ſe, cùm *Rotam* ſurſum deorſumque volui cernat, vitæ humanæ, & Fortunæ inconſtantiam conſiderare, in qua perpetuò ſumma ad imum deuoluuntur, ima ad ſummum euehuntur: ſuam ſe quoque ſortem perpendere: Rex qui modò potentiſſimus fuerit, nunc inſtar pecudis, quadrigas agitare cogatur. His auditis, atque animum ſecum paulò altius communem omnium hominum ſortem perpendens *Seſoſtris*, Reges à ſeruitute liberatos, honore deinceps plurimo affecit.

 In-

Inconſtantiæ rerum humanarum exemplum *Carolus Craſſus* VII. Germanorum Imperator præbuit euidentiſſimum. Nam ita de eo ſcribit *Regino: Carolus*, inquit, corpore & animo cœpit ægrotare: menſe itaque Nouembris A.C. 887. Tiburias venit, ibique conuentum generalem conuocat; cernentes optimates regni, non modò vires corporis, ſed etiam animi ſenſus ab eo diffugere. *Arnulphum* filium *Carolimanni*, vltrò in regnum attrahunt, & ſubitò facta conſpiratione ab Imperatore deficientes, ad prædictum virum certatim tranſeunt, itaut tridui ſpatio vix aliquis remaneret, qui ei ſaltem officia humanitatis impenderet, adeò vt de victu etiam ferè deſperaret, niſi *Luiduuertus* Epiſcopus Triburienſis, (vbi in comitijs hæc fiebant) ipſi de victu proſpexiſſet, & *Arnulphus* etiam eius aulam ſuppeditatis ſumptibus ſuſtentaſſet. Erat res ſpectaculo digna, & æſtimationis humanæ ſortis rerum varietate miranda. Hæc *Regino*. Agnoſcamus igitur in perſona *Caroli Craſſi* primùm, verum eſſe dictum *Menandri*: *Felicibus omnes ſunt Cognati, ſed nullo fides vnquam miſeros elegit amicos*. Deindè quòd *Fortuna* plerùmque eos, quos multis beneficijs ornauit, ad duriorem quendam caſum reſeruet. Nam ſicut antea *ſecunda* fortuna, rebus, vltra quam poſſet, affluentibus, tot tantaque imperij regna, ſine laborum ſudoribus & certaminibus *Carolus Craſſus* attraxerat, omniumque regnorum auitorum Monarcha & Dominus factus: ita ut poſt *Carolum Magnum*, maieſtate, poteſtate, diuitijs, nulli Regum Francorum videretur eſſe poſtponendus: Ita nunc *aduerſa*, veluti in oſtentatione fragilitatis humanæ deficiens, quæ fortuna cumulauerat, cuncta inhoneſtè in-

mo-

momento abſtulit, quæ proſpero arridens ſucceſſu, quondam glorioſè attulerat. Itaque rectè exclamat *Oedipus* apud *Senecam* in Tragœd.

Quiſquam ne gaudet regno? ò fallax bonum,
Quantum malorum fronte quod blanda tegit!
Vt alta ventos ſemper excipiunt iuga
Rupemque ſaxis vaſta dirimentem freta:
Quamuis quieti verberant fluctus maris:
Imperia ſic excelſa fortunæ obiacent.

Hoc tamen memorabile fuit de *Carolo*, quòd ſuam calamitatem patienter tulit, omnem ſpem conſiliumque ſuum diuinæ diſpenſationi comittens, (teſte *Regino*) precibus ad Deum fuſis omnem fortunæ acerbitatem lenijt. *Infelicitas* ergò ſæpenumerò prodeſt homini, eò quòd in rebus aduerſis docemur, quàm incerta ſit rerum humanarum conditio, & ſola diuini verbi conſolatio vera & ſolida ſit. Rectè proinde ſcriptum accepimus, multi, cùm ratione futura præuidere non poſſent, patiendo res demùm intelligunt. Hinc *Boethius* lib. 2. de Conſolat. inquit. *Plus hominibus reor aduerſam quàm proſperam prodeſſe fortunam. Illa enim ſemper ſpecie felicitatis, cùm videtur blanda, mentitur: hæc ſemper vera eſt, cùm ſe inſtabilem mutatione demonſtrat. Illa fallit, hæc inſtruit: illa mendax ſpecie bonorum mentes fruentium ligat; hæc cognitione fragilis felicitatis abſoluit. Illam itaque videas ventoſam, fluentem, ſuique ſemper ignaram: hanc ſobriam, ſuccinctamque, & ipſius aduerſitatis exercitatione prudentem. Poſtremò felix, à vero bono deuios blanditijs trahit: aduerſa plerumque ad vera bona reducens, vnco retrahit.* Neque

Digitized by Google

que hic prætermittenda ſunt pretioſa verba *Lactantij* lib. 2. cap. 1. in rem noſtram: *Tum maximè Deus*, inquit, *ex memoria hominum elabitur, cùm beneficijs eius fruentes, honorem dare diuinæ indulgentiæ debent. At verò ſi qua neceſſitas grauis præſſerit, tunc Deum recordantur: ſi belli tremor infremuerit, ſi morborum peſtifera vis incubuerit, ſi alimenta, frugibus longa ſicitas denegauerit, ſi ſæua tempeſtas, ſi grando ingruerit: ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium, Deus, vt ſubueniat, oratur. Si quis in mari vento ſæuiente iactatur, hunc inuocat: ſi quis aliqua vi afflictatur, hunc protinus implorat: ſi quis ad extremam mendicandi neceſſitatem deductus, victum precibus expoſcit, Deum ſolum obteſtatur, & per eius diuinum atque vnicum numen hominum ſibi miſericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, niſi dum in malis ſunt. Poſtquam metus deſeruit, & pericula receſſerunt, tum verò alacres ad deorum templa concurrunt, his libant, ſacrificant, hos coronant: DEO autem quem in ipſa neceſſitate implorauerant, ne verbo quidem gratias agunt: adeò ex proſperitate luxuria, ex luxuria verò vt vitia omnia, ſic impietas aduerſus Deum naſcitur.*

Quot in ampliſſimum fortunæ faſtigium aſſumpti, verſabiles eius motus experti ſunt qui ludunt mortalitatem: nunc euehentes quoſdam ad ſydera, nunc in Cocyti profunda mergentes, cuius rei cùm innumera ſint exempla, pauca tactu ſummo tranſeam. *Regnerus* Daniæ Rex, *Thoram* Sueonum Regis filiam pulcherrimam, ſuperatis & cæſis duobus horridis ſerpentibus, obtinuit. *Noruegios* ſibi ſubiecit, *Haraldum* profligauit. *Sorium* Sueciæ Tyrannum

occi-

occidit. Nec contentus tribus regnis Aquilonaribus, Britanniam inuaſit, & in poteſtatem ſuam redegit. Auſus prætereà eſt *Carolo Magno* arma inferre. Inde ad Orientem pergens Græciæ & Helleſponti Regibus ſuperatis, Biarmis & Finnis deuictis, Orcadibus debellatis; longè latèque dominatus eſt. Tandem reflante Fortuna ab *Helle* Britannorum Rege antea deuicto; victus, captus & ſerpentibus deuorandus obiectus eſt. In quo antro Epicedion ſibi ipſe, quo totius vitæ ſuæ curſum comprehendit, compoſuit & cecinit. Cui huiuſmodi Epilogum fecit: *Si ſuculæ* (tres filios ſuos intelligens) *verris ſupplicium ſcirent, haud dubiè perrupta hara opem ferrent.*

Hæc fortuna mutabilis & inconſtans *Agathoclem* Siculum ex figulo Regem, & *Dionyſium* gentium quondam terrorem Corinthi, literario ludo præfecit. Hæc *Andramitenum Andriſcum* in fullonio natum, ob pſeudo-Philippi nomen euexit: & *Perſei* legitimum filium artem ferrariam ob quærendum docuit victum. Eadem *Mancinum* poſt imperium dedit Numantinis: ſumma atrocitate *Veturium & Claudium* Corſis: ſubſtrauitque feritati Carthaginis Regulum. Iſtius iniquitate *Pompeius*, poſt quæſitum *Magni* ex rerum geſtarum amplitudine cognomentum, ad Spadonum libidinem in Ægypto trucidatur. Et *Eunus* quidam ergaſtularius ſeruus ductauit in Sicilia fugitiuos. Quàm multi ſplendido loco nati, eadem rerum Domina conniuente, Viriati genua ſunt amplexi, vel Sparthaci? Quot capita quæ horruere gentes, funeſti carnifices abſciderunt? Alter in vincula ducitur, alter inſperatæ præficitur poteſtati; alius à ſummo culmine dignitatis excutitur. Mi-

Digitized by Google

ſera quorundam Imperatorum Romanorum ſors fuit, atque conditio: Nam à *C. Iulio Cæſare* vſque ad *Carolum Magnum* numerantur Imperatores 42. ex quibus vix decem ſunt, quos filius aut frater, aut vxor, aut amicus, aut inimicus, ferro, veneno, laqueoue non extinxerit. Sic etiam *Iouius* in Scotia teſtatur; quinquaginta duos Scotiæ Reges aut bellica vi, aut Procerum inſidijs crudeliter interemptos eſſe. Quid, ſi omnes alios Imperatores, Reges, Principes, ac Duces ſimili morte necatos, hic enumerare vellem? Sed

Quid iuuat innumeros ſcire, atque euoluere caſus,
Si facienda fugis, ſi fugienda facis?

Felicitas incerta eſt, ſæpiuſque in id quod contrarium eſt compulſa æqua lance rependitur. Præterea ad eam conſeruandam Dei ipſius auxilio opus eſt, & mente, & arte, & tempore præclarè quoque geſtis, & vbiuis & varijs, quæ nec experientia vlla conſtant, nec ſunt ijs, qui experiuntur facilia. *Fugite delicias* exclamat Seneca de Prouid. cap. 4. *fugite eneruatam felicitatem, quà animi permadeſcunt, niſi aliquid interuenit, quod humanæ ſortis admoneat, velut perpetua ebrietate ſopiti. Res inquieta eſt felicitas, ipſa ſe exagitat, mouet cerebrum, non vno genere. Alios in aliud irritat: hos in potentiam, illos in luxuriam: hos inflat, illos mollit, & totos reſoluit.*

Teſtes ſunt tot tragici, funeſtique Principum euentus ex vniuerſo terrarum Orbe collecti, & in hoc paruo volumine enarrati. In illorum enim hiſtoria velut in ſpeculo limpidiſſimo videmus eorum conſilia, dicta atque facta, tum bona, tum mala, quæ ſi quis attentè conſideret, facilè inueniet, quid in moribus ſuis corrigere, quid omninò fu-

gere,

gere, quid magno ſtudio ſectari debeat, ſi diſſimilem exitum ſperat. *Per hiſtorias veteres* inquit Baſilius Magnus ad filium Imperatorem futurum, *ire ne recuſa: Ibi enim reperies ſine labore, quæ alij cum labore collegerunt; atque illinc hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia: vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuerſiones: mundi huius inſtabilitatem, & Imperiorum præcipites caſus. Et (vt verbo multa complectar) malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia, quorum illa fugies, ne in diuinæ Iuſtitiæ manus incidas; hæc amplectaris, vt præmijs quæ ea comitantur, potiaris.* Et rurſum: *Vtere medicis animorum aſſiduè, vt ipſe animo valeas: ab eis enim diſcere poteris, quas res expetere, & à quibus abſtinere debeas, quibus cum hominibus aſſueſcere, & à quorum conſuetudine abhorrere, & quomodo vitam totam diſpenſare oporteat, vt ne in frequentes morbos incidas. Si hanc inſtitueris viam, ad ſolidæ germanæque virtutis veros limites peruenire poteris. Vita Principis* tradit Plinius Paneg. c.45. *cenſura eſt, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: nec tam imperio nobis opus eſt, quàm exemplo.* Pulchrè Claudianus Paneg. de 4. Conſulat Honor.

.... Componitur Orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.
Scilicet in vulgus manant exempla regentum:
Vtque ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Proinde ſi viri Principes ac Nobiles tanti dignitatem

ſuam facerent, quanti deberent, non paterentur, vel qui ſui eſſent ordinis; vel etiam inferioris contagione quaſi contra quam commune decus poſtularet, contaminari. Quantam enim vim habeat ſobria Optimatum vita honeſtate conſpicua, non ſolùm ad ſubditorum animos ſibi conciliandos & in officio continendos, verùm etiam ad actiones laudabiles excitandas, omnium ætatum exempla demonſtrant. Et hic vulgi mos eſſe ſolet, vt eos quos dignitate honeſtateque vitæ conſpicuos cernat, ad cœlum vſque euehat, contrà verò quos fortè flagitio quodam laborare intelligat, grauiſſimo infamiæ genere notet. Poſſem plura huiuſcemodi rei exempla, ſi odioſa non eſſent, in medium afferre. Verùm regium hoc atque Tragicum Opus aggredior, non detrahendi, neque quid minimum nobilitatis, vel famæ alicuius denigrandi cauſa; ſed vt Principes ex aliorum infelicitate felices euadant, & ex ſuorum conſimilium periculis cauti fiant, recordenturque aliquando, ſe non Deos ſed homines eſſe, ſublimiorique poteſtati ſubditos, & non tantùm communi morti, ſed etiam ſingulis ærumnis, quas cæteri homines patiuntur, obnoxios eſſe. *Sciunt*, inquit Tertull. Apologet. cap. 30. *quis illis dederit Imperium, ſciunt qua homines, quis & animam: ſentiunt eum Deum eſſe ſolum, in cuius ſolius poteſtate ſunt, & à quo ſunt ſecundi. Recogitant quaſque Imperij ſui vires valeant, & ita Deum intelligant, aduerſus quem valere non poſſunt, per eum ſe valere cognoſcant.* Non ignorabat hæc omnia *Saturninus* qui, referente Flauio Vopiſco, purpura induendus, *Neſcitis*, inquit, *amici quid mali ſit imperare. Gladij & tela noſtris ceruicibus impendent, imminent haſtæ vndique, vndique ſpicula: ipſi*

cu-

cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro ſtudio &c. Gradus enim regiminis dicitur grandis honor, ſed graue pondus eſt. Hinc rectè concludit meus Theodidactus *Bernardus: Quid eſt honor, niſi onus? Quid eſt potentia, niſi calamitas? Quid ſublimitas, niſi naufragioſa tempeſtas? Quis poteſt eſſe in honore ſine dolore? Quis eſt in prælatione ſine tribulatione? Quis in dignitate ſine vanitate.*

Placebit ne omnibus hoc Opus? ambigo; cum odio enim ſui cœpit ſimul *Veritas*; et quæ innata luce cuncta fouet, omnium, teſte *Tertull. Apolog.* 7. apparuit inimica, quia lucens: tot eius hoſtes, quot extranei. Hoc vnum ſcio, me nihil in hoc tragico Opere enarraſſe, quod iam prius à grauiſſimis authoribus non fuerit exaratum. Quantum fieri potuit, eorumdem Claſſicorum Authorum ſententijs, immò ipſiſſimis verbis, vt maiorem authoritatem præſeferat hoc Opus ſum vſus; ideò de ſtyli elegantia, facundiaque nihil ſollicitus, rem proponere ſtudui non verba. Qualis autem fuerit in eo texendo labor, iudicabunt Viri in noſtra ætate præter cæteros docti. Tentet id ipſum quiſpiam, & ſupra quàm credi poteſt, laborioſiſſimum negotium experietur: quicquid Momus conuitiatur. Nuſquam modeſtiæ ac debitæ moderationis limites tranſilio. Quid ni? verba *Saluiani* 7. Guber. vtar. *Offendi quoſdam, quamuis ſuſpicor, his quæ diximus: ſed quia veritas magis quàm offenſio cogitanda eſt, dicam & ſæpè dicam. Iuuat* inquit Sext. Aurel. Vict. in Calig. *de Principibus omnia noſſe, vt improbi ſaltem famæ metu talia declinent.*

A NEMRODO venatore vtpote primo in orbe terrarũ Monarcha, primoque tragicæ infelicitatis Principum exemplo, exordium ducimus. Illum fuiſſe primum Monarcham ſic intelligi volumus, quatenus *Monarchiæ* in prædicamento relationis conſiderantur ratione ordinis, qui talis eſt, I. eſt *Monarchia Chaldæorum* (Babyloniorum) vel Aſſyriorum. II. *Monarchia Medorum, & Perſarum.* III. *Monarchia Græcorum.* IV. *Monarchia Romanorum.* Hinc eſt diſtinguendum inter imperium *Paternum* & *Monarchicum:* illud *Adamus* in familia ſua exercuit; hoc verò à *Nemrodo* vel cum *Nemrodo* cœpit. Quidam contendunt, *Cainum* primum fuiſſe in orbe *Monarcham.* Quoniam Geneſ. 4. 17. Vrbem nomine Henochiam condidiſſe legitur. In hac ſententia eſt D. Auguſtinus, qui lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 20. ſcribit: *Cainum regia & monarchica poteſtate in ciuitate à ſe condita fuiſſe armatum.* Verùm reſpondetur, quod vox *Monarchiæ* dupliciter accipitur, 1. *generaliter*, h. e. pro qualibet Reipublicæ adminiſtratione, cui vnus aliquis cum imperio præeſt. Nam notum eſt ex ſacris pariter atq; profanis ſcriptoribus, quòd vos *Regis* olim adeò cõmunis fuerit, vt quibuslibet Gubernatoribus aut Dynaſtis, qui vel in vnã Ciuitatem imperium habuit, *Rex* appellatus ſit. Quemadmodum in Ioſue cap. 11. enumerantur XXXI. *Reges* quos Ioſue debellauerit, quique tantùm in terra Canaan imperitarint. *Iudic.* 1. ait *Adonibezek*: LXX. *Reges*, amputatis manuum & pedum pollicibus, colligebant micas ſub menſa mea. Vndè facilè eſt conijcere, illos 70. Regulos admodùm tenuis fuiſſe ſortis atque conditionis, paruæ regionis Gubernatores: alioquin *Adonibezek* potentia in immen-

menſum creuiſſet, tot Regibus ſpoliatis. Et in hoc ſignificatu facilè concedimus *Cainum* Monarcham, vel Regem dici potuiſſe. II. hæc vox *Monarchiæ* ſumitur *ſpecialiter*, ſiue *ſtrictè*, videlicet pro vno ex quatuor ſummis in mundo Imperijs, quæ in Sac. Scriptura enumerantur. Et hoc reſpectu, *Cainum* Monarcham fuiſſe, ſimpliciter negamus. Igitur ortus Monarchiæ primæ, nempe Babylonicæ, ſi abſolutè conſideretur in *Nimrodo* originem cœpit, ſi in ſenſu limitato, h. e. quoad ſummæ excellentiæ & dignitatis gradum, in Nabuchodonoſore cœpit. Qua de cauſa ab ipſo Daniele cap. 2. v. 38. *Caput aureum* vocatur, quod nempe ipſe præ cæteris Regibus Babylonicis potentia excelluerit. Quòd ſi *Nimrodus* vocetur Tyrannus, hoc dicitur non ratione tituli, ſed ratione exercitij, vt Politici loquuntur.

Si diuerſas Rerumpublicarum formas inſpiciamus; illuc Gentes, hìc ſinguli Principes, alibi pauci, aut populus, regunt. Indè *Monarchia*, in qua ſinguli: *Ariſtocratia*, in qua pauci: *Democratia*, in qua omnes præſunt. Quæ quidem omnis diuerſitas formarum nata eſt ex diuerſitate ingeniorum, quæ alia atque alia, diuerſas inter gentes, inueniuntur. Aliæ enim plus, aliæ minus libertatis, ſub Imperantium dominatione retinendum ſibi putauerunt. In *Monarchia* minus libertatis, quia vnius: In *Ariſtocratia* plus libertatis eſt, quia plurium arbitrio omnia regunt: In *Democratia* maximè omnium libertas eſt, dum in ea cuiuis licet, ad conſeruandam promouendamque libertatem, ſtudia ſua, ac curas conferre.

Monarchia, & *Ariſtocratia* omnium antiquiſſimæ & primæ fuiſſe meritò videntur. *Democratiam* verò ſeriùs

pro-

Digitized by Google

progreſſu ſeculorum natam lubet iudicare. Hanc enim primò vix alicuius gentis fuiſſe, ſed amore libertatis, alijs iſtis formis, alibi quaſi ſucceſſiſſe, ex eo apparet, quòd credibile non ſit, cùm in conſtitutione Imperiorũ prima, ſumma quadã prudentia & authoritate eſſet opus hominũ excellentiſſimorũ, populũ autem idcircò minoris authoritatis, idoneam Imperij vim, inter Imperij inexpertes exſerere non potuiſſe.

Cùm ad Imperium vnius rarò conferat Princeps animum, qui aut infinitam frenet poteſtatem, aut eas pro libertate repertas leges obſeruet, in quas iurauit. *Monarchicus* ſtatus in vitium facilè excedit, quòd tyrannidem appellamus. Eſt autem *Tyrannis* tale vnius Imperium, in quo oppreſſa libertate, legumque ac Magiſtratuum cæterorum omnium violata, cum ſubditorum pernicie, ad vnius imperantis Imperium omnia conferuntur. Adeòut *Tyranni* ſint, qui emicant vſurpata magis vndique poteſtate, quàm neceſſaria videtur. Sunt verò aliæ artes, quibus clam & prudenter libertatem inuadunt, aliæ quibus palam crudeliter Tyranni graſſantur, de quibus exprofeſſo agunt Politici.

Apud Tyrannos ſcelera ſceleribus tuenda ſunt: quid autem infelicius eo cui iam eſſe malo neceſſe eſt? ò miſerabilem illum, ſibi certe! nam cæteris miſereri eius nefas ſit, qui cædibus ac rapinis potentiam exercuit, qui ſuſpecta ſibi cuncta reddidit: tam externa quàm domeſtica: cùm arma metuat, ad arma confugiens: non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. Qui vbi circumſpexit quæque fecit, quæque facturus eſt, & conſcientiam ſuam plenam ſceleribus ac tormentis adaperuit: ſæpè mortem timet, ſæpius optat. Tantum timere debet, quantum timeri voluit, & manus

nus omnium obſeruet, & eo quoque tempore quo non captatur, peti ſe iudicet, nullumque momentum immune à metu habeat; neceſſe eſt enim vt multos timeat, quem multi timent. *Clearchus Ponticus* Tyrannus in ciſtam irrepens anguis in morem dormiebat. Et *Ariſtodemus* Argiuorum Tyrannus, ſponda in ſublimi conclaui poſita, ſupra ianuam penſilem, cum amica dormiebat: & amicæ mater vbi aſcendiſſet, ſcalas remouebat, rurſumque luce facta apponebat. Quomodo, putas, hic archiuum, theatrum, curiam, conuiuium metuebat, qui cubile ſuum ſibi carcerem fecerat? Re... enim vera Principes ſubditi, Tyranni ſubditos metuunt. Itaque horum cum potentia creſcit metus, & quo pluribus imperant, eò plures timent.

Tyrannorum exitus horribiles atque tragicos apud Hiſtoricos, in primis *Suetonium*, *Dionem & Tacitum* licet videre. Nam regula Iuſtitiæ diuinæ eſt, quòd atrocia delicta ordinariè puniantur atrocibus pœnis, etiam in hac vita. Nimirum vt Iuuenalis cecinit:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges & ſicca morte Tyranni.

Thales interrogatus a Molpagora Ione, quid inſolens vidiſſet, Tyrannum reſpondit ſenem. Felicem eum Tyrannum cenſuit *Chilo in epiſt. ad Periandr.* cui in ſua domo abſque ſanguine contigerit mori. *Si ergo quis antiquas neſcit hiſtorias*, concludit Ioannes Saresberienſis lib. 8. Policratic. *Si ignorat quomodo Cyrus cui Reges terga præbebant Regina Tomiri proſtratus eſt, ſi caſus & præcipitia præcedentium non recolit Tyrannorum, vel ea quæ oculis ingeruntur inuitis attendat, & luce clarius intuebit omnes Tyrannos miſeros eſſe.*

Digitized by Google

De *Rufino* occiſo, in quo viuam Tyranni imaginem repreſentatur, ita *Claudianus*:

Deſinat elatis quiſquam confidere rebus,
Inſtabileſque deos, ac lubrica Numina diſcat,
Illa manus, quæ ſceptra ſibi geſtanda parabat,
Cuius ſe toties ſubmiſit ad oſcula ſupplex
Nobilitas, inhumata diù, miſeroque reuulſa
Corpore feralem queſtum poſt facta popoſcit.
Adſpiciat, ne quis nimium ſublata ſecundis
Colla gerat, triuijs calcandus ſpargitur ecce!
Qui ſibi pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura ſuos extruxit culmina Manes,
Et qui Sidonio velari credidit oſtro,
Nudus paſcit aues, iacet en, qui poſſidet orbem,
Exiguæ telluris inops, & puluere raro.
Per partes tegitur: nunquam totieſque ſepultus
Senſerunt conuexa necem, telluſque nefandum
Emolitur onus iam reſpirantibus aſtris,
Infernos grauat vmbra lacus, pater Aeacus horret,
Intrantemque etiam latratu Cerberus vrget.
Tunc animæ, quas ille fero ſub iure peremit,
Circumſtant, nigrique trahunt ad iudicis vrnam,
Infeſto fremitu veluti paſtoris in ora
Commotæ glomerantur apes, qui dulcia raptu
Mella trahit, pennaſque cient, & ſpicula tendunt
Et tenuis ſaxi per propugnacula cinctæ
Rimoſam patriam, dilectaque pumicis antra
Defendunt, pronoque fauos examine velant.

Deindè Rhadamantum apud inferos introducit, ita *Ruffinum* compellentem: *Huc*

Digitized by Google

Huc ſuperum labores, huc inſatiabilis auri
Proluuies, pretioque nihil non auſe parato,
Quodque mihi ſummum ſcelus eſt, huc improbe legum
Venditor. Arctoi ſtimulator perfide Martis,
Cuius ob innumeras ſtrages anguſtus Auerni
Iam ſinus, & plena laſſatur portitor alno.
Quid demens manifeſta negas! en pectus iniuſtę
Deformant maculæ, vitijſque inoleuit imago,
Nec ſe ſe commiſſa, tegunt genus omne dolorum
In te ferre lubet:
Cunctorum ſi facta ſimul iungantur in vnum:
Præcedes numero, quo tanta piacula quiſquam
Supplicio conferre valet? quid denique dignum
Omnibus inueniam, vincant cum ſingula?

Tragicos plerumque eſſe Tyrannorum exitus, ipſæ ſacrę literæ pluribus in locis teſtantur.

Sapient.6. v. 7. Potentes potenter tormenta patientur. *Pſal.37.v.2.* Malefici funditus delebuntur. *v.14. 15. Gladium euaginauerunt* impij, intenderunt *arcum* ſuum, vt proſternant pauperem & inopem, & trucident rectos corde. *Gladius eorum intrabit in corda ipſorum, & arcus eorum confringetur.* Exempla habemus illuſtria in omnibus Tyrannis. *Saul* ſæpè in furore ſuo gladium euaginauerat aduerſus Dauidem innocentem, ſed tandem in cor ipſius atque viſcera intrauit, quando proprio gladio ſeipſum confodit, *1.Sam.31.v.4.* Ita etiam *Sennacherib* Rex Aſsyriorum, Ezechia pientiſſimo Regi Iuda, & toti populo Iſrael horrenda quęque minabatur, gladium ſuum aduerſus eos euaginabat, & arcum intendebat, vt inopes ad reſiſtendum proſterne-

 ret,

ret, & trucidaret rectos corde; ſed gladius intrabat in cor eius, cùm à proprijs filijs ſuis Adramelech & Saraſſar in templo Niſroch interfectus eſt. 2. *Reg.* 19. *v.* 36. 37. *Ieſ.* 37. 36. *Pſal.* 37. *v.* 38. Iniuſti diſperibunt ſimul. Veriſſimum hoc eſſe, exempla Pharaonis, Abſalomi, Achabi, Nimrodi, Cambyſis, Ochi, Antiochi, Baltaſſaris, Herodis Aſcalonitæ, Antipæ, Agrippæ, Neronis, Diocletiani, Aureliani, Valeriani, Iuliani, Phocæ, Maximini, aliorumque Tyrannorum innumerabilium euidenter oſtendunt. Vbi notandum tres tantùm Tyrannos nominari in veterum hiſtorijs, quorum mors placida fuit.

I. *Dionyſius maior*. Sed tamen poſtea filius eius *Dionyſius minor* debita à patre contracta perſoluit. Hic namque à Dione Principe Syracuſano in exilium pulſus, ad tantam redactus eſt inopiam, vt in vrbe Corintho ludum literarium aperuit, vt ſupra innuimus. Ita namque de Iuſtitia diuina vox Decalogi concionatur: Deus viſitat iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam generationem.

II. *Sylla* cùm crudeliſſimè regnaſſet, placidè mortuus eſt.

III. *Tiberius* Imperator ſub quo Chriſtus paſſus eſt. Eius quoque mors placida fuit. At hæc exempla neminem turbent. Nam licet non tragica morte ſint extincti in hoc mundo; tamen in altero ſeculo dignam impietatis mercedem reportabunt. *Tandem* enim vt Regius Pſaltes ait, *impij peribunt*. Quare haud reſpiciendum eſt ad exigui temporis pompam & ſplendorem quo hominum illi oculos perſtringunt, ſed ad extremum finem, qui erit in altero ſeculo, animi noſtri oculos conuertere debemus.

Quæ autem regendi ratio & forma optima ſit, non

tam

tam anxiè, vt fieri ſolet, perſcrutandum putamus. Vtique enim vt generatim dicam quod ſentio, ea optima cenſenda, quæ ad ingenia ſuorum & commoda, maximè eſt comparata. Neque enim omnibus, tanta morum, locorum, temporum, diuerſitate omnia conueniunt. In hoc autem arduo negotio, cùm mihi nec illud ingenium, nec ea ſit ſapientia, aut profeſſio, qua certe quid ſtatuere poſſim, difficile etiam admodum Plutarchi teſtimonio, ijs conſilium dare, qui ſunt in Imperio, cùm regium non putent ad aliorum præſcriptum viuere. Verùm cùm ſæpè etiam holitor valdè opportuna locutus ſit, vbi ea quæ in ſapientum rectè dictis, & ſobriè reſponſis obſeruarit, in medium proferat; ſic ſalutare futurum eſſe ducam, ſi quod alij ſapienter ſenſerunt, idem ſuadeam. Summa igitur vitæ regendæ organa, ſunt *Prudentia* rectè de rebus iudicandi: ac *Facultas* bene de iiſdem dicendi. Quamquam verò & natura ſint ingenia excellentia, quæ mentis acie abſque Doctorum ductu rectiſſimè de dubijs poſſint conijcere, tamen cùm quid melius, aut deterius ſit, in obſcuris ſine prudentum longa experientia annotatis aſſequi vix valeant, conſilijs Doctorum & ſapientum vtantur aliſs, qui præſunt. Et mortuorum quidem conſilia, quos *optimos eſſe conſiliarios* aiebat *Alfonſus*, deſignans *Libros*, tutius erit ſequi, ad quorum lectionem Ptolomæum Demetrius Phalereus inſtimulabat, cùm plerique in rebus dubijs conſulti non ratione dicant ſententiam: Verùm ad affectus inflectant, vt mereantur gratiam. Multi proprij emolumenti cauſa promercalem ferunt linguam. Multi timidi admodum, ſententiam magis profuturam & Domino ſalubriorem ſupprimunt, quòd

 for-

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

formidant offenſas, quæ ex fidelibus admonitionibus, & ſobrijs conſilijs ſæpius exoriuntur. Multi auro corrupti, qui è re communi reticent: vti *Demoſthenes* accepta pecunia ab Harpalo, de quo Athenas veniente ſententiam dicere in concione iuſſus, vocem ſibi interciſam annuebat. Quem fucum aduertentes nonnulli, non *Angina*: verùm *Argentangina* correptum Demoſthenem aiebant. Multi temporiſando placentia dicunt. Hinc *Homer. Iliad. 9.*

Hoſtis ille mihi ſimul vſque ad limina Ditis,
Qui ſimulans aliud menti contraria fatur.

Aliud igitur loqui, aliud mente occultare magnarum calamitatum cauſa, ingentiumque familiarum pernicies fuit. Quare & Principes & belli Duces libros legant libere diſſerentes de vita bene, politicèque inſtituenda, deque rebus bellicis ſapienter ſuſcipiendis, & feliciter conficiendis. Et ſi quando nacti fuerint, qui ſalubria ſuadet, licet rara talium meſſis ſit, habeant theſauri loco tantum virum, vti diuinitus ipſis adiunctum. Nam ſi eius conſilia cum pietate, & timore Dei coniuncta fuerint magnam incommodorum molem vel ſolus propulſare poterit, & cùm Principi, tum ipſius ditionis, & Reipublicæ multum proderit. Si verò minus teneatur pietate, nimis magnas vires ad confuſionem ferendam, ad vim faciendam, ad vitia propaganda obtinebit.

At hoc eſt rariſſimum, cùm plerique tantùm ſecundùm carnem ſapientes ſint, & carnalia conſulant, ſicuti *Gilonites Achitophelus* 2. Reg. 15. & Regis Roboami conſiliarij iuuenculi 2. Par 10. Magna ſępè Conſiliariorum perfidia, qui ſuadent Principibus ſuis, non ea quæ pia, honeſta, & ſaluta-

taria ſunt, ſed quæ Principum cupiditatibus arridere ſciunt. Obſeruant quò Principis affectus & voluntas propendeat, atque ad ſcopum illum omnia conſilia atque actiones ſuas dirigunt. Exemplum habemus I. in *Ionadab* filio Simeæ, fratris Dauidis, cùm Amnon filius Dauidis primogenitus ex Archinoe vxore, amore incenſus furioſo, ſororem Thamarim ex alia matre perditè deperiret, ei hoc conſilium dat, vt morbum ſimularet, atque eiuſdem lenocinio ad ſe allectam violenter comprimeret. Quod conſilium, & ſi prima ſpecie blandiebatur ſtultis Amnonis affectibus, tamen exitu erat triſtiſſimum. 2. *Sam.* 13. *v.* 3. II. cùm *Cambyſes* ſecundus Rex Perſarum, ex conſiliarijs ſuis quæreret: An ne liceret ſororem in vxorem ducere? illi reſponderunt: Regi licere quicquid velit. III. *Mardonius* Xerſem quartum Regem Perſarum cupidum gloriæ, & elatum fiducia magnę ſuæ potentiæ, incitauit ad mouendum bellum non neceſſarium. Sed hoc conſilium exitu triſte fuit. Nam *Xerſes* poſt pugnam ad Salaminem in parua cymba è Gręcia fugere coactus eſt: *Mardonium* vir Spartanus interfecit, coniecto lapide in os eius. Hic fuit exitus eius viri, qui præcipuus eius belli hortator fuerat. IV. Mali Conſiliarij *Roboani* adulantes iniuſtis Domini ſui cupiditatibus, occaſionem præbent, non modò diſtractioni duodecim tribuum, ſed etiam nouis idolis & perpetuis bellis ciuilibus 1. *Reg.* 12.

Hinc ſæpius vſuuenit, vt vaius impij vel blandientis Conſiliarij ſuaſu, totam amittat ditionem Princeps, vel ad minimum corrumpatur. Sunt enim illorum orationes inſtar veneni, quod ad inficiendum exhibetur mellitum. Vndè *Politici* quæſtionem mouent: An melior ſtatus ſit Rei-

pu-

publicæ in qua Princeps malus; an verò, in qua Conſiliari Principis ſint mali? Ad hanc quæſtionem reſponderi poteſt ex *Lampridio* qui in vita *Alexandri Seueri* ſcribit: Meliorem ac propè tutiorem eſſe Rempublicam, in qua Princeps malus ſit, quàm ea, in qua ſint Principis amici mali. Nec ſanè ratio deeſt. Nam vnus malus poteſt à multis bonis corrigi: Multi autem mali non poſſunt ab vno, quamuis bono, ſuperari vlla ratione. Exemplis res declarari poteſt. *Saul* Rex impius erat; & tamen *Samuele* vtens Conſiliario, multa fecit, quæ aliàs non feciſſet: vti ex *lib.* 1. *Sam.* patet. Contrà verò nullus tam bonus eſt Princeps, qui non ſeducatur, ſi malos habeat Conſiliarios. Sic quandiu *Ioas* Rex Iuda apud ſe habuit Ioiadem Pontificem, virum ſingulari pietate atque prudentia præditum; res benè ſucceſſerunt Regi & toti regno. Vbi verò illo mortuo deſtitutus fuit Rex viris legis diuinæ peritis, Deumque timentibus, omnia ad ruinam ſpectarunt. Ita *Photinus* Eunuchus, & Ptolomæi iunioris Ægypti Regis Conſiliarius, Regi ſuo de Pompeio M. (à quo Pater ipſius in regnũ reſtitutus erat) recipiendo, deliberanti perfidũ hiſce verbis dedit conſilium:

Nulla fides vnquam miſeros elegit amicos.
Tu colle felices: miſeros fuge. Exeat aula
Qui vult eſſe pius.

Verùm ſophiſticis conſilijs ſuis, & ſibi & tandem Regi, exitium attulit. Hinc rectè *Diocletianum* iam priuatum dixiſſe, *Flauius Vopiſcus* in Aureliani vita refert: *Nihil eſt difficilius, quàm benè imperare. Nam quatuor vel quinque viri ſe colligunt, atque vnum conſilium capiunt ad Imperatorem decipiendum; dicunt, quid probandum ſit Impe-*

Imperator, qui domi clauſus eſt, vera non nouit: Cogitur hoc tantùm ſcire, quod illi loquuntur, facit Iudices, quos fieri non oportebat: amouet à Republica quos retinere debebat. Quid multa? Bonus, cautus & optimus venditur Imperator.

Gordianus Imperator laudabiliter imperium adminiſtrauit conſilio & opera *Miſithei* ſoceri ſui. Nam licet & ipſe *Gordianus* pro ætate quidem ſaperet: tamen ſoceri conſilijs, viri præſtantiſſimi non mediocriter adiutus. Status igitur Reipublicæ bonus & optabilis tum extitit: quòd improbis hominibus, qui Principis animos atque aures occupare pernicioſis ſermonibus, vt fit, ſoliti hactenus fuerant, omnis aditus præcluſus ad Imperatorem eſſet: bonis contrà amicitia eius pateret: idque ſoceri conſilio effectum erat. Quam temporum felicitatem *Miſitheus* ipſe Imperatori per epiſtolam gratulatur: cuius exemplum hoc eſt: *Domino filio & Auguſto* Miſitheus ſocer & Præfectus. Euaſiſſe nos grauem temporum maculam, qua per ſpadones & per illos, qui amici tibi videbantur (erant autem vehementer inimici) omnia vendebantur, voluptati nobis eſt, & eo magis quo tibi gratior emendatio eſt: vt ſi qua vitia fuerant, tua non fuiſſe ſatis conſtet, mi fili venerabilis. Dijs igitur gratias, quòd volente te ipſo, emendata Reſpublica eſt. Delectat ſanè boni Principis eſſe ſocerum, & eius qui omnia requirat, & omnia velit ſcire, & qui pepulerit homines, per quos antea velut in auctione poſitus nundinatus eſt. *Cui is reſpondens* alia Epiſtola, non diſſimulat, anteà ſe quoque iſtorum artibus & calliditate in errorem impulſum, Magiſtratus & honores quibus non debuerit, mandaſſe. Et addit

memoria omnium, maximè tamen Principum dignam vocem: Dijs gratias, quòd te inſinuante, qui nihil vendis, didici ea, quæ incluſus ſcire non poteram. Mi pater verum audias velim: *Miſer eſt Imperator, apud quem vera reticentur*. Qui cùm ipſe publicè ambulare non poſſit, neceſſe eſt vt audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata, confirmet. Hactenus verba epiſtolarum, quæ extant apud *Capitolinum* §. 2. Rectè quoque Veritatem exulare in aulis intellexit *Dux quidam Noricus*, in cuius laudem ſempiternam *Georgius Sabinus* Poeta elegantiſſimus tale concinnauit Epigramma:

Sæpè rudes inter mutata veſte Colonos,
Noricus agricola Dux faciebat opus.
Nunc paſcebat oues, nunc gramina falce ſecabat,
Vomere proſcindens nunc ſubigebat humum.
Et ſimul illato de ſe ſermone rogabat
Plurima nempe quibus moribus ipſe foret?
Iuſtus an exigeret pœnas à ſontibus vltor?
Debita conferret præmia numne bonis?
Quærenti verò cauſam cur Regibus ortus
Princeps, agricolam ſe ſimularet, ait:
Me iuuat è rudibus cognoſcere vera colonis.
Seruit adulatrix auribus aula meis.

Neglectam, atque deriſam *Veritatem* nouiſſimè deplorat eruditiſſimus Author aurei verè Operis *Regale Sacerdotiũ* inſcripti, his nunquã obliuioni tradendis characteribus: *Iaces nunc quidẽ, vel neglecta vel inuiſa; nã fuco & mẽdacijs viuitur. In aulis quot blanditiæ in vultu, quot obſequia in geſtu, quot amores in frõte, quot Syrenes in voce, quot ſcenæ,*

quot

quot larue, quot artes adulantiũ, Veritate proſcripta? Periſt, qui non fallit. In tribunalibus, hoc eſt, in ipſa ara Veritatis, quid aliud tot aduocatis, tot legibus, tot iuribus agitur, quã vt catenatis retrò manibus, Tu Rea, Tu Victa, currum & triumphum fraudis adornes? &c. Manifeſtum eſt igitur, quòd fidelia, ac veridica conſilia ſint nerui corporis politici; & quòd nulla maior peſtis Reipublicæ ſit, quàm mali Conſiliarij. Et contrà: Nullum maius boni Imperij inſtrumentum, quàm boni Conſiliarij. Nam magnum ſanè Principi eſt ornamentum, corona Doctorum atque cordatorum Conſiliariorũ cinctum eſſe. Imò & maximum Principi eſt emolumentum. Quia felicem actionum ſucceſſum præbet, & aduerſarijs metum incutit, & ſubditi libentiùs parent. Vndè *Polybius* ab Euripide ſapienter dictum ſcribit: *Conſilium magnam vincere militum manum.* Cum quo congruit hoc venuſtiſſimum Epigramma:

Nil tam difficile eſt quod non peruadeat, & non
Efficiat docti lingua diſerta viri.
Ancipitri eloquium longè penetrantius enſe;
Hoc rabiem motam ſedat, & arma mouet.

Manlius Torquatus cùm eſſet declaratus Conſul, oculorum valetudinem excuſauit, impudentem dicens & Gubernatorem & Imperatorem eſſe, qui, cùm alienis oculis ei omnia agenda ſint, poſtulet, ſibi aliorum capita ac fortunas committi. Huc *Horatius* ſpectaſſe videtur, cùm inquit:

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus,
Et quæ ipſe ſibi tradit ſpectator.

Similiter & *Antiochus*, allata purpura & diademate:

Age (*inquit*) ex quo hæc indui, heri primùm vera ipſe de me audiui. Sentiens miſeriam in eo eſſe Regum ac Principum, vt rarò admodum verum audiant, & cognoſcant: adeòque malè agi cum ea Republica, in qua plus valet obſequium a urium, quàm Iudicij veritas.

Ludouicus XI. Rex Galliæ hoc ipſemet profeſſus eſt. Illum enim dixiſſe aliquando Hiſtorici referunt, ſe in regno ſuo, & potiſſimum in aula abundare omnibus rebus, vna excepta. Quam verò innueret rem, dum quæreret vnus ex familiaribus aulicis, VERITATEM eſſe reſpondit. Quare prudens & pia eius ad filium in regno ſucceſſorem fuit hæc admonitio: *Ita te gerito, vt Confeſſarij, neceſſarijque & familiares poſſint te liberè admonere mali quod feceris, & docere facta tua.* Siquidem natura humana in his rebus, quæ ad voluptatem pertinent, ad id ſæpius inclinatur, quod ſibi detrimento eſſe ſolet, atque id vnum profuturum putat, quod ipſa cupit perficere: hincque reuera in fraudem inducta, neque quid conducat, ſolertia proſpicere, neque periculis admonita, vel moleſtiam animi diſcere, vel ad id quod decet, redire poteſt. *Ouuenus lib. 4. Epigr.* Regum ſtatum miſerrimum binis his verſibus depinxit:

Dum non vult alter, timet alter dicere verum
Regibus. O miſerum Regis in orbe ſtatum.

Rarò habentur Zopyri, quorum vnum & integrum ſe malle dicebat *Darius*, quàm centum capere Babylonas. Agamemnon non Achillis aut Aiacis: verùm Neſtoris decem ſimiles optabat, quo facilius potiretur Troia. Et Xerſes Perſarum Rex in tot mille millibus armatis præter Damaratum reperit nullum, à quo amicius & liberius moneretur.

Fal-

Falluntur ergo, qui Veritate, & dicendi libertate gratiam Principum amitti exiſtimant, cùm magis eam demereantur, ij præſertim, quibus ineſt laus virtutum cæterarum. Teſtis eſto *Fliſcus* Cardinalis, qui cùm ſe *Iulio II.* tum in eius electione, tùm deindè in ipſo Pontificatu, ſæpè vt res poſcebat, oppoſuiſſet, & quidem acerrimè, tamen tantùm abeſt, vt damnum vllum acceperit, vt inſuper ab eo ipſo ditatus ſit reditu ſeptem millium aureorum: quin etiam tanto in pretio habitus, vt ſcriptum ſit, conſequutam eſſe communem hominum opinionem, non poſſe bonum Cardinalem non amari à Pontifice etiam non bono. Hinc conſtat, dicendi libertate, non modò nihil perdi, ſed ſæpè etiam non minimum lucrum acquiri, vt prædicto exemplo, aliiſque obſeruauit nobiliſſimus Scriptor *Hieronymus Platus* libro illo quem ſcripſit de officio Cardinalium ad fratrem *Flaminium* Cardinalem. Immò inquit, perdent fortaſſe, & meritò, qui Pontifici, aut alijs Principibus reſiſtunt ob aliorum Principum gratiam, aut ſtudium partium, vel ob aliquam propriam commoditatem. Qui verò amore Iuſtitiæ, aut religionis, bonique communis id facit, ſi præſertim reliquæ etiam vitæ teſtimonium conſentiat, potius, vt dixi, multum acquiret. Tantus eſt enim innocentiæ, & integritatis ſplendor apud omnes homines, modò ratione præditos, vt in quocumque ea ſit, eum amabilem reddat, atque etiam hoſtem conciliet hoſti, non modò Cardinalem Pontifici, Conſiliarium Principi. Atque hoc etiam eò magis valet, cùm non quaſi repentino aliquo impetu quiſpiam in hac veritatis, & libertatis profeſſione longo iam vſu ſenuit, idque iamdudum cœpit præſeferre, eamque voluntatem per-

petua conſtantia roborauit, & ſemper in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanſit. Id enim auctoritatem etiam neſcio quam affert, & licentiam dicendi quidquid oporteat, omnium permiſſu, atque etiam cũ approbatione, & laude.

Quo magis deploranda eſt præſens ætas, in qua maximè, *videmus* (ſunt verba *Plin. in Paneg.*) *Curias elingues, in quibus dicere quod velis, periculoſum; quod nolis, miſerum eſt*. Prorſus ſanè boni & laudabiles, & ſupra aurum à Principibus æſtimandi, qui excuſſo omni metu, liberè pariter, & modeſtè in conſilio ſententiam ſuam promunt, veluti *Theodorus* ille Ammiani, qui *ſolus penè omnium erat, cuius linguam non effrenem, ſed deſpicientem quæ loqueretur, nullus claudebat periculi metus*. Tali optarim zelo eſſe præditos nedum Conſiliarios, ſed & eos, qui à Confeſſionibus Principum ſunt: quorum certè taciturnitas, non ſibi tantùm, ſed & Principibus plerumque damnoſa eſt. Meminiſſe deberent conſtitutos ſe eſſe, *Speculatores*, & *Buccinatores* verbi Domini. *Si dicente me* (inquit ad Ezechielem) *ad impium; morte morieris: non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt auertatur à via ſua impia, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram*. Ac ſi apertè dicat (*inquit Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus apud Baron. Tom. 9. anno* 740.) Si ei peccata ſua non annunciaueris, & ſi eum non argueris, vt conuertatur, & viuat; & te qui non increpaſti, & ipſum qui te tacente peccauit, flammis perennibus tradam. Cui enim diſpenſatio verbi commiſſa eſt etiamſi ſanctè viuat, & tamen perditè viuentes arguere aut erubeſcat, aut metuat, cum ijs omnibus, qui eo tacente perierint, condemna-

demnabitur. Et quid ei proderit, non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato? Notent igitur iſta, quibus animarum cura Principum incumbit, caueantque proindè, nequid diſſimulent, neuè Gratijs litent, quod Vulgus Aulicorum prauo more ſolet. Etenim ille demùm bonus eſt, & præconio dignus Principis miniſter, qui nullo metu, nec proprio permotus commodo, ſuam liberè ſententiam profert. Et ſanè, ne quidquam metu abſterrentur pleræque timidæ mentes: quia tantùm abeſt, vt in offenſionem Principis hac monendi libertate incurrant, quin potius gratiam eius acrius foueant, magiſque ac magis eam demereantur, vt ſupra oſtendimus.

Plerumque etiam accidit, quòd ipſi Principes nolunt audire ac intelligere veritatem. Exemplum habemus in *Cambyſe* Rege Perſarum, qui cùm nimium eſſet vino deditus, *Prexaſpes* ex chariſſimis eius vnus, fretus familiaritate regia, illum admonuit, vt parciùs & moderatiùs vino vteretur, quod Regi turpe foret, in quem omnes coniectos haberent oculos, ebrietate agi. Hac libera ac fideli admonitione adeò *Cambyſes* excanduit, vt non modò non abſtinuerit, ſed liberaliùs capacioribuſque quàm aliàs ſcyphis cùm bibiſſet, adduci ſibi iuſſerit, ab ipſo monente Prexaſpe, filium, in quem Rex arcum intendens, ipſius filii cor ſagitta transfixit. *Vide*, inquit, *an Regis ebrij certa ſit manus & oculus*. At miſeria ingens, imò furor execrandus eſt Magnatum, ſi VERITATEM audire nolint. Hoc namque ſignum eſt irati Numinis ſanam illis mentem auferentis, ſicut *Lycurgus* in Oratione ſua contra Leocratem pulcherrimè ait:

Ira-

Digitized by Google

Iratus ad pœnam, ſi quos trahit Deus
Auferens mentem talibus primùm ſolet,
Caliginemque offundit, vt ruant ſuas
Furentur in clades, ſi quas noxij
Accerſierunt vltrò conſilijs malis.

Salutare igitur erit Principibus, ſi libenter audiant Veritatem; quamuis vulgatum ſit in mundo: *Magnates Veritatem audire non amant.* Et: *Aulæ non ferunt liberas monitiones, multò minus reprehenſiones.* At non ita ingeniati ſint Reges & Principes: libertatem loquendi concedant Dei Miniſtris, atque Conſiliariis ſuis, nec ament aulæ verba illa byſſina, vti *Plutarch. in Apophth.* inquit. Contrà autem Aſſentatores velut diram peſtem oderint, atque fugiant, quia Regum opes ſæpius aſſentatio, quàm hoſtis euertit. *Curt. lib.* 8. Caueant tamen Principes, ne dum vitant vitia, in contraria ruant, ſcilicet, ne delatoribus aures temerè præbeant, iiſque facilè credant. Qui enim facilè credit, facilè decipitur, ſecundùm illud tritũ ſermone vulgi prouerbium. Hinc *Apollonius Thyanæus* rogatus à Rege Babylonis, quonam pacto tranquillè, tutoque regnare poſſet, ſimpliciter reſpondit: *Si multos honoraueris, paucis verò credideris.* Semper ob oculos ſibi ponant Emblema *Epicharmi*:

Μεμνησο ἀπιςεῖν: *Memento diffidere.* Namque
Res mihi fracta, fide: Res diffidendo, retenta.

Probè hoc ipſum conſiderabat *Alexander M.* qui, quando delatores alios delationibus apud ipſum inuoluebant, alteram aurem obturare ſolebat, dicens: *Se alteram aurem reo vel accuſato reſeruare.*

Quamobrem cùm viri Principes ſæpius habeant à conſiliis

filiis doctiſsimos: at in conſiliis dandis, præſertim in rebus arduis ac formidoloſis timidiſſimos, mortui, ſine adulatione rectiſſima quæque quam fideliſſimè monſtrantes, ſunt conſulendi, in quorũ ſcriptis tanquam in ſpeculo poſito intuemur res geſtas fortiſſimorum, ad quas in adminiſtratione & mentem conformare, & noſtra conſilia dirigere valeamus. Obuijs itaque vlnis illorum ſanè ac ſapienter monita amplectantur, & deoſculentur Viri Heroes. Nam hoc illud eſt præcipuè, teſtimonio *Liuij Dec.1.lib.*1 in cognitione rerum ſalubre & frugiferum: *Omnis te exẽpli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, vnde tibi tuæq; Reipublicæ quod imitere capias: vndè fœdũ incœptu, fœdũ exitu, quod vites.*

Etſi verò muti Doctores naturam & affectus acerrimos prorſus mutare nequeant: tamen latentem quandam energiam habent, vehementiã animi reſtringere, affectus vitioſos reprimere, oculos, aures, linguam & manus ipſas flectere, vt fiant manſuetiores aliàs ſua natura ferociſſimi, & diſcant vitare aberrationes in cõſultationibus. Et hic præcipuus vſus & fructus eſt ſapienter dictorũ, atque ſcriptorũ. Nam præteritorũ exemplis informamur, & cùm quid ſequendũ, tum fugiendũ, tum quid ad degendum vitam conferat, monemur.

Alexander M. tanti fecit bonarum & laudatiſſimarũ diſciplinarum ſtudium, vt apertè pronunciare dignatus ſit, ſe male doctrina anteire alios, quàm opibus & dignitate. Iliadẽ Homericam virtutis bellicæ viaticũ nominare ſolebat, quã adeò in delicijs habebat, vt eã ſcrinio, auro, gemmis ac margaritis artificioſè perpolito condebat, atque vna cũ pugione ſubſtratam puluino cuſtodiæ dabat. Hic idem ille Heros ab Harpalo mitti curauit medios inter armorum ſtrepitus, Sophoclis, Euripidis atque Æſchyli tragœdias, cum libris Phi-

Digitized by Google

ſisti, ac Philoxeni, ſecundùm quorum ſapienter monita ſua regebat conſilia, rerumque dubiã viciſsitudinẽ indè colligebat, vel euitandam, vel cum forti patientia ſuperandam.

L. Lucullus rei militaris planè rudis ad Mithridaticam expeditionem à Senatu miſſus, lectione rerũ præclarè geſtarũ, & peritorum conuerſatione optimus Imperator factus, talem ſe in illo bello geſſit, vt ipſe Mithridates fateretur à ſe maiorem poſt Alexandrum non cognitum eſſe ducem.

Dux *Philopœmenes* præter libros de ordinibus militaribus, geſta Alexandri die noctuque de manibus nunquam deponebat, non vt de ijs otioſos haberet ſermones, verùm in magnis deliberationibus conſilium peteret.

Auguſtus Cæſar, Tranquillo teſte, ex vtriuſque linguæ ſcriptoribus excipere ſolebat, ad Rempublicam adminiſtrandam quæ pertinebant.

Ptolomęus Philadelphus hortatu Demetrij Phalerij quoſcumque de regno conſcriptos libros peruoluit, vt ea indè hauriret, quæ Reges admonere amici vererentur.

Vlpius Nerua Traianus Plutarchũ à latere nunquã dimiſit, vt ſecundũ ipſius conſilia omnes actione ſuas dirigeret.

Achilles Phœnicem Homericum familiariſſimum habuit vt ab eo rerum adminiſtrandarum rationem cognoſceret.

Scipio Africanus Panætiũ & Polybiũ, homines omni literatura clariſſimos, familiares Comites & Cõſiliarios habuit.

Hercules quamuis magna vi ingenij præditus erat, & in eo acres ad virtutẽ impetus elucebant: tamen adoleſcens literas ac Muſicã didicit, & ſeneſcens Athlantis doctrinæ de ſiderũ motibus ſtudioſiſſimus fuit. Taceã hic Scipiones, Craſſos, Marcellos, Antonios, Lucullos, Hortenſios, Brutos, Fabios, Cicerones, Romanæ Reipublicæ columina. Taceã Gręciæ

ciæ lumina, Epaminondã, Temiſtoclem, Demoſthenem homines literatiſſimos, qui non ſolùm eruditionis encomio nobilitati, verũ bellicis laudibus mirũ in modũ commendati ſunt. Quis neget nullũ melius ad dignius imperare, quã literatum? ſicuti à S.P.Q.R. in laudẽ Taciti Imperatoris acclamatũ fuit. Quippè cùm conſtet ſæpius labantes reſpublicas ſapientũ ratione & oratione erectas, & in integrum reſtitutas fuiſſe, ſæpius in fugã conuerſos ac deficientes exercitus eorũdem voce reuocatos. Quòd de Demoſthenis grandiloquentia Philippum Macedonem gloriari legimus, quando dicebat, ſe magis illam reformidare, quàm Athenienſiũ exercitus, arietes, catapultas, alioſque belli apparatus.

Valerius ſuauiloquentia ſua plebem à patribus ſeditiosè diſſentientem ad ſanitatem reuocauit & vrbem vrbi iunxit. Et quis neſcit M. Antonij blandiloquentiam, qua milites ad ipſum obtruncandum miſſos à Mario & Cinno, deterret ab imperata cæde, & vt diſtrictos gladios vaginis redderent, verbis cogit. Miles Lacedæmonicus Tyrtæi verſibus inflammatus, fuſis Meſſenijs glorioſam victoriam reportauit.

Quid dicam de Philoſophis & hominibus eruditiſſimis, qui bellicis laudibus claruerunt? Socrates, Xenophon, Demoſthenes, Plato, Cicero apud Iſſum Imperator ſalutatus vt ipſe ad Atticum ſcribit, Reſpublicas & ciuibus in bellis periculoſiſſimis non inutilẽ præſtiterunt operã. In ſumma, ſoli literati & Mineruæ ſapientia clari, modum rectè norunt, quomodo populi ſint regendi, vrbes expugnandæ, hoſtes repellendi, iniuriæ illatæ æquo animo accipiendæ & reponendæ. Quomodò, inquã, hominũ inter ſe diſſentientiũ animi ſint conciliandi, & quocumque prout magis conducat, flectendi, vt non minus verè, quàm præclarè dixerit Cicero, ſe omniũ

malorum radicem ſtirpitus Philoſophia extracturum eſſe. Proindè verè regia vox Alexandri M. hæc fuit: *male ſe diſciplinis antecellere, quàm opulentijs*. At Arragonum Alphonſi Regis: *Male ſe perdere quæ poſſidebat omnia, quàm vt tantillum eruditioni ſuæ decederet*.

Carolus IV. Romanorum Imperator in ſcolam Pragenſem aliquando ingreſſus, cùm diſputantes Philoſophos per quatuor horas audiuiſſet, purpuratis ſuis id ægrè ferentibus, & cœnæ tempus inſtare annuentibus, *Mihi* reſpondet, *tempus eſt minimè: nam hæc mea cœna eſt*.

Ludouicus XII. Gallorum Rex potentiſſimus, Ticini Iaſonis ICti auditorium ingreſſus, atque ſtudioſis immixtus conſedit, & docentem Iaſonem per horam audiuit. Poſt lectionem verò ſibi à latere comitem Iaſonem eſſe voluit, tecto capite, quem toga aurea donauit.

Franciſcus I. Rex Galliæ magna cum laude idem fecit: Quo nemo ſuo ſæculo artes liberales omnes vehementius amauit, aut liberaliùs proſequutus eſt, & prandens, atque cœnans, ſẽper loquebatur de literis, ſicuti ſcribit *Sleidan. lib. 9*.

Vehementer itaque errant, qui regiũ non eſſe putant diſcere literas Principũ ſoboles, vti olim Regis Galliæ Conſiliarium quendã reſpondiſſe fertur, ſufficere Regibus ac Principibus literatos habere à latere & conſilijs. Quod reſponsũ Rex aiebat *bouis eſſe non hominis*, addens, *nobiles & diuites ſine literatura eſſe vellus aureũ, & Reges illiteratos eſſe aſinos coronatos*. Eos non eſſe homines, qui literas ignorarẽt, Hũgariç ac Bohemiç Rex Ladiſlaus cũ Romç verſaretur dicere ſolebat. Nam ſola ſcientia perfectos reddi vno ore fatentur omnes.

Perſæ vt habeant Reges omni virtutum genere & literaturæ

turæ claros, quatuor futuro Regi adhibere ſolent Doctores; vnũ,qui in iuſtitię præceptis ſeu legali ſcientia eũ inſtituat. Alterũ,qui veritatẽ doceat. Tertiũ,qui ad temperantiã moneat. Quartum,qui in exercenda fortitudine ei calçar addat.

Maximilianus Imperator quando Philippi ſui filium Carolum præceptori commendabat, dicebat grauiter: *Turpe eſſe magno Principi neſcire literas*.

Sigiſmundus Imperator cùm à Principibus qui literas oderant, reprehenderetur quòd homines obſcuro genere natos ob literarũ ſtudia foueret; *Quid ni*,inquit, *amẽ eos, quos natura cæteris antecellere voluit?* Alij plurimum tribuunt generis nobilitati:at Cæſar prudentiſſimus intellexit,in eruditis eſſe quiddam ſtemmatis præſtantius; illi habent ædium parietes clypeis & imaginibus depictos, hi animum optimis diſciplinis exornatum. Porrò vt natura animus præſtantior eſt corpore: ita ornamenta ingenij longè pulchriora ſunt externis bonis. At hìc amplius non exaggerabo vim,virtutẽ & facultatem linguarum & ſapientiæ: nec in cumulandis exẽplis ero occupatus. Nam citius me tempus deficeret, quàm verba huic negotio inſeruientia. Vnico tamen dicam verbo, laceras illas eſſe Reſpublicas & citò ruituras *Ciceronis* teſtimonio, vbi literati à conſilijs ſunt excluſi, & literis imbuti nõ imperent,nec ſcholarũ & Muſarũ habeatur ratio. Id quod optimè Mitylenæi intellexerunt, præcipuã nimirum eſſe in Republica vim literarum, vel hinc indè apparet, quòd populis à ſe bello deuictis pœnam aliam vllam irrogarent, quàm ne liberos ſuos literas edocerent.

Hoc intelligant Principes ſuum primarium officium eſſe, ſcholas benè fundare, & laudabiliter conſeruare. Nã ſcholæ ſunt ſeminaria Eccleſiæ & Reipublicæ. Sicut autem hortus

opti-

optimè cultus, & feraciſſimis arboribus vberrimè conſitus, ætatem ac perennitatem obtinere nequit, niſi in ſeminarijs, quæ ita vocant, ac plantarijs, tenellæ educētur ac formentur arbores, quæ in locum vetuſtate marcidarum ac emortuarū olim ſuccedāt: Ita ſtatus Eccleſiaſticus & Politicus, diu ſaluus & incolumis conſeruari nequit, niſi in ſcholis formentur & educentur, qui alijs tum Eccleſiæ Miniſtris, tum Viris Politicis morte abreptis ſubrogentur. Ament igitur pij Reges & Principes literas & Viros literatos. Nulla enim maior, aut ſolidior hiſce in terris gloria paratur, quam ſtudijs pietatis & artiū liberalium, quibus Dei præpotentis gloria illuſtratur, & ſalus ſubditorū promouetur. Magnum enim decus & ornamentum eſt Principum, & perſonarū illuſtrium, ſi literis & artibus liberalibus ſint imbuti. Quemadmodum enim poma in patera argētea ſunt cōſpectiora: ita Principes literati ſunt conſpectiores, & multò illuſtriores. Etenim virtus & eruditio tā benè conueniunt cum nobilitate, & illuſtri dignitate, quàm benè gēma auro includitur, & roſæ lilijs intextuntur. Hinc *Æneas Syluius* pulchrè dixit: Plebeis argenti, Nobilibus auri, Principibus gemmarum loco literas eſſe debere.

Huc ſine dubio reſpexit *Iuſtinianus* Imp. quando Inſtitutiones Iuris ita orditur: *Imperatoriam Maieſtatē non ſolùm armis, ſed etiam legibus armatam eſſe oportet, vt vtrumque tempus, & bellorum, & pacis rectè gubernare poſſit: & Princeps Romanus non ſolū in hoſtilibus prælijs victor exiſtat, ſed etiā per legitimos tramites calumniātiū calamitates expellat. Hiſce enim duobus nititur Orbis, nempè vt à literis adiuuentur arma, & ab armis literæ ſuſtineantur.* Idem ſibi vult *Imago C. Iulij Cæſaris* in ſymbolis *Paradini*. Inſiſtit ea mundi globo, atque altera quidem manu gla-

gladium, altera verò librum tenet, cum hac inſcriptione: *Ex vtroque Cæſar*. Quæ enim Cæſar interdiu armatus gerebat, ea noctu togatus puriſſimo dicendi genere conſcribebat. Huc pertinet pulchellum illud Diſticon:

Fert fluuium tranans ſua Commentaria Cæſar,
Nec ſua ne pereant, ipſe perire timet.

Fridericus II. Imperator fuit dictus πολυγλωττ© et lectioni fuit deditiſſimus; Is dexterè iudicauit, non regi rectè poſſe populum abſque doctrinæ & virtutis adiumentis, quæ ex libris doctorum hominum haberi poſſunt certiſſima.

Alphonſus Rex ſapientiſſimus, percunctantibus, vtri rei ſe debere plus fateretur, librisue, an armis? *Ex libris*, inquit, *& arma, & armorũ iura didici*: hac voce profeſſus eſt, ſe libris accepta ferè omnia, prudentiſſimus & potentiſsimus heros, qui fuit Rex, Regis filius, Regis nepos, & Regis frater. Ita animaduertit fructum bonarum artium, & facilè colligere potuit, quàm infinita mala ex illarum iactura oriantur. *Æneas Syluius in vita Alph.*

Robertus Rex Siciliæ: *Sic eſt*, ait, *vita hominũ, ſic ſunt iudicia, & ſtudia, & voluntates variæ. At ego curò dulciores & multò rariores mihi literas eſſe, quã regnũ: et ſi alterutro carendũ ſit, æquanimius me diademate, quã literis cariturũ.*

Conſultò breuitatis ac modeſtiæ cauſa omitto plura exẽpla Principum illiteratorum, qui ſæpenumero non laudem, ſed labem, & irriſionẽ ſibi acquiſiuerunt. Nam ſcimus *Neroni* probro datũ fuiſſe, quòd Orationem à *Seneca* emendicaſſet, quo die pro Roſtris *Claudium* defunctũ laudare debebat. *Adnotabat Seniores*, inquit Tacit. 13. Annal. *quibus otiũ eſt vetera & præſentia contendere, primùm ex ijs qui rerum potiti eſſent, Neronem alienæ facundiæ eguiſſe. Nã Dictator*

Cæ-

Cæſar ſummis Oratoribus æmulus, & Auguſto prompta ac profluens, quæ deceret Principē, eloquentia fuit. Tiberiū autē quoque callebat, qua verba expenderet, tū validus ſenſibus, aut cōſulto ambiguus. Etiā C. Cæſaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata diſſereret, elegentiā requireres. NERO puerilibus ſtatim annis viuidū animum in alia detorſit. Cælare & pingere, cantus, aut regimen equorum exercere; & aliquando carminibus pangendis ineſſe ſibi elementa doctrinæ oſtendebat.

Multū itaque iuuabit ſi noſtri ſeculi Principes filios ſuos optimis Magiſtris erudiēdos tradent, vt illos efficiāt Oratores verborū, actoreſq; rerū ſicut *Phœnix apud Homerū* inquit:

. . . . comes atque Magiſter
Sum datus, vt præcepta tibi, rerumque bonarum
Verborumque darem; rebuſque vt fortis agendis
Eſſes, & verbis poſſis Orator haberi.

Cæterum quia *primus diſcendi ardor*, inquit D. Ambr. lib. de Virg. *excellentia eſt Magiſtri*, omninò videndum eſt quibus Præceptoribus, Principis tener animus committatur; ne nimirū hominibus maculoſis: quoniam teſte Boet. Diſc. ſchol. *Nulla res diſcipulo tā pernitioſā, quàm vita Magiſtri contumelioſa. Inquirendi itaque filijs Præceptores* tradit Plutarch. de liberis educ. *quorū vita nullis obnoxia criminibus, irreprehenſi mores, & optimum experimentum.*

Ea propter *Theodoſius* Imperator cùm Arſenio filios in diſciplinam tradidiſſet, ſempiterna memoria dignum, & verè Imperiale illud proloquutus eſt: *Si tales ſe præbituri eſſent vt mores vitamque ſuam ad diſciplinā & leges Dei componerent, propensū ſe fore, vt ijs Imperiū in manus tradat ad ciuiū & ſubditorum commodum & vtilitatē accommodatum.*

tum. Sin minus,conducibilius ijs eſſe,vt ſic priuati vitam agerent,quàm doctrina nulla cum periculo imperarent. Niceph.lib.11.c.23 Sed & illud memoratu dignum, quod de eodem ex Metaph.narrat *Baronius* ad annum Chr.383.Cũ quondam ingreſſus ſcholas vidiſſet *Theodoſius* Arſenium ſtantem,*Arcadiumque* auditorem ſedentem, indignatus eſt quòd magiſterij gradũ parùm decorè ſeruaſſet,cùm ſtans ipſe doceret;*Arcadius* verò filius ſedens addiſceret.At verò cùm *Arſenius* ſe excuſaret, diceretque haud decere ſedentem ſe docere Imperatorem,indignatione illa commotus, abſtulit ei Imperatoris inſigne,ſedereque in throno Arſenium compulit,filium verò detecto capite auditorem profiteri, illud inculcans, tunc prolem ſuam verè Imperio dignam, ſi cum ſcientia æque imbuta fuerit pietate.

Hæc Exempla pij Reges & Principes ſemper ob oculos ſibi ponant, in quæ intuantur,quantum ipſis ſint neceſſariæ literæ,& cogitent,viros doctos & ſapientes ſibi non tantùm vtiles,quos conſilijs ſuis & deliberationibus adhibeant, ſed etiam neceſſarios eſſe, quippè quorum opera carere non poſsint.

Scientiæ ſoboles erit IVSTITIA,quæ omnium Domina, & Regina virtutum eſt,Principumque magiſtra, atque moderatrix, ſine qua Reſpublica haud diu ſtare,vel adminiſtrari poſsit,optima ſunt tùm Græcorum,tùm Romanorũ teſtimonia. Immò legibus tùm diuinis,ijſque quæ naturæ congruunt: tùm Eccleſiaſticis, tùm etiam ſuis quæ in contractũ abierunt, Principes obligantur. Ideòq; Plato Philoſophorũ ille Princeps, *Iuſtitiam* nominat ἔρμα πόλεων, h. e *Fulcrum Ciuitatum*: Ariſtoteles verò,*Præſtantiſſimã omniũ ciuitatũ*: Hinc M. Cicero verè concludit: *Fundamentum perpetuæ*

commendationis & famæ Iuſtitiam eſſe, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Verùm vt in hunc Iuſtitiæ campum nonnullos Romanos producã Imperatores, ad duo tantùm me perſtringam, *Tiberij Conſtantini* videlicet, & *Traiani*. Primi extat præclare elogiũ, iam morituri, & Imperium Mauritio genero tradentis: *Sit tibi*, inquit, *Imperiũ cum hac puella filia conceſſum; vtere eo feliciter, in mente habens æquitatem ac Iuſtitiã, præcipua eſſe optimi Principis inſignia.* Aimon. 3. de geſt. Franc. c. 35. Nihil verius dici, aut excogitari potuit. Conſimili animo *Traianus* Imperator Iuſtitiam & æquitatem plurimum cõmendare ſolitum legimus: hiſque potiſſimũ virtutibus Principes cæteris excellere debere dictitabat; quarum & ipſe dum Romanũ gubernaret Imperiũ, ſtudioſus adeò fuiſſe fertur, vt aliquando enſem ſtrictũ Præfecto Prætorij in conſpectu omnium dederit, atque dixerit: *Cape ferrũ hoc, &, ſiquidem rectè Imperiũ geſſero, pro me; ſin aliter, contra me hoc vtare.* Niceph. 3. hiſt. c. 32. Omni etiam ſtudio incumbant Principes, ne iniuſti Iudices contra ius & æquum ſententias pronuncient, de quibus quidem Pſeudopoliticus tale Epigramma concinnauit:

Non ideò calcabis equum, quia feceris Æquum:
Æquum qui faciunt, bis malè currit equus.
Æqui hoſtes vectantur equis, pedes ambulat Æquus:
Ergo ſperne Æquum, ne tibi deſit equus.

Præſertim autem Reges, atque Principes, iniuſtos Iudices & δωρωφάγυς, qui nonniſi pecunia interueniente ius dicunt miſeris ſubditis, grauiter vindicẽt. Peſtes ſunt huiuſmodi homines Regionum & vrbiũ. Olim *Mulctores Reipublicæ* vocabantur, quòd populi pecunias emulgerent. Rectè! Patet hoc ipſum ex colloquio corrupti Iudicis cum ſuo corruptore.

Heus

Heus aperi. *Tu quis*? Tuus eſt? *Quid quæris*? Vt intrem.
Fers aliquid? Non. *Eſto foris*. Fero. *Quid*? Satis, *Intra*.
Quid fers? Oua. *Quid ille*? Capos. *Quid tertius*? Agnum.
Nemo magis? Sunt qui adducunt: *Quid*? Cũ boue porcũ.
Vos laudo: Tamen hi forſan plus iuris habebunt.
Dic quare? Oua, capos, ſus, bos, malè perdit & agnum.

Facilis ſit ad Vos ingreſſus, pateant aures, omnes abſque acceptione audiantur. Memores eſtote legis *Conſtantini* Imperatoris *l. 1. C. Theod. de rect. prouinc.* Is enim nedum fores ſuas cunctis patulas eſſe voluit, verùm etiã vt ad Officiales, Præſideſq; ſuos liberi itidem vt eſſent aditus, ſancita lege procurauit: *Non ſit*, inquit, *venale Iudicis velum, non ingreſſus redempti, non infame licitationibus ſecretariũ, non viſio ipſa Præſidis cum pretio. Æque autem iudicantis pauperrimis ac diuitibus referentur*. Neque hic ſilentio prætereundũ eſt exemplum SS.D.N.D. *Innocentij XII.* Pont. Max. feliciter regnantis, qui vna aut altera hebdomada in audientia publica omnes pauperes & egenos benignè admittit, præſentia recreat, & pietate fauet, quaſi ipſi dictum & commendatum ſit illud, quod Q. Ciceroni Marcus frater ſuggerit, nempe: *Facillimos eſſe aditus ad te: patere aures tuas querelis omniũ: nullius inopiam ac ſolicitudinem, non modò vllo populari acceſſu ac tribunali, ſed ne domo quidem tua, & cubiculo excluſam tuo: toto denique in Imperio nihil acerbum eſſe, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, manſuetudinis, humanitatis.*

Caſtigandi certè, & ſcutica digni canes iſti aulici (de malis, ſi qui ſunt, loquor) qui hoc palato ſunt, vt neminem vnũ ad herũ admittant, niſi ſibi mellitæ ſimul & auratæ offerantur offæ. Talis fuit quondam *Zoticus* quidam amicus *Helio-*

gabali Imper.teſte Spartiano;& *Suillus* Claudij, quẽ prepotentem iuxta ac venalem fuiſſe Tacitus ſcribit, & Principis ſui amicitia diù proſperè,nunquã bene vſum. Talis denique fuit *Sebaſtianus* præpotens *Zenonis* Imper.aulicus,vt qui in Regia nihil quidquam ſine pretio ſineret confici. Nã & Magiſtratus vendebat omnes,pretio tùm ſibi reſeruato, tũ Imperatori communicato;quòd ſi quis acceſſiſſet,qui paululùm quidquam adijceret,is præferebatur;In toto denique Palatio nihil erat rerum omniũ,quod venale non eſſet. Quòd ſi *Zeno* Magiſtratum aliquem ſuis familiaribus contuliſſet, ipſe mancipis inſtar,eum ab illis redemptũ pluris vendebat alijs, *Zenoni* furta præbens. Hoc eſt peculiare Principibus Turcarum, vt ſine muneribus,eorũ ianua nequaquam pateat alienigenis. Sed heu miſeriã! etiam aliquibus Aulis Principum Chriſtianorũ error hic inuenitur;atque adeò tales fumi venditores puniantur eadẽ pœna, qua mulctatus fuit *Vetronius Thourinus* ab Alexandro Seuero,Principe alioqui Ethnico: quippè quem, detectá eius inexplebili auaritia & fraude, ad ſtipitem alligari iuſſit, & fumo appoſito, quẽ è ſtipulis & lignis humidis fieri iuſſerat,necauit, præcone dicente: *fumo punitur,qui fumum vendidit*. Medeantur huic malo Principes:malo quidem,quod ita inualuit in ipſo orbe Chriſtiano, vt non putem ferè Aulã eſſe,quin altum ſe iam in illã penetrarit. O peſtes,peſtes Principum & Rerũpublicarũ: Pellent à ſe obſecro Principes tales miniſtros,etenim, qui non vetat peccare cùm poſsit,iubet. Laudandi quidẽ ſanè Principes illi,qui edictis ſuis tollunt à ſe ſordes iſtas: Nam ecce,Iuſtitia alioquin per eas euertitur. Deindè beneficij gratia ſubtrahitur: quod beneficiarij non tã Principi,quàm ſuffragatoribus aulicis beneficium ſeu dignitatem acceptam ferunt. Id quod

pru-

prudentis Principis ſummoperè præcauere, nemo non videt. Scimus nonnullos Reges Galliæ, qui originē à *Carolo Magno* ducunt, regno pulſos fuiſſe, hanc vnā ob cauſam, quòd ſcilicet paterentur officia per Palatinos elargiri. Taceo, quòd conferendo prædicto modo Magiſtratus, merita (quæ alioqui ſemper attendenda) non conſiderentur. Quòd vt præcaueret *Franciſcus II.* Galliæ Rex, ſtatim primis regni auſpicijs (Franciſco Oliuario ſuaſore) legē tulit, qua, vt iudices ſpectatæ integritatis, & eruditionis in ſupremis regni Curijs, & inferioribus ſubſelijs conſtituerentur, edicebatur, vt impoſterū penes ipſos Iudices ius eſſet, tres probitate, & iuris ſciētia conſpicuos nominandi, ex quibus quem vellet Rex deligeret. Verùm, quominus optimū edictum locum habuerit, aulicorum ambitione, & auaritia effectum eſt, qui emolumentū ex muneribus publicis, ac dignitatibus, pretio irreligiosè æſtimatis, & turpiter diuenditis captantes, ad augendū (ſicut iactabant) Principis ærarium, prauis edictis Iudicum numerū in immenſum multiplicarunt. Et ita clariſſimus ordo, quem honorificū ſeruari ad omnes regni ordines in officio continendos Reipublicæ intererat, paulatim cœpit vileſcere, gliſcente ſordium veneno, quo indigni homines, nullis meritis, ſed opum fiducia, aut aulicorū beneficio, ad eos honores prouecti, facilè ſe corrumpi paſsi ſunt. Quid multis? multis retrò actis ſæculis ab eadem cenſura prædicatur *D. Ludouicus*, qui inter ſalutaria præcepta, quæ *Philippo F.* regni ſucceſſori dedit, eum inſuper monuit, vt ad Sacerdotia, ſeu beneficia Eccleſiaſtica bonos tantùm, & optimè meritos per ſeipſum, & quidē conſultò nominaret. Sciebat vir diuino afflatus ſpiritu, vbi officia, & ſacerdotia indignis conferuntur, interturbari ciuilem politiam, ideſt, qua ſola hæc ſuſtentatur,

Digitized by Google

Iratus ad pœnam, ſi quos trahit Deus
Auferens mentem talibus primùm ſolet,
Caliginemque offundit, vt ruant ſuas
Furentur in clades, ſi quas noxij
Accerſierunt vltrò conſilijs malis.

Salutare igitur erit Principibus, ſi libenter audiant Veritatem; quamuis vulgatum ſit in mundo: *Magnates Veritatem audire non amant*. Et: *Aulæ non ferunt liberas monitiones, multò minus reprehenſiones*. At non ita ingeniati ſint Reges & Principes: libertatem loquendi concedant Dei Miniſtris, atque Conſiliariis ſuis, nec ament aulæ verba illa byſſina, vti *Plutarch. in* Apophth. inquit. Contrà autem Aſſentatores velut diram peſtem oderint, atque fugiant, quia Regum opes ſæpiùs aſſentatio, quàm hoſtis euertit. *Curt. lib.* 8. Caueant tamen Principes, ne dum vitant vitia, in contraria ruant, ſcilicet, ne delatoribus aures temerè præbeant, iiſque facilè credant. Qui enim facilè credit, facilè decipitur, ſecundùm illud tritũ ſermone vulgi prouerbium. Hinc *Apollonius Thyanæus* rogatus à Rege Babylonis, quonam pacto tranquillè, tutoque regnare poſſet, ſimplicitèr reſpondit: *Si multos bonoraueris, paucis verò credideris.* Semper ob oculos ſibi ponant Emblema *Epicharmi*:

Μεμνησο απισεῖν: *Memento diffidere*. Namque
Res mihi fracta, fide: Res diffidendo, retenta.

Probè hoc ipſum conſiderabat *Alexander M.* qui, quando delatores alios delationibus apud ipſum inuoluebant, alteram aurem obturare ſolebat, dicens: *Se alteram aurem reo vel accuſato reſeruare.*

Quamobrem cùm viri Principes ſæpius habeant à con-

ſiliis

Digitized by Google

filiis doctiſsimos: at in conſiliis dandis, præſertim in rebus arduis ac formidoloſis timidiſſimos,mortui,ſine adulatione rectiſſima quæque quam fideliſſimè monſtrantes,ſunt conſulendi, in quorũ ſcriptis tanquam in ſpeculo poſito intuemur res geſtas fortiſſimorum,ad quas in adminiſtratione & mentem conformare, & noſtra conſilia dirigere valeamus. Obuijs itaque vlnis illorum ſanè ac ſapienter monita amplectantur, & deoſculentur Viri Heroes. Nam hoc illud eſt præcipuè,teſtimonio *Liuij Dec.1.lib.1* in cognitione rerum ſalubre & frugiferum: *Omnis te exẽpli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, vnde tibi tuæq; Reipublicæ quod imitere capias: vndè fœdũ incœptu, fœdũ exitu, quod vites.*

Etſi verò muti Doctores naturam & affectus acerrimos prorſus mutare nequeant: tamen latentem quandam energiam habent, vehementiã animi reſtringere, affectus vitioſos reprimere,oculos,aures,linguam & manus ipſas flectere, vt fiant manſuetiores aliàs ſua natura ferociſſimi, & diſcant vitare aberrationes in cõſultationibus.Et hic præcipuus vſus & fructus eſt ſapienter dictorũ,atque ſcriptorũ. Nam præteritorũ exemplis informamur,& cùm quid ſequendũ,tum fugiendũ,tum quid ad degendum vitam conferat, monemur.

Alexander M. tanti fecit bonarum & laudatiſſimarũ diſciplinarum ſtudium,vt apertè pronunciare dignatus ſit, ſe malle doctrina anteire alios,quàm opibus & dignitate.Iliadẽ Homericam virtutis bellicæ viaticũ nominare ſolebat, quã adeò in delicijs habebat,vt eã ſcrinio, auro,gemmis ac margaritis artificiosè perpolito condebat, atque vna cũ pugione ſubſtratam puluino cuſtodiæ dabat.Hic idem ille Heros ab Harpalo mitti curauit medios inter armorum ſtrepitus, Sophoclis, Euripidis atque Æſchyli tragœdias,cum libris Phi-

liſti, ac Philoxeni, ſecundùm quorum ſapienter monita ſua regebat conſilia, rerumque dubiã viciſsitudinẽ indè colligebat, vel euitandam, vel cum forti patientia ſuperandam.

L. Lucullus rei militaris planè rudis ad Mithridaticam expeditionem à Senatu miſſus, lectione rerũ præclarè geſtarũ, & peritorum conuerſatione optimus Imperator factus, talem ſe in illo bello geſſit, vt ipſe Mithridates fateretur à ſe maiorem poſt Alexandrum non cognitum eſſe ducem.

Dux *Philopœmenes* præter libros de ordinibus militaribus, geſta Alexandri die noctuque de manibus nunquam deponebat, non vt de ijs otioſos haberet ſermones, verùm in magnis deliberationibus conſilium peteret.

Auguſtus Cæſar, Tranquillo teſte, ex vtriuſque linguæ ſcriptoribus excipere ſolebat, ad Rempublicam adminiſtrandam quæ pertinebant.

Ptolomęus Philadelphus hortatu Demetrij Phalerij quoſcumque de regno conſcriptos libros peruoluit, vt ea indè hauriret, quæ Reges admonere amici vererentur.

Vlpius Nerua Traianus Plutarchũ à latere nunquã dimiſit, vt ſecundũ ipſius conſilia omnes actione ſuas dirigeret.

Achilles Phœnicem Homericum familiariſſimum habuit vt ab eo rerum adminiſtrandarum rationem cognoſceret.

Scipio Africanus Panætiũ & Polybiũ, homines omni literatura clariſſimos, familiares Comites & Cõſiliarios habuit.

Hercules quamuis magna vi ingenij præditus erat, & in eo acres ad virtutẽ impetus elucebant: tamen adoleſcens literas ac Muſicã didicit, & ſeneſcens Athlantis doctrinæ de ſiderũ motibus ſtudioſiſſimus fuit. Taceã hic Scipiones, Craſſos, Marcellos, Antonios, Lucullos, Hortenſios, Brutos, Fabios, Cicerones, Romanæ Reipublicæ columina. Taceã Gręciæ

ciæ lumina, Epaminondã, Temiſtoclem, Demoſthenem homines literatiſſimos, qui non ſolùm eruditionis encomio nobilitati, verũ bellicis laudibus mirũ in modũ commendati ſunt. Quis neget nullũ melius ad dignius imperare, quã literatum? ſicuti à S.P.Q.R. in laudẽ Taciti Imperatoris acclamatũ fuit. Quippè cùm conſtet ſæpius labantes reſpublicas ſapientũ ratione & oratione erectas, & in integrum reſtitutas fuiſſe, ſæpius in fugã conuerſos ac deficientes exercitus eorũdem voce reuocatos. Quòd de Demoſthenis grandiloquentia Philippum Macedonem gloriari legimus, quando dicebat, ſe magis illam reformidare, quàm Athenienſiũ exercitus, arietes, catapultas, aliosque belli apparatus.

Valerius ſuauiloquentia ſua plebem à patribus ſeditiosè diſſentientem ad ſanitatem reuocauit & vrbem vrbi iunxit. Et quis neſcit M. Antonij blandiloquentiam, qua milites ad ipſum obtruncandum miſſos à Mario & Cinno, deterret ab imperata cæde, & vt diſtrictos gladios vaginis redderent, verbis cogit. Miles Lacedæmonicus Tyrtæi verſibus inflammatus, fuſis Meſſenijs glorioſam victoriam reportauit.

Quid dicam de Philoſophis & hominibus eruditiſſimis, qui bellicis laudibus claruerunt? Socrates, Xenophon, Demoſthenes, Plato, Cicero apud Iſſum Imperator ſalutatus vt ipſe ad Atticum ſcribit, Reſpublicas & ciuibus in bellis periculoſiſſimis non inutilẽ præſtiterunt operã. In ſumma, ſoli literati & Mineruæ ſapientia clari, modum rectè norunt, quomodo populi ſint regendi, vrbes expugnandæ, hoſtes repellendi, iniuriæ illatæ æquo animo accipiendæ & reponendæ. Quomodò, inquã, hominũ inter ſe diſſentientiũ animi ſint conciliandi, & quocumque prout magis conducet, flectendi, vt non minus verè, quàm præclarè dixerit Cicero, ſe omniũ

malorum radicem ſtirpitus Philoſophia extracturum eſſe. Proindè verè regia vox Alexandri M. hæc fuit: *male ſe diſciplinis antecellere, quàm opulentijs*. At Arragonum Alphonſi Regis: *Male ſe perdere quæ poſſidebat omnia, quàm vt tantillum eruditioni ſuæ decederet*.

Carolus IV. Romanorum Imperator in ſcolam Pragenſem aliquando ingreſſus, cùm diſputantes Philoſophos per quatuor horas audiuiſſet, purpuratis ſuis id ægrè ferentibus, & cœnæ tempus inſtare annuentibus, *Mihi* reſpondet, *tempus eſt minimè: nam hæc mea cœna eſt*.

Ludouicus XII. Gallorum Rex potentiſſimus, Ticini Iaſonis ICti auditorium ingreſſus, atque ſtudioſis immixtus conſedit, & docentem Iaſonem per horam audiuit. Pòſt lectionem verò ſibi à latere comitem Iaſonem eſſe voluit, tecto capite, quem toga aurea donauit.

Franciſcus I. Rex Galliæ magna cum laude idem fecit: Quo nemo ſuo ſæculo artes liberales omnes vehementius amauit, aut liberaliùs proſequutus eſt, & prandens, atque cœnans, ſẽper loquebatur de literis, ſicuti ſcribit *Sleidan. lib. 9*.

Vehementer itaque errant, qui regiũ non eſſe putant diſcere literas Principũ ſoboles, vti olim Regis Galliæ Conſiliarium quendã reſpondiſſe fertur, ſufficere Regibus ac Principibus literatos habere à latere & conſilijs. Quod reſponſũ Rex aiebat *bouis eſſe non hominis*, addens, *nobiles & diuites ſine literatura eſſe vellus aureũ, & Reges illiteratos eſſe aſinos coronatos*. Eos non eſſe homines, qui literas ignorarẽt, Hũgariȩ ac Bohemiȩ Rex Ladiſlaus cũ Romȩ verſaretur dicere ſolebat. Nam ſola ſcientia perfectos reddi vno ore fatentur omnes.

Perſæ vt habeant Reges omni virtutum genere & literaturæ

turæ claros, quatuor futuro Regi adhibere ſolent Doctores; vnũ, qui in iuſtitię præceptis ſeu legali ſcientia eũ inſtituat. Alterũ, qui veritatẽ doceat. Tertiũ, qui ad temperantiã moneat. Quartum, qui in exercenda fortitudine ei calçar addat.

Maximilianus Imperator quando Philippi ſui filium Carolum præceptori commendabat, dicebat grauiter: *Turpe eſſe magno Principi neſcire literas.*

Sigiſmundus Imperator cùm à Principibus qui literas oderant, reprehenderetur quòd homines obſcuro genere natos ob literarũ ſtudia foueret; *Quid ni*, inquit, *amẽ eos, quos natura cæteris antecellere voluit?* Alij plurimum tribuunt generis nobilitati: at Cæſar prudentiſſimus intellexit, in eruditis eſſe quiddam ſtemmatis præſtantius; illi habent ædium parietes clypeis & imaginibus depictos, hi animum optimis diſciplinis exornatum. Porrò vt natura animus præſtantior eſt corpore: ita ornamenta ingenij longè pulchriora ſunt externis bonis. At hìc amplius non exaggerabo vim, virtutẽ & facultatem linguarum & ſapientiæ: nec in cumulandis exẽplis ero occupatus. Nam citius me tempus deficeret, quàm verba huic negotio inſeruientia. Vnico tamen dicam verbo, laceras illas eſſe Reſpublicas & citò ruituras *Ciceronis* teſtimonio, vbi literati à conſilijs ſunt excluſi, & literis imbuti nõ imperent, nec ſcholarũ & Muſarũ habeatur ratio. Id quod optimè Mitylenæi intellexerunt, præcipuã nimirum eſſe in Republica vim literarum, vel hinc indè apparet, quòd populis à ſe bello deuictis pœnam aliam vllam irrogarent, quàm ne liberos ſuos literas edocerent.

Hoc intelligant Principes ſuum primarium officium eſſe, ſcholas benè fundare, & laudabiliter conſeruare. Nã ſcholæ ſunt ſeminaria Eccleſiæ & Reipublicæ. Sicut autem hortus

opti-

optimè cultus, & feraciſſimis arboribus vberrimè conſitus, ætatem ac perennitatem obtinere nequit, niſi in ſeminarijs, quæ ita vocant, ac plantarijs, tenellæ educētur ac formentur arbores, quæ in locum vetuſtate marcidarum ac emortuarū olim ſuccedāt: Ita ſtatus Eccleſiaſticus & Politicus, diu ſaluus & incolumis conſeruari nequit, niſi in ſcholis formentur & educentur, qui alijs tum Eccleſiæ Miniſtris, tum Viris Politicis morte abreptis ſubrogentur. Ament igitur pij Reges & Principes literas & Viros literatos. Nulla enim maior, aut ſolidior hiſce in terris gloria paratur, quàm ſtudijs pietatis & artiū liberalium, quibus Dei præpotentis gloria illuſtratur, & ſalus ſubditorū promouetur. Magnum enim decus & ornamentum eſt Principum, & perſonarū illuſtrium, ſi literis & artibus liberalibus ſint imbuti. Quemadmodum enim poma in patera argētea ſunt cōſpectiora: ita Principes literati ſunt conſpectiores, & multò illuſtriores. Etenim virtus & eruditio tā benè conueniunt cum nobilitate, & illuſtri dignitate, quàm benè gēma auro includitur, & roſæ lilijs intextuntur. Hinc *Æneas Syluius* pulchrè dixit: Plebeis argenti, Nobilibus auri, Principibus gemmarum loco literas eſſe debere.

Huc ſine dubio reſpexit *Iuſtinianus* Imp. quando Inſtitutiones Iuris ita orditur: *Imperatoriam Maieſtatē non ſolùm armis, ſed etiam legibus armatam eſſe oportet, vt vtrūque tempus, & bellorum, & pacis rectè gubernare poſſit: & Princeps Romanus non ſolū in hoſtilibus prælijs victor exiſtat, ſed etiā per legitimos tramites calumniatiū calamitates expellat. Hiſce enim duobus nititur Orbis, nempe vt à literis adiuuentur arma, & ab armis literæ ſuſtineantur.* Idem ſibi vult *Imago C. Iulij Cæſaris* in ſymbolis *Paradini*. Inſiſtit ea mundi globo, atque altera quidem manu gla-

gladium, altera verò librum tenet, cum hac inſcriptione: *Ex vtroque Cæſar*. Quæ enim Cæſar interdiu armatus gerebat, ea noctu togatus puriſſimo dicendi genere conſcribebat. Huc pertinet pulchellum illud Diſticon:

Fert fluuium tranans ſua Commentaria Cæſar,
Nec ſua ne pereant, ipſe perire timet.

Fridericus II. Imperator fuit dictus πολυγλωττος et lectioni fuit deditiſſimus; Is dexterè iudicauit, non regi rectè poſſe populum abſque doctrinæ & virtutis adiumentis, quæ ex libris doctorum hominum haberi poſſunt certiſſima.

Alphonſus Rex ſapientiſſimus, percunctantibus, vtri rei ſe debere plus fateretur, librisue, an armis? *Ex libris*, inquit, *& arma, & armorũ iura didici:* hac voce profeſſus eſt, ſe libris accepta ferè omnia, prudentiſſimus & potentiſsimus heros, qui fuit Rex, Regis filius, Regis nepos, & Regis frater. Ita animaduertit fructum bonarum artium, & facilè colligere potuit, quàm infinita mala ex illarum iactura oriantur. *Æneas Syluius in vita Alph.*

Robertus Rex Siciliæ: *Sic eſt*, ait, *vita hominũ, ſic ſunt iudicia, & ſtudia, & voluntates variæ. At ego curò dulciores & multò rariores mihi literas eſſe, quã regnũ: et ſi alterutro carendũ ſit, æquanimius me diademate, quã literis cariturũ.*

Conſultò breuitatis ac modeſtiæ cauſa omitto plura exẽpla Principum illiteratorum, qui ſæpenumero non laudem, ſed labem, & irriſionẽ ſibi acquiſiuerunt. Nam ſcimus *Neroni* probro datũ fuiſſe, quòd Orationem à *Seneca* emendicaſſet, quo die pro Roſtris *Claudium* defunctũ laudare debebat. *Adnotabat Seniores*, inquit Tacit. 13. Annal. *quibus otiũ eſt vetera & præſentia contendere, primùm ex ijs qui rerum potiti eſſent, Neronem alienæ facundiæ eguiſſe. Nã Dictator*

Cæ-

Cæſar ſummis Oratoribus æmulus, & Auguſto prompta ac profluens, quæ deceret Principē, eloquentia fuit. Tiberiū autē quoque callebat, qua verba expenderet, tū validus ſenſibus, aut cōſulto ambiguus. Etiā C. Cæſaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata diſſereret, elegentia requireres. NERO puerilibus ſtatim annis viuidū animum in alia detorſit. Cælare & pingere, cantus, aut regimen equorum exercere; & aliquando carminibus pangendis ineſſe ſibi elementa doctrinæ oſtendebat.

Multū itaque iuuabit ſi noſtri ſeculi Principes filios ſuos optimis Magiſtris erudiēdos tradent, vt illos efficiāt Oratores verborū, actoreſq; rerū ſicut *Phœnix apud Homerū* inquit:

. . . . comes atque Magiſter
Sum datus, vt præcepta tibi, rerumque bonarum
Verborumque darem; rebuſque vt fortis agendis
Eſſes, & verbis poſſis Orator haberi.

Cæterum quia *primus diſcendi ardor*, inquit D. Ambr. lib. de Virg. *excellentia eſt Magiſtri*, omninò videndum eſt quibus Præceptoribus, Principis tener animus committatur; ne nimirū hominibus maculoſis: quoniam teſte Boet. Diſc. ſchol. *Nulla res diſcipulo tā pernitioſa, quàm vita Magiſtri contumelioſa. Inquirendi itaque filijs Præceptores* tradit Plutarch. de liberis educ. *quorū vita nullis obnoxia criminibus, irreprehenſi mores, & optimum experimentum.*

Ea propter *Theodoſius* Imperator cùm Arſenio filios in diſciplinam tradidiſſet, ſempiterna memoria dignum, & verè Imperiale illud proloquutus eſt: *Si tales ſe præbituri eſſent vt mores vitamque ſuam ad diſciplinā & leges Dei componerent, propensū ſe fore, vt ijs Imperiū in manus tradat ad ciuiū & ſubditorum commodum & vtilitatē accommodatum.*

Digitized by Google

tum. Sin minus,conducibilius ijs eſſe,vt ſic priuati vitam agerent,quàm doctrina nulla cum periculo imperarent. Niceph.lib.11.c.23.Sed & illud memoratu dignum, quod de eodem ex Metaph.narrat *Baronius* ad annum Chr.383.Cū quondam ingreſſus ſcholas vidiſſet *Theodoſius* Arſenium ſtantem,*Arcadiumque* auditorem ſedentem, indignatus eſt quòd magiſterij gradū parùm decorè ſeruaſſet,cùm ſtans ipſe doceret;*Arcadius* verò filius ſedens addiſceret.At verò cùm *Arſenius* ſe excuſaret, diceretque haud decere ſedentem ſe docere Imperatorem,indignatione illa commotus, abſtulit ei Imperatoris inſigne,ſedereque in throno Arſenium compulit,filium verò detecto capite auditorem profiteri, illud inculcans, tunc prolem ſuam verè Imperio dignam, ſi cum ſcientia æque imbuta fuerit pietate.

Hæc Exempla pij Reges & Principes ſemper ob oculos ſibi ponant, in quæ intuantur,quantum ipſis ſint neceſſariæ literæ,& cogitent,viros doctos & ſapientes ſibi non tantùm vtiles,quos conſilijs ſuis & deliberationibus adhibeant, ſed etiam neceſſarios eſſe, quippè quorum opera carere non poſsint.

Scientiæ ſoboles erit IVSTITIA,quæ omnium Domina, & Regina virtutum eſt,Principumque magiſtra, atque moderatrix, ſine qua Reſpublica haud diu ſtare,vel adminiſtrari poſsit,optima ſunt tùm Græcorum,tùm Romanorū teſtimonia. Immò legibus tùm diuinis,ijſque quæ naturæ congruunt: tùm Eccleſiaſticis, tùm etiam ſuis quæ in contractū abierunt, Principes obligantur. Ideòq; Plato Philoſophorū ille Princeps, *Iuſtitiam* nominat ἔρμα πόλεων, h. e *Fulcrum Ciuitatum*: Ariſtoteles verò,*Præſtantiſſimā omniū ciuitatū* Hinc M. Cicero verè concludit: *Fundamentum perpetuæ*

commendationis & famæ Iuſtitiam eſſe,ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Verùm vt in hunc Iuſtitiæ campum nonnullos Romanos producã Imperatores, ad duo tantùm me perſtringam, *Tiberij Conſtantini* videlicet,& *Traiani*.Primi extat præclare elogiũ,iam morituri,& Imperium Mauritio genero tradentis: *Sit tibi*,inquit,*Imperiũ cum hac puella filia conceſſum;vtere eo feliciter,in mente habens æquitatem ac Iuſtitiã,præcipua eſſe optimi Principis inſignia.* Aimon. 3.de geſt.Franc.c.35.Nihil verius dici,aut excogitari potuit. Conſimili animo *Traianus* Imperator Iuſtitiam & æquitatem plurimum cõmendare ſolitum legimus: hiſque potiſſimũ virtutibus Principes cæteris excellere debere dictitabat; quarum & ipſe dum Romanũ gubernaret Imperiũ,ſtudioſus adeò fuiſſe fertur,vt aliquando enſem ſtrictũ Præfecto Prætorij in conſpectu omnium dederit, atque dixerit: *Cape ferrũ hoc,&,ſiquidem rectè Imperiũ geſſero,pro me;ſin aliter, contra me hoc vtare.* Niceph.3.hiſt.c.32. Omni etiam ſtudio incumbant Principes, ne iniuſti Iudices contra ius & æquum ſententias pronuncient, de quibus quidem Pſeudopoliticus tale Epigramma concinnauit:

Non ideò calcabis equum, quia feceris Æquum:
Æquum qui faciunt, bis malè currit equus.
Æqui hoſtes vectantur equis, pedes ambulat Æquus:
Ergo ſperne Æquum, ne tibi deſit equus.

Præſertim autem Reges,atque Principes,iniuſtos Iudices & δωροφάγυς, qui nonniſi pecunia interueniente ius dicunt miſeris ſubditis,grauiter vindicẽt.Peſtes ſunt huiuſmodi homines Regionum & vrbiũ.Olim *Mulctores Reipublicæ* vocabantur, quòd populi pecunias emulgerent. Rectè! Patet hoc ipſum ex colloquio corrupti Iudicis cum ſuo corruptore.

Heus

Digitized by Google

Heus aperi. *Tu quis*? Tuus eſt? *Quid quæris*? Vt intrem.
Fers aliquid? Non. *Eſto foris*. Fero. *Quid*? Satis, *Intra*.
Quid fers? Oua. *Quid ille*? Capos. *Quid tertius*? Agnum.
Nemo magis? Sunt qui adducunt. *Quid*? Cũ boue porcũ.
Vos laudo: Tamen hi forſan plus iuris habebunt.
Dic quare? Oua, capos, ſus, bos, malè perdit & agnum.

Facilis ſit ad Vos ingreſſus, pateant aures, omnes abſque acceptione audiantur. Memores eſtote legis *Conſtantini* Imperatoris *l.1.C.Theod.de rect.prouinc.* Is enim nedum fores ſuas cunctis patulas eſſe voluit, verùm etiã vt ad Officiales, Præſideſq; ſuos liberi itidem vt eſſent aditus, ſancita lege procurauit: *Non ſit*, inquit, *venale Iudicis velum, non ingreſſus redempti, non infame licitationibus ſecretariũ, non viſio ipſa Præſidis cum pretio. Æquè autem iudicantis pauperrimis ac diuitibus referentur*. Neque hic ſilentio prætereundũ eſt exemplum SS.D.N.D. *Innocentij XII*. Pont. Max. feliciter regnantis, qui vna aut altera hebdomada in audientia publica omnes pauperes & egenos benignè admittit, præſentia recreat, & pietate fauet, quaſi ipſi dictum & commendatum ſit illud, quod Q. Ciceroni Marcus frater ſuggerit, nempe: *Facillimos eſſe aditus ad te: patere aures tuas querelis omniũ: nullius inopiam ac ſolicitudinem, non modò vllo populari acceſſu ac tribunali, ſed ne domo quidem tua, & cubiculo excluſam tuo: toto denique in Imperio nihil acerbum eſſe, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, manſuetudinis, humanitatis*.

Caſtigandi certè, & ſcutica digni canes iſti aulici (de malis, ſi qui ſunt, loquor) qui hoc palato ſunt, vt neminem vnũ ad herũ admittant, niſi ſibi mellitæ ſimul & auratæ offerantur offæ. Talis fuit quondam *Zoticus* quidam amicus *Helio-*

udentis Principis ſummoperè præcauere, nemo non videt.
:imus nonnullos Reges Galliæ, qui originẽ à *Carolo Ma-*
no ducunt, regno pulſos fuiſſe, hanc vnã ob cauſam, quòd
ilicet paterentur officia per Palatinos elargiri. Taceo, quòd
onferendo prædicto modo Magiſtratus, merita (quæ alio-
ni ſemper attendenda) non conſiderentur. Quòd vt præ-
ueret *Franciſcus II.* Galliæ Rex, ſtatim primis regni au-
icijs (Franciſco Oliuario ſuaſore) legẽ tulit, qua, vt iudices
ectatæ integritatis, & eruditionis in ſupremis regni Curijs,
inferioribus ſubſelijs conſtituerentur, edicebatur, vt impo-
nũ penes ipſos Iudices ius eſſet, tres probitate, & iuris ſciẽ-
conſpicuos nominandi, ex quibus quem vellet Rex deli-
ret. Verùm, quominus optimũ edictum locum habuerit, au-
orum ambitione, & auaritia effectum eſt, qui emolumentũ
muneribus publicis, ac dignitatibus, pretio irreligioſè ęſti-
itis, & turpiter diuenditis captantes, ad augendũ (ſicut ia-
bant) Principis ærarium, prauis edictis Iudicum numerũ
immenſum multiplicarunt. Et ita clariſſimus ordo, quem
norificũ ſeruari ad omnes regni ordines in officio conti-
ndos Reipublicæ intererat, paulatim cœpit vileſcere, gli-
nte ſordium veneno, quo indigni homines, nullis meri-
ſed opum fiducia, aut aulicorũ beneficio, ad eos honores
uecti, facilè ſe corrumpi paſſi ſunt. Quid multis? multis
ò actis ſæculis ab eadem cenſura prædicatur *D. Ludoui-*
qui inter ſalutaria præcepta, quæ *Philippo F.* regni ſuc-
ori dedit, eum inſuper monuit, vt ad Sacerdotia, ſeu bene-
Eccleſiaſtica bonos tantùm, & optimè meritos per ſeip-
, & quidẽ conſultò nominaret. Sciebat vir diuino affla-
piritu, vbi officia, & ſacerdotia indignis conferuntur,
rturbari ciuilem politiam, ideſt, qua ſola hæc ſuſtentatur,

tur,

tur, *iuſtitiam diſtributiuam*. Certè inter cauſas excidij vrbis Hieroſolymæ hanc affert Egeſippus, quòd Sacerdotia, atque Pontificatus maximus, nōniſi ad homines ineptos, indoctos atque auaros deferentur. Quo magis arcenda erit praua illa ambitio, quā ab auctore deterrimo Simoniā nuncupamus? *Quis enim locus tutus*, aiunt Impp. Leo, & Anthem. *et quæ cauſa poterit eſſe excuſata, ſi veneranda Dei tēpla pecunijs expugnentur? quē murum integritatis, aut vallū fidei prouidebimus, ſi auri ſacra fames in penetralia venerāda proſerpat? quis denique cautū eſſe poterit, aut ſecurum, ſi ſanctitas incorrupta corrumpatur? Ceſſet itaque altaribus imminere profanus ardor auaritiæ, & à ſacris aditis repellatur piaculare flagitium*. Hactenus illi l. Si quemquam 31. C. de Epi. & Cler. Et quidem verbis idoneis, quæ Principū omnium, præſertim Eccleſiaſticorum foribus inſcribantur. Sed quid? parū ad iſta attendunt pſeudoquidem politici aulici, quibus hoc tantùm curæ eſt, vt loculos ſuos qualitercumque impleant mendacijs, & fallacia, quaſi præclaris artibus gaudentes, ſæpè Principibus ſuadentes, licere in ſomniatis neceſsitatibus diſtrahi ſacerdotia, aut ſaltem munera ciuilia. Idcircò veriſsimè, & diuinitus dixiſſe videtur Imperator *Seuerus* apud Lamprid. *Neceſſarium eſt, vt qui emit, vendat: nec ſine rubore puniri poteſt is qui quod emit, vendit*.

Quis enim non videat iam pudori, probitati, virtutis ſtudijs, bonis artibus nihil eſſe loci? Hodie apud àliquos omnia virtutis præmia ambitio poſſidet: Hodie ſuſpecta atque neglecta virtus eſt; inertia autem in pretio. Inertia autem? immò ſcurrilitas, & quiduis ea peius. Quibus, à pleriſque Dynaſtis conferuntur munera ciuilia? an non apinarijs, & omni dedecore maculoſis, magiſque à pecunia, quàm virtute, & do-

doctrina inſtructis? Rurſum,quæ plurimos res euexit ad Iudicatũ,niſi vilia quædam Aularum dehoneſtamenta? nundinantur magiſtratus,(pudendum dictu)vendunt iudicia,diligunt munera, ſequuntur retributiones &c. Attendite rogo Vos, ò boni Principes,attendite ad eos,in quorum manibus iniquitates ſunt,& quorum dextera repleta eſt muneribus; denique quibus fides,decus, pietas,poſtremò honeſta, atque inhoneſta omnia quæſtui ſunt. Attendite inquam, & ſeriò ſcitote,idoneos oportere rebus gerendis præficere, non etiã eos qui magiſtratus prenſant.Alioquin ſi quod Reipublicæ damnũ per eos enaſcatur,illud in extremo illo die, quo Iudicium duriſſimũ fiet his qui præſunt,præſtare debebitis.Principes mementote nouiſsimum,& extremum periculum hoc declinabitis: *Qui enim conſiderat*,inquit D.Greg. l.28.mor. c.10.*qualis erit in morte,ſemper timidus fiet in operatione*.

Quàm verò ſit mutabilis aulica beatitudo,pulchella ſunt ſermone vulgi trita illa Emblemata: *Aulica gratia facilè ſeneſcit. Aulicæ voluntates ſunt inſtabiles. In aulis regnant duo:* ἀναβολὴ ϗ μεταβολή: *cunctatio & mutatio*. In aulis namque lenta ſunt beneficia,& præcipites iniuriæ.Item Aulici iã beati ſunt pro nutu Regis:è veſtigio miſeri ſunt.Cum quibus congruunt hi duo verſus:

Nec domino blando,nec cœlo crede ſereno:
Nam facili cauſa Dominus mutatur, & aura.

Nucis frondoſæ inſtar ſe extollere Magnates,cenſet *Bonomius*, nec immeritò,qui enim ſub illis dulcè ſperat dormire,toto corpore laſſus diſcedit. Principum Plantis Sol eſt ſuus Genius,vmbra voluntas. In ſuæ protectionis Oriente, fauſtas dilatant vmbras;in Occidente,damnoſas protrahunt. Qui minus infeliciter ſub illis vult degere,mẽtis ventos,qui-

bus

Digitized by Google

bus agitantur, neceſſe eſt ſecundet. Quò opinionũ ramos flectunt, ſe flectere; quò vertũt, ſe vertere. Sed quę ſecuritas haberi poteſt ſub Arbore, quæ pluribus ventorũ flatibus, ac tẽporum vicibus ſubiicitur? Hanc proprię ambitionis Auſter quaſſat; alienæ inuidiæ Notus huc illuc impellit; proditionis Africus tuę ſpei folijs expoliat. In hac inſidiarũ imbribus affectus radices marceſcunt; Malignitatis grandine, beneuolẽriæ germina eripiuntur; Politicæ rationis fulminibus fortiores dilectiones rami euelluntur. Inquietam quietẽ! Si porrò fructus cupido te inuaſerit, aut acerbum cũ verme, aut putridum delapſum, aut non omninò maturũ obtinebis; Semper verò cum periculo, perlongæ ſeruitutis truncos reptando. Omniũ maximus timor accedit. Semper trepidandũ, ne tot effracta varietatibus in proprias decidat ruinas. Princeps quippe vt refugij Plãta, eſt obſeruandus; vt ſtipes Imperij ramos extendens, timendus. In vanis Hęderæ (Magnatũ imaginis) amplexibus ruentẽ effuge parietẽ. Fauorabilis Regnantium Hædera quò ſinceriùs ſtringit, eò damnoſiùs (emulationis culpa) præcipitat. Nec ſolùm Lyſimachus è ramo Macedonis gratiæ prolapſus; ſed & Seianus, qui è fauorũ Tiberij arboris culmine deiectus, Tiberina ſuis ſuorumque lacrymis adauxit flumina, edocebit, quòd, heu! nimis, inter lucidas Diademmatum vmbras vel quoque nigrantes horrores mortis vagantur. Horum igitur omnium ſumma eſt, quòd ex deficientia requiſitæ ſcientiæ, ex malis Conſiliariis, & ex conculcata Iuſtitia, plerumque accidunt Rerumpublicarũ euerſiones, mutationes, multoſque tragici, & inexpectati euentus. Ridebunt hęc Machiauelliſtæ, iã ſcio: verùm qui habitat in Cœlis arridebit eos, & in furore ſuo conturbabit eos.

FINIS.

DE

Digitized by Google

DE EVENTIBVS TRAGICIS
PARS PRIMA

ANNO MVNDI 1810.

A NEMRODO venatore, vtpote primo in Orbe terrarum Monarcha, primo belli authore, primoque INFELICITATIS PRINCIPVM exemplo, initium mihi Operis erit. Hic ex ferarum ſanguine, humano delectari cœpit,& poſtquam multa hominum millia perdidit, demum, & ipſe præter omnem ſpem, & opinionem perijt. Nam vt *Cedrenus* ſcribit, Turris Babylonica ab ipſo ædificata,ſubitò vento diſiecta eum oppreſſit. Ita videmus verum eſſe Politicorum monitum, nempè, tragicos eſſe tyrannorum exitus: Ipſis in pœnam, ijs verò, quos habent Succeſſores, in exemplum.

ANNO M. 2010.

SEMIRAMIS aſtuta, & ambitioſa mulier, *Nini* tertij regis Monarchiæ primæ Chaldęorum, *Beli* ſucceſſoris, vxor, aliquando inter cęteros ſermones hunc quoque iniecit apud Regem: teneri ſe miro cuiuſdam rei deſiderio, quam nec exponere, nec ſperare ob magnitudinem audebat. Rex inſidias non metuens, protinùs eam proloqui iubet, quid optet. Illa petijt ſto-

Digitized by Google

ſam regiam, & Aſiæ imperium ad quinque dies. Quo impetrato, ſceptro, regno, ſtolâque regiâ ſumptis, primâ die ſplendidum conuiuium parauit, ac principes omnes adegit, Nino ſic volente, vt ſibi tamquam Reginæ parerent. Secundâ die, cùm populares iam ex primarijs eam vt Reginam colerent, ipſa cunctorum potens eſſet, principiò ſatellitum pertentans animos moderatè quædam iuſſit: at poſtquam vidit eos nihil refragari, alacriterque obire mandata; capere eos *Ninum*, mox vincere, tandemque necare mandauit. Ita *Ninus* illecebris, atque inſidijs Semiramidis vxoris ſuæ perijt, & ipſa regno Aſſiriorum potita, totius Aſiæ dominatum occupauit. *Diodorus Siculus* diligens antiquitatis ſcrutator *lib. 2. ex Athenao. Curtius lib. 7.* ſcribit Semiramidem duxiſſe in Exercitu ſuo ter decies centena millia peditum, & quingenta millia equitum, & currus ad centum millia. Ad inſtaurandam verò, amplificandamque regiam Babylonem, ter decies centena hominum millia adhibuiſſe teſtatur *Diodorus Siculus*.

Hæc vidua cùm eſſet, inſani amoris æſtu accenſa, eos ex militibus ſuis eligebat, quos formâ, ac robore præſtantiores eſſe cernebat, & eoſdem aliquandò in delicijs habitos, denique necabat, nè ſtuprum ſecum commiſſum alijs proderent. Vltimò etiam in proprium filium inceſtuoſo amore exarſit, qui maternum concubitum exhorrens, eam interfeciſſe creditur anno imperij ſui 42. ætatis 62. Vide **Franciſc. Patrit. lib. 4. de regno, Beroſum, Diodor. Plutarch. Suid.**

ANNO M. 2092.

CHEDORLAOMER cum alijs tribus confederatis Regibus ſubegit Sodomitas, Regeſque Pentapolitanos. Tulerunt autem omnem ſubſtantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & vniuerſa, quæ ad cibum pertinent, abieruntque, Loth Abrami nepotem captiuum ſecum abducentes. Quòd audiens Abram, armatis ſeruis ſuis 318. perſecutus eſt eos vſque Hoba, quę eſt ad læuam Damaſci, liberauitque Loth, & reliquum captiuum populum, eoſque cum omnibus facultatibus illis reduxit. Cùmque

redi-

:diret Abram à cæde Chedorlaomer,& Regum,qui cum eo fuerint, benedixit ei Melchiſedech Rex Salem, Deique Altiſſimi acerdos, proferens panem, & vinum, hoc eſt, offerens Deo in gratiarum actionem pro Abrami victoriâ, in eoque typum ſacrificij Chriſti in Euchariſtiâ exhibens. *Gen.* 14.

ANNO M. 2506.

ORVS, qui antea erat Rex Dioſpolitanorum in Aegypto ſuccedit Amenophi, & fit Rex Aegyptiorum, qui poſtquam præeſſet annis 39. ſubmergitur in mari rubro. Ipſi ſuccedit *Acherrès*.

ANNO M. 2514.

PHARAO Rex Aegypti perſequens Iſraelem,& mare per ſiccum poſt illum ingrediens, cum vniuerſo equitatu, ac curribus ſubmergitur. *Exod.* 4.

ANNO M. 2559.

NVmerantur *Reges* vnus & triginta, quos percuſſerunt Moyſes, & Ioſue citra & vltra Iordanem. Rex Iericho: Rex Hai, quæ eſt ex latere Bethel: Rex Ieruſalem: Rex Hebron: Rex Ierimoth: Rex Lachis: Rex Eglon: Rex Gazer: Rex Dabir: Rex Gader:RexHerma:Rex Hered:Rex Lebna:Rex Odullam:Rex Maceda:RexBethel:Rex Taphua:Rex Opher:Rex Aphec:Rex Saron:Rex Medon: Rex Aſor: Rex Semeron:Rex Achſaph:Rex Tenach:RexMageddo:Rex Cades:Rex Iachanan Carmeli:Rex Dor, & Prouinciæ Dor: Rex Gentium Galgal: Rex Therſa. *Ioſ.* 12.

ANNO M. 2690.

PERSEVS, nepos Acriſij Regis Argiuorum,caſu auum ſuum occidit, atque ita Argiuorum regnum deſijt, quod ab Ina-

cho continuatum erat per annos 544. & Perſeus nouum Mycenarum regnum inchoat, declarato filio ſuo *Steneleo* Rege, cum quo regnauit annis octo. *Euſeb.*

ANNO M. 2719.

DEBORA Lepidothana propheteſſa, & Barac aduerſus *Siſaram* principem militię regis Iabin feliciter dimicant, quem profugum occidit *Iabel* vxor Haber, infigens clauum tabernaculi ſupra tempus capitis eius. *Iudic.*4.

ANNO M. 2727.

ÆGEVS parenti Pandioni Regi Athenienſium in regno ſuccedit, & præeſt annis 48. Pater enim Pandion, cum annis 25. regnaſſet, propter inſidias Metionidarum ſe regno abdicare, & fugere coactus eſt. *Euſeb.*

ANNO M. 2730.

GEDEON filius Ioas audito ſomnio de ſubcinericio pane, & inſurgentibus Ephraimitis in eum, liberauit populum ſuum, hac arte: Diuiſit trecentos viros in tres partes, gerebantque ſinguli amphoras vacuas, & in eis faces ardentes, vt clam poſſent hoſtem inuadere nihil tale expectantẽ, & in dextris cornu arietinum vice tubæ: hoſtium caſtra latè patebant, eo quòd camelorum magnum numerum haberent: & cum iuxta gentilitates diſtributi tenderent, omnes tamen intrà eundem ambitum continebantur. Hebræi verò à Duce ante præmoniti, cùm iam non longè ab hoſte abeſſent, dato inter ſe ſigno cornibus ſonantes, & confractis amphoris, ſublatoque militari clamore, certi Deum adeſſe Gedeoni, cum facibus in caſtra impetum faciunt. Quâ arte, accedentibus diuinitùs nocturnis terroribus, tanta inter ſemiſomnes conſternatio exoritur, vt incomparabiliter plures mutuis vulneribus, quàm hoſtili ferro caderent, quòd diuerſæ lin-

nguæ homines eadem caſtra haberent; ſemel enim pauore conſi, omnes obuios prò hoſtibus trucidabant. Tantæ cædis, & Gedeonis victoriæ rumor vbi ad cæteros Iſraëlitas peruenit, correptis armis fugientem hoſtem inſequuntur, quem adepti circa loca torrentibus impedita hærentem circumueniunt, & quotquot ad manus venêre occidunt, interque cæteros, Reges etiam duos, *Oribum*, & *Zibum*. Qui verò ſuperfuêre duces cum reliquijs exercitus fermè decem, & octo millia hominum, quantum potuerunt procul ab hoſte caſtris locum cœperunt. Nec Gedeon defeſſus cum totis copijs eò properat, & iterum congreſſus poſtremo hoc conflictu ad vnum omnes trucidat, & reliquos duos duces capit, *Zebim*, & *Hezarbunim*. His prælijs cæſa ſunt Madianitarum, & cæterorum Arabum, qui eis auxilio venerant circiter centum viginti millia: prædâ etiam magnâ, auri, argenti, textilium, camelorum, & iumentorum Hebræi potiti. Gedeon verò reuerſus in patriam ſuam Ephram, ſupplicium ſumpſit de Madianitarum Regibus. Porrò Gedeon cum vellet imperium deponere, compulſus eſt id retinere per annos quadraginta, dicendo ius, & litibus finiendis occupatus, populo ratum habente quidquid ille in cauſis controuerſis pronunciaret. Poſt hæc mortuus eſt Gedeon in ſenectute bona, & ſepultus eſt in ſepulchro Ioas patris ſui in Ephra de familia Ezri. *Ioſeph. Iud.* 8.

ANNO M. 2753.

ANDROGEOS Minois in Creta filius, qui Athenas ſub idem tempus ludicri cauſa venerat, interficitur, adhùc regnante Aegeo. Indè atrociſſimum oboritur bellum, quo victi ſunt Athenienſes, & Cretenſes victoriam crudelitèr exercuerunt, dum Athenienſium liberos *Minotauro* interficiendos dederunt. Fuit autem ille Minotaurus ex Paſiphæ vxore Minois, & Tauro notario aulico natus, quem poſtea vicit Theſeus. *Euſeb.*

AN-

Digitized by Google

ANNO M. 2768.

LAOMEDONS Troianorum Rex occiditur ab Hercule, qui expugnato Ilio, captiuos multos ſecum in Hiſpaniam abduxit, & inde in Galliam, vbi *Alexiam* vrbem condidit: Inde in Italiam abijt ad Euandrum, cui tradidit quoſdam Arcades, quos habebat, & captiuos Troianos, quibus Euander montem Capitolinum conceſſit. *Dionyſ.*

ANNO M. 2771.

ABIMELECH filius nothus Gedeonis ex concubina Sichemenſi, ſuccedit patri in Iudicem populi Iſraelitici, ſed dedecus gentis, & generis extitit, homicida ciuium, parricida fratrum ſeptuaginta, euerſor libertatis patriæ, & ex Iudice Tyrannus, ſed poſt triennium à muliere fragmine Molæ oppreſſus eſt; & nè fortè diceretur, quòd à fœmina interfectus ſit, rogauit armigerum ſuum, vt euaginato gladio, eum percuteret, qui iuſſa perficiens, interfecit eum. *Iudic.* 9.

ANNO M. 2772.

HYPSIPYLE in Lemno inſula perſuadet mulieribus reliquis, vt maritos ſuos trucident; quòd factum eſt octo annis, ante expeditionem Argonauticam, & ipſa regnum arripit. *Euſeb.*

ANNO M. 2783.

THYESTES, Atrei fratris vxorem adulterio polluit: *Atreus*, vt iniuriam vlciſcatur, filios fratris necatos, coctoſque, ipſi comedendos apponit.

ANNO M. 2799.

MINOS Rex in Creta, à Cocalo Rege Sicaniæ, ſæpius repoſcit Dædalum, qui ex Creta aufugerat, cum Icaro filio.

io. Cùm non redderetur, bello Cocalum perſequitur. Sed ibi fraude filiarum Cocali interficitur, & eius exercitus duce deſtitutus in Siciliâ manet, Minoemque vrbem ædificat, quæ poſtea *Heraclea* appellata eſt. *Euſeb.*

ANNO M. 2800.

VESORES Rex Aegypti, dum omnia bello miſcêre cupit, Scithis etiam bellum infert, qui iniuriâ hac laceſſiti, vltrò Veſorem inuadunt, & vniuerſum Aegyptum populationibus vaſtant: Sed paludibus impediti in Aſiam redeunt, quam obtinent annis 15. *Oroſ. lib.*1. Hunc Veſorem, alij Proteum videntur appellare, apud quem diuertit Alexander, ſiuè Paris, cum Helenam rapuiſſet.

ANNO M. 2817.

IEPHTE Galaadites Dux Iſraelis, Ammonitis ſubiugatis, rediens à prælio, ob votum temerè factum, filiam ſuam vnicam Deo ſacrificauit, & 42000. Ephraimitas iniuſtè aduerſus eum inſurgentes, trucidauit. *Iudic.* 11. & 12.

ANNO M. 2822.

AGAMEMNON ſcelere patruelis fratris ſui *Ægiſthi*,& perfidiâ vxoris *Clytemneſtræ* opprimitur,poſt annum 16. regni: ſuccedit ipſe *Ægiſthus* adulter, regnatque annis 6.*Vellei*.

ANNO M. 2827.

ÆNEAS bello *petitur* à Mozentio Tyrrheno, & prælio aduerſus ipſum cadit, anno ſeptimo exacto poſt Troiam captam: Succedit *Aſcanius* filius,qui obſeſſus à Mezentio nocturnâ eruptione *Lauſum* filium Mezentij obtruncat. Inde obſidione ſolutâ pax fit. *Dionyſ.*

AN-

Digitized by Google

ANNO M. 2818.

ORESTES filius Agamemnonis, qui *Hermionem Menelai* patris filiam vxorem duxerat, adiutore *Pylade*, clam in Peloponneſum reuerſus, *Ægiſthum*, & *Clytemneſtram* matrem adulteram per inſidias occidit, & Mycenarum regnum recuperat, quod obtinet annis 28. *Vellei.*

ANNO M. 2840.

PYRRHVS Priami filius, qui cladem Troianam effugerat, in templo Apollinis, in quod confugerat, trucidatur ab *Oreſte*, proditione Sacerdotis Macarij. *Euſeb.*

ANNO M. 2887.

SAMSON à Dalila concubina proditus, & cognitâ causâ fortitudinis, detonſus, illuſus, & excæcatus eſt ab hoſtibus; quos tandem creſcentibus capillis, & viribus recuperatis, ipſe gloriosè occumbens, vnâ ſecum interemit tria millia Philiſtęorum vtriuſque ſexus. *Iudic.* 16.

ANNO M. 2930.

CODRVS Athenienſium Rex occiditur, hinc *Medon*, & *Nileus* eius filij de regno certant, & quoniam Medon pede truncus erat, Nileus ipſum inhabilem regno cenſebat: Lis defertur ad Pythiam, & regnum Medonti adiudicatur. Nileus indignum iudicans ſub claudo Rege viuere, expeditionem ſuſcipit, & Miletum vrbem condit, vnde Miletum vrbs Nilei appellatur. *Ælian. lib.* 8.

ANNO M. 2952.

ISBOSETH à ſuis Rex electus, & ſucceſſor Saulis, bello inuadit Dauidem, Duce *Abnero*, qui malam ab Isboſeth reportat

at gratiam: qua propter ab ipſo ad Dauidem deficit, vbi tamen fraude Ioabi interficitur: Isboſeth etiam ab Abnero deſertus, & contemptus à ſuis in cubiculo trucidatur, cùm biennium regnaſſet 2. *Sam.* 3.

ANNO M. 2974.

AMNON primogenitus Dauidis filius poſt biennium à ſtupratâ ſorore, inuitatus ab Abſalone eius fratre ad ſolemnes epulas, cùm oues tonderet, inter vina incautus occiditur propter nefarium ſuum inceſtum. 2. *Sam.* 13.

ANNO M. 2980.

ABSALOM filius rebellis, conciliato ſibi populi fauore, aduerſus Dauidem patrem coniurat in Hebron, vbi à ſeditioſis receptus, Rex proclamatur, quem Pater fugit, paucis cum Arcâ remiſſis, & inter alios Chuſai remittitur, conſilium Achitophel diſſipaturus, vt poſtea euenit: *Achitophel* neglectum videns ſuum conſilium, ſuſpendio vitam finiuit; Abſalom verò victus in prælio, & ramis quercus cæſarie inuolutus, equo diffugiente pendens, ab *Ioab* tribus lanceis transfoditur, quod audiens Dauid amarè illum fleuit. 2. *Sam.* 15.

ANNO M. 2990.

ADONIAS filius Dauid petens Abiſag in vxorem, ob affectatum eo dolo regnum, occidi à Salomone iubetur; Abiathar Sacerdotio priuatur, & tandem *Ioab* princeps militiæ Dauidis in tabernaculo interficitur.

ANNO M. 3075.

ELA Baaſæ Regis Iſrael ſucceſſor, homo fatuus, temulentus, & impius, cùm volutaretur in delitijs, & vino indulgeret, poſt paucos mēſes à *Zambri* occiditur, eoque regnū obtinente, & Therſa obſidente, Zambri ſe cum domo regiâ ſuccendit 1. *Reg.* 16

Digitized by Google

ANNO M. 3099.

TYBERINVS, Rex Latinorum, cùm prælium in Latinos rebelles ad Albulam fluuium committeret, fertur equo præceps in eundem, & demergitur anno regni octauo exacto, effecitque, vt Albula ſequentibus temporibus *Tyberis* appellaretur. Succedit *Agrippa* filius, regnatque annos 41. *Dionyſ.*

ANNO M. 3115.

DEfuncto IOSAPH, AT optimo Regi peſſimus eius filius IEHORAM ſucceſſit, qui ſolus per quadriennium regnauit, fratreſque ſuos vnâ cum quibuſdam Principibus Iudæ occidit, cui Elias per literas, peſſimam ægritudinem, ac mortem, & domus ſuæ, ac regni direptionem prædicit, quæ tandem poſt quatuor annos ſubſecuta ſunt; exeuntibus enim inteſtinis moritur, cui ſucceſſit *Ochozias* filius eius, qui exemplo patris, conſilia improbæ matris ſecutus, cultus Baalitici patronus extitit.

ANNO M. 3120.

IORAM Rex Iſraelis in prælio contra Syros vulneratus, ægrotat in Iſrael: interim Iehu vir ſtrenuus, & nihil procraſtinans, diuinitùs euocatur ad regnum, & ad vindictam exercendam in domo Achab, quòd, & ſtrenuè executus eſt. *Ioramum* enim in agro ſternit, & in viam Nabothi beſtijs lacerandum obijcit; vxorem Iorami Iezabel Sidoniam de feneſtra præcipitari iubet, quæ equorum vngulis conculcata, à canibus deuorata eſt. Occidit præterea per Samaritanos viros de regio ſanguine ſeptuaginta duos, item omnes Sacerdotes Baalis, idque conſilio Ionadabi Rechabitæ. 2. *Reg.* 10.

ATHALIA mater Ochoziæ cùm vidiſſet filium ſuum mortuum occiſum à Iehu, ſurrexit, & interfecit omnem ſtirpem regiam domus Iehoram. Verùm Ioſabeth Iehorami Regis filia abſcondit Ioas filium Ochoziæ, ne interficeretur, qui poſteà fuit Rex Iudæ octauus, de ſtirpe regiâ Dauidis oriundus, declaratus, & inunctus, anno ætatis ſeptimo à Ioiade Sacerdote, regnatque annis 40. 2. *Reg.* 12.

AN-

ANNO M. 3130.

TONOSCONCOLEROS *Rex* Aſſyriorum XLI., & vltimus à Græcis dictus *Sardanapallus* per duplex ll, vt ſit, & nomine, & vitijs deformis ſecundùm *Ciceronem* in 3. *dep Reub.* Etenim *pallus*, & *tripallus* in obſcænis; quamquam aliàs *Sardan pal* Aſſyriacum eſt, ſucceſſit Acracarni, ſiuè Aſcrazapi, qui mandatis Ionæ Prophetæ obtemperauit, cuius tamen filius fuit diſſimilis, cùm excuſſo omni Dei timore, omnique pudore, totus voluptate, & otio diffluebat. Nullâ (*vt Suidas ſcribit*) tangebatur regni curâ, non arma tractabat, non venatum exibat; ſed mollis, effœminatus, impudicus, fucatâ facie, depictis oculis, ſtolâ muliebri indutus, inter pellices in Gynecæo deſidebat, cumque Concubinis, de pulchritudine, & cincinnis capillorum certabat, imò fœmineam vocem quoque loquendo imitabatur, & collum tractabat. Videbatur à nemine, niſi ab Eunuchis, & puellis, quibuſcum omnia libidinum, atque voluptatum genera exercebat, ità vt præconis voce præmium polliceretur ei, qui nouam aliquam voluptatem excogitaſſet. Hinc notus eſt vulgatus verſiculus.

Non homo, ſed porcus, Sardanapallus erat.

Tragicus nihilominùs fuit eius finis ex ſubditorum ſeditione. Nàm circa annum regni eius decimum ſextum *Arbaces*, ſiue, *Arbactus* Medorum Præfectus, auditis illis Sardanapalli flagitijs, ardentiſſimo illum videndi deſiderio flagrauit. Etſi autem nemini ad Regem aditus patebat, (quoniam à temporibus Ninyæ per 1100. annos Monarchis hiſce ignauis, & deſidioſis in more poſitum erat, vt gentibus reſponſa darent, non ipſis coram, ſed per internuncios. *Iuſtin. lib.* 1.) tamen Eunucho muneribus expugnato (dedit namque illi auream phialam, ſicut *Diodor. Sicul. lib.* 2. *rer. antiq. cap.* 7. ſcribit) aditum impetrauit. Intromiſſus ergo in regium Palatium Gynecæum id eſſe vidit, Regemque deprehendit inter ſcortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cum mollitie corporis, & oculorum laſciuiâ omnes fœminas anteire, penſa inter virgines partientem. Qui-

bus viſis, indignatus, tali mulieri tot viros ſubiectos eſſe, tractantique lanam, ferrum, & arma geſtantes parere, ad ſocios properans, quid viderit, refert. Negat ſe ei parere poſſe, qui mulierem malit ſe eſſe, quam virum. Societate igitur initâ cum *Beloſo*, ſiue *Phulbelocho* Babyloniorum Præfecto, bellum in Sardanapallum parat. Quo audito Sardanapallus talenta auri ducenta per præconem conſtituit ei, qui occidiſſet iſtos Præfectos, qui autem viuos tradidiſſet, duplex pretium, & Mediæ Præfecturam pollicitus eſt. Verùm neminem ea præmia mouerunt. Rex initio tribus prælijs rebelles cædit, & victor exiſtit. Sed cùm è tanto ſucceſſu, tùm inſolentior, tùm negligentior factus ad voluptates ſuas redijſſet, & Regis exemplum imitaretur miles, eximprouiſo Exercitus vino ſomnoque grauatus à Præfectis opprimitur, & Dux ipſe *Salamenus* vxoris frater in pugnâ deſideratur, tantaque ſtrages editur, vt fluuius redundante hominum ſanguine, colorem mutaret: ſicut ſcribit *Diodor. Sicul. l. 2. c. 7.* Rex verò nondum ſe conſilio deſerit, ſed quinque liberis, inter quos filij tres erant ad Cottam Paphlagoniæ præſidem Ducum omnium ſibi gratiſſimum, cum magnâ gazâ miſſis, Niniuem confugit, eamque commeatu inſtructam egregiè munit, quem ſtatim inſequuti Præfecti obſidione cingunt. Rex nullum periculum extimeſcit, tùm quia ab Oraculo reſponſum accepiſſe Maiores nouerat, nunquam capi poſſe Niniuem Vrbem, niſi fluuius (nempe Tigris) hoſtis vrbi fieret. Quod nunquam fore ratus Sardanapallus, obſidionem in tertium vſque annum tolerauit.

Tigridis tandem inundatio ita creuit, vt magna muri pars, nempe ad ſtadia viginti conciderit, hinc Sardanapallus ad deſperationem adigitur: putabat namque fatale Oraculi tempus aduenisse. Ideoque in Regiam ſe recepit, & ne in poteſtatem hoſtium veniret, viuus pyrâ ingenti ibi extructâ ſe illi cum vxore, & pellicibus, & veſtibus regijs, omnique gazâ, quam immenſam fuiſſe memoriâ proditum eſt, incluſit, atque Vulcano conſecrauit anno regni ſui 20. *Diodorus. Athenæus*, *Euſebius*, *Suidas*, *& alij.* Quod incendium per 15. dies durauit; Et hic fuit functus

Digitized by Google

ſtus ille tragicuſque tanti Regis exitus.

Appollodorus (vt citat Ariſtophanis interpres) tradit eius ſepulchro Epitaphium huiuſmodi literis Aſsyrijs inſculptum fuiſſe : ἔσθιε, πῖνε, ὄχευε, ὡς, τὰ ἄλλα οὐδενός ἐστι ἄξια. Id eſt, *Ede , bibe , vtere Venere : nàm cætera ſunt nihil*. Imperij igitur conuerſiones eo citius accidunt, ſi Tyrannus auaritiâ,aut impotenti libidine, aut vtroque vitio fractus langueſcat: plures enim voluptas perdidit , quàm crudelitas : Quia crudelitate homines perterrentur: at libido Tyranni non modò ſubditos ad odium,verùm etiam ad contemptum excitat:cùm intelligunt hominem voluptatibus deditum impotentis animi eſſe , nec imperio dignum videri, qui imperare ſibi non poſſit.

Huc quoque referri poteſt elegans Epigramma *Actij Sannazarij*, in quo vox talium Sardanapallorum atque Epicureorum venuſtè, & eleganter depingitur.

Maius adeſt, da ſerta puer : ſic ſancta vetuſtas
Inſtituit, priſci ſic docuere Patres.
Iunge hederam violis, myrtum ſubtexe liguſtris ,
Alba verecundis lilia pinge roſis.
Fundat inexhauſtos mihi decolor Indus odores:
Et fluat Aſſyrio ſparſa liquore coma.
Grandia fumoſo ſpument cryſtalla lyæo.
Et bibat in calices lapſa corona meos.
Poſt obitum non vlla mihi Carcheſia ponet
Æacus, infernis non viret vua iugis.
Heu vanum mortale genus, quid gaudia differs?
Falle diem : medijs mors venit atra iocis.

ANNO M. 3162.

ALLADIVS Rex Latinorum , hiatu terræ cum totâ domo, quòd fulmen Iouis imitaretur,abſorbetur,cum annos 19. regnaſſet . Tempore Dionyſij Halicarnaſſei veſtigia ædificiorum in lacu pellucente adhuc apparuerunt. Succedit *Auentinus* Rex Latinorum duodecimus , qui monti Auentino nomen dedit. *Dionyſ.*

ANNO

ANNO M. 3165.

CVM euolutus eſſet annus, IOAS rex Iudæ, qui occidi iuſſerat Zachariam Sacerdotem Ioiadæ filium, & ipſe à ſeruis occiditur; cui ſuccedens *Amaſias*, interfecit eos, qui patrem occiderant.

ANNO M. 3194.

AMASIAS Rex Iudæ in Lachis fugiens, ob coniurationem aduerſus eum Ieroſolymis factam, occiditur. Tulit autem vniuerſus populus Iudæ Azariam annos natum ſexdecim, & conſtituerunt eum Regem pro patre eius Amaſia. 2. *Reg*. 14. 2. *Chron*. 25.

ANNO M. 3200.

TELECLVS, Rex Spartanorum ex Agidarum familiâ, occiditur à Meſſenijs in templo Dianæ, cum annis 40. regnaſſet. Succedit *Alcamenes* filius, qui diutiſſimè Reipublicæ præfuit annis videlicet ſeptuaginta ſeptem. Hic legatum *Charmidam* in Cretam mittit, vt ortas ſeditiones comprimat, & vrbes, quæ maritimæ non eſſent excindat. Huius tempore bellum Hiloticum fuit, quibus auxilia tulerunt Argiui, ſed victi ſunt. *Pauſ. in Laconicis*.

ANNO M. 3221.

AZARIAS Rex Iudæ cùm de Arabibus, & Ammonitis triumphaſſet, multaſque extruxiſſet Ciuitates ob nimiam felicitatem in ſuperbiam elatus, neglexit Dominum ſuum, ingreſſuſque templum Domini adolere voluit incenſum ſuper Altare Thimiamatis, quamobrem ad diem vſque mortis, à Domino leprâ percuſſus eſt, regnumque gubernante filio Ioatham, qui ei ſucceſſit. 2. *Reg*. 15.

AN-

ANNO M. 3232.

ZACHARIAS filius Ieroboam quartus, Rex Iſraelis decimus, & poſtremus ex ſtirpe Iehu, regnauit ſuper Iſrael menſes ſex, poſt quos à ſeditioſo quodam *Sallum* filio Iabeshi interfectus eſt coram populo. Hic verò poſtquam regnauerat menſe vnico ſuper Iſrael, à Menachem filio Gadi occiditur, qui auditâ Regis Zachariæ cæde, & Shallumi ferociâ, interfectores Regis fortitèr adoritur, omnemque factionem aduerſariam extinguit. Thapſenſes etiam, qui portas ipſi clauſerant, internecione delet, & prægnantes, inauditâ populo Dei crudelitate, diſſecat. 2. *Reg.* 15.

ANNO M. 3254.

ROMVLVS anno tertio vrbis conditæ, vt ciuibus ſuis vxores, vel vi (cùm beneuolentiâ non poſſet) conciliaret, morbum ſimulat, Ludos indicit *Conſuales*, vt poſt vocati ſunt, die 21. Auguſti, & vicinos inuitat, intentas in ludos Virgines rapit numero ſeptingentas, & octoginta tres, eaſque ciuibus diſtribuit. Ceninenſes iniuriâ raptarum virginum prouocati, primum Romanis bellum mouent, ſed vincuntur, & Romulus primus, quod Regem eorum occidiſſet, *Spolia Opima* retulit, eaque in Capitolinum montem attulit, vbi Ioui Faretrio templum olim condendum deſignauit. Inde vrbem Ceninenſium excindit, & ciues Romam traducit, id quod fecit, & Atemnatibus, qui paulò poſt victi ſunt. *Plutarch. Dionyſ.*

ANNO M. 3259.

SABINI Romam obſident, arcem Tarpeiam proditione capiunt, Romanos primo prælio fundunt: ſed cùm Romulus Templum Ioui Statori vouiſſet, & prælium reſtituiſſet, id tandem raptarum virginum ſtudio, hinc patres, fratres &c. illinc viros pacis admonentium, diremptum eſt, & Sabini in Vrbem recepti, Rexque *Tatius* in ſocietatem regni à Romulo aſſumptus, cum ipſo quinquennium regnat, quo tranſacto, cum *Tatius*

Digitized by Google

tius latrones quoſdam ſupplicio eriperet, trucidatur. *Plutarch. Dionyſ.*

Circa hæc tempora *Sabbacon* Ætiops in Ægyptum irruit, & *Bocchorin* prælio captum igne cremat, regnatque annos octo. *Maneth.*

ANNO M. 3265.

OSEE filius Ela coniurauit, & tetendit inſidias contra *Phacee* Regem Iſraelis filium Romeliæ, percuſſitque eum, & interfecit, regnumque Iſraelis inuaſit. 2. *Reg.* 15.

ANNO M. 3274.

LACEDÆMONII cum Meſſenijs prælio concurrunt, in quo *Euphaes* Rex Meſſeniorum cadit, cùm annos 13. regnaſſet, tot videlicet, quot bellum hoc Meſſeniacum durauerat. *Pauſ.*

ANNO M. 3275.

ARISTODEMVS, filiam pro patriâ mori recuſantem interficit, poſtea creatur Rex Meſſeniorum. *Pauſ.*

ANNO M. 3277.

HYPPOMENES adulterum cum filia deprehenſum equis diſcerpſit. Filiam verò cum equo carceri incluſit, quæ ab equo, cùm neutri alimentum præberetur, viua deuorata fuit. *Reiner.*

ANNO M. 3283.

MESSENII cùm ex oraculo didiciſſent, pro victoriâ Ioui apud Meſſenios dedicandos eſſe tripodes: Spartanorum quidam, oraculo hoc comperto, fraude apud Meſſenios venit, & tripodes dedicat, priuſquam Meſſeniorum tripodes fabricarentur. Cùm verò paulò poſt prodigia euenirent triſtia, *Ariſtodemus* Meſſeniorum Rex ijs perterritus, manus ſibi violentas infert, cùm regnaſſet ſex annos, & aliquot menſes. *Pauſ.*

AN-

Digitized by Google

ANNO M. 3294.

SENNACHERIB filius Salmanaſſaris quadrageſimi primi Regis Aſſyriorum, homo crudelis, ſanguinarius, atque ſuperbus, ex Aegypto in Palæſtinam reuerſus, Lacishum obſedit. Ezechias populum hortabatur fidere in Domino, à quo ille minis, & blaſphemijs nitebatur eum auertere; Et quia bellum hoc iniuſtum erat, ideò infelices ſucceſſus, tragicoſque habuit euentus: nam orantibus Ezechiâ, & Eſaiâ, Angelus diſſipauit exercitum Sennacherib, & hic cùm in templo Idoli ſui Niſroch adoraret, à filijs proprijs *Adramelech*, & *Saraſſare* interemptus eſt, anno ſeptimo regni ſui. Diuerſam huius parricidij occaſionem Hiſtorici afferunt. Quidam putant, quòd Sennacherib ad reparandum Deorum ſuorum fauorem, ſuperſtitione crudeli duos paruos filios immolarit, ideòque à duobus natu maioribus Adramelech, & Saraſſare, inter ſacra immaniſſima gladio tranſuerberatus eſt. Sed ipſe ſolùm tres filios habuit, Adramelech, Saraſſar, & Aſſarhaddòn, vndè potiùs probabilius eſt quod alij ſcribunt, videlicet, quod Sennacherib filios ſuos Adramelechum, & Saraſſarem deſtinarit in ſacrificium victimæ; ſed illi de hoc periculo ſuo præmoniti illum parricidio è medio ſuſtulerint, & poſteà in terram Armeniorum aufugerint. 2. *Reg. cap.* 19. *verſ. vlt.*

ANNO M. 3295.

ASARCHADDON, poſt tragicum parentis exitum, regnum adeptus eſt, licet natu minimus. Hic varia habet nomina, nempe *Aſenaphar*. lib. 1. Eſdræ cap. 4. v. 10. *Asbazareth* 3. Eſdræ c. 5. v. 69. quæ vox ſemel tantùm in ſcriptura reperitur. *Nochordan* à Zonarâ. *Aſſarochoddas* à Ioſepho lib. 10. Antiq. Iudaic. c. 2. *Azaracoldus*, Reusn. Chron. p. 197. cauſa huius aſſumptionis fuit duplex, prima, quia iam ante, patre foris abſente, regnum adminiſtrauerat. Secunda quia fratres eius parricidæ, nempe Adramelechus, & Saraſſar, populari tumultu à regno eiecti in Armeniam aufugerant. 2. *Reg.* 19. v. 37. Idcircò ipſe ob innocentiam Patri ſurrogatus eſt, & propter Parentis ſui Sennache-

ribi peccata, qui vt diximus, ſuperbus, blaſphemus, atque perfidus fuit, à Deo qui viſitat iniquitatem Patrum in filios, punitus eſt. Nam à Merodacho Babyloniæ Præfecto ſuperatus, & familiam, & Aſſyriorum regnum interitu ſuo finiuit, anno regni ſui decimo.

ANNO M. 3297.

COntentione ortâ inter REMVM, & ROMVLVM de primatu nouæ Vrbis, quæ à Romulo nomen ſumpſit, Palatinum *Romulus*, *Remus* Auentinum ad inaugurandum templa capiunt. Priori Remo augurium veniſſe fertur, ſex vultures; iamque nunciato augurio, cùm duplex numerus Romulo ſe oſtendiſſet, vtrumque Regem ſua multitudo conſalutauerat tempore illi præcepto, at hi numero auium regnum trahebant. Inde cum altercatione congreſſi, certamine irarum ad cædem vertuntur, ibi in turbâ ictus *Remus* cecidit. Vulgatior fama eſt, (ſequitur *T. Liuius*) ludibrio fratris Remum nouos tranſiluiſſe muros: indeq; ab irato Romulo (cum verbis quoque increpitans adieciſſet, *Sic deinde quicumque alius tranſiliet mœnia mea*) interfectum. Ita ſolus potitus imperio Romulus fuit primus Rex Romanorum, ſed cùm regnaſſet annos 37. turbine abripitur ad Capræ paludem nonis quintilibus, vt *Liuius* habet, vel veriùs interfectus eſt, vt *Dionyſ.* aſſerit, vbi vlteriùs addit. Quòd ſol defecerit, & in eius conceptu, & in eius obitu. De eo cecinit quidam Poeta.

Sanguine fundatum eſt hoc regnum: ſanguine cœpit,
Sanguine ſuccreuit: ſanguine finis erit.

Secutum eſt inter regnum vnius anni. Porrò res Romana ſub ipſo adeò creuit, vt cùm trium millium peditum Coloniam deduxiſſet, & equites trecentos; ſub obitum eius numerarentur pedites 46000. & mille equites. Poſt annuum interregnum, & diutinam deliberationem, ad regnum euocatur *Numa Pompilius*, ſecundus Romanorum Rex, annos natus 40. regnauitque annos 43. *Aſſes* primus ex non ſignato argento, & ære cuſos Romanis largitus eſt, cùm antea ipſorum vſum, aſſes ſcortei, lignei, & figulini ſupplerent. *Plut. & Dionyſ.*

AN-

ANNO M. 3300.

CANDAVLES MYRSILVS, vltimus ex Heraclidis Lydorum Rex, dum veſano inſtituto Gygi vxorem nudam conſpiciendam præbet,ſibi interitum parat, Gygi verò matrimonium, & regnum conciliat. Regnauerat *Candaules* annis 18. *Gyges* verò obtinuit regnum annis 33. *Herodot.*

ANNO M. 3327.

MANASSES filius Ezechiæ Regis,cùm eſſet annorum duodecim patri ſucceſſit,regnauitque in Ieruſalem quinquaginta annis,& ob ſuas impietates ab exercitu Regis Aſſyriæ, captiuus in Babylonem ducitur, ſed in ſuâ afflictione ad Deum conuertitur, ſuoque regno reſtituitur,& idolis abiectis, Dei cultum reſtaurat, & moritur circa annum mundi 3361. cui ſucceſſit impius filius *Amon*, de quo infra.

ANNO M. 3328.

METIVS FVFETIVS Dux Albanorum, cùm ſe inuidioſum apud ciues videret,quòd bellum ſola trigeminorum certatione finiſſet, vt rem corrigeret, Veientes, & Fidenatos aduerſum Romanos incitauit. Ipſe ab Tullo in auxilium arceſſitus, aciem in collem ſubduxit, vt fortunam belli experiretur, ac ſequeretur. Quâ re Tullus intellectâ,magnâ voce ait, ſuo illud iuſſu Metium facere. Quare hoſtes territi victique ſunt. Poſterâ die *Metius* cum ad gratulandum Tullo veniſſet, iuſſu ipſius quadrigis religatus, & in diuerſa diſtractus eſt. *Aurel. Vict.* De cuius mortis genere loquitur *Virgil. Æneid.7.*

Turbatus diſtractus equis &c.

ANNO M. 3340.

PSAMMETICHVS vnus ex optimatibus, qui hactenus regnum Aegypti adminiſtrarant, cùm Iones quidam, & Cares eò fortè appuliſſent,forti eorum operâ vſus, reliquos Reges deuicit, & occidit, Græcis autem his locum, vbi habitarent, de-

Digitized by Google

dit; regnauitque *Pſammetichus* annis 54. *Herodot. lib.* 2.

ANNO M. 3092.

TVLLVS HOSTILIVS Rex Romanorum bellum Fidenatibus infert, & auxilia Albanorum accerſit. In ipſo prælio *Metius* Albanorum dictator proditionem molitur. *Hoſtilius* hiſce nihil deterritus, fortiter rem peragit, & Fidenates vincit, inde Metium, quod ancipitem in prælio animum geſſiſſet, quadrigis alligatum diſcerpit, & ipſam vrbem *Albam*, cum ſtetiſſet annis 487. ex fundamentis diruit, ciueſque ſimul omnes Romam traducit, Cœlium Montem Vrbi adiungit, Curiam Hoſtiliam extruit. *Dionyſ. lib.* 3. Cùm autem annos 32. regnaſſet, perijt cum omni familiâ incendio, quod an fraude humanâ, an verò fulmine factum ſit, ignoratur; ſuſpectus maximè fuit *Ancus Martius*, Numæ nepos, qui priuatus, quòd alieni in auito regno dominarentur, ægrè tulerat. Succedit ipſi *Ancus*, Romanorum Rex quartus electus à ſenatu, & populo. *Dionyſ. ibid.*

ANNO M. 3348.

HOLOFERNES à Nabuchodonoſor mittitur, omnia regna, & populos vaſtaturus, qui cùm Bethuliam Iudææ vrbem arctâ obſidione cingeret, à Iudithâ capite truncatus, occubuit. *Iudith.* 5. *vſq. ad* 15. *cap.*

ANNO M. 3363.

AMON filius Manaſſis regis Iudæ, ſuccedit patri in regnum, & biennio poſt à ſeruis ſuis interficitur, cæſiſque à populo illis, qui eum percuſſerant, conſtituitur Rex pius *Ioſias* filius eius pro eo. 2. *Reg. cap.* 21. Hic fideli præceptorum ſuorum inſtitutione, tanta pietatis incrementa hauſit, vt eſſet ſuperſtitionis hoſtis accerrimus, cultor veræ religionis diligentiſſimus, & pietate poſt Dauidem nulli ſecundus. Et ſic impijſſimus Pater, pijſſimum filium ſucceſſorem habuit. 2. *Reg. cap.* 22.

AN-

ANNO M. 3366.

PHRAORTES, cùm magnam partem Aſiæ ſibi ſubieciſſet, Aſſyrios etiam bello aggreditur. Tandem in bello contra ipſos perijt anno Imperij 22. cui ſucceſſit *Cyaxares* filius, qui parentis necem vlturus, bellum contra Aſſyrios continuauit, eos magno prælio vicit, Niniuemque vrbem obſedit. *Herodot. lib.* 1.

ANNO M. 3400.

TARQVINIVS Priſcus, origine Corinthus ex tutore filiorum *Anci* Romanorum Regis, regnum ſibi affectauit, & poſt Circi maximi ædificationem, poſt multas victorias contra Hetruſcos, & Sabinos habitas, iam ferè octogenarius, inſidijs filiorum *Anci* interijt, cum annis 38. regnaſſet. Succeſſit *Seruius Tullius* gener, triginta annorum,cuius hiſtoriam ſic refert *T. Liuius lib.* 1.40. Duodequadrageſimo ferme anno, *inquit*, ex quo regnare cœperat Tarquinius, non apud Regem modò, ſed apud Patres, plebemque longè maximo honore Seruius Tullius erat. Tum Anci filij duo, etſi antea ſemper pro indigniſſimo habuerant, ſe patrio regno tutoris fraude pulſos, regnare Romæ aduenam, non modò ciuicæ, ſed ne Italiæ quidem ſtirpis, tum impenſius his indignitas creſcere,ſi ne ab Tarquinio quidem ad ſe rediret regnum, ſed præceps inde porrò ad ſeruitia caderet: vt in eadem ciuitate poſt centeſimum ferè annum, quàm Romulus Deo prognatus, Deus ipſe, tenuerit regnum, donec in terris fuerit, id ſeruus ſerua natus poſſideat: tum commune Romani nominis, tum præcipue id domus ſuæ dedecus fore, ſi Anci Regis virili ſtirpe ſaluâ, non modò aduenis, ſed ſeruis etiam regnum Romæ pateret. Ferro igitur eam arcêre contumeliam ſtatuunt. Sed, & iniuriæ dolor in Tarquinium ipſum, magis quàm in Seruium eos ſtimulabat: & quia grauior vltor cædis, ſi ſupereſſet, Rex futurus erat, quàm priuatus: Tum, Seruio occiſo, quemcumque alium generum delegiſſet,eundem regni hæredem facturus videbatur. Ob hæc ipſi Regi inſidiæ pa-

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE ROMA

parantur. Ex paſtoribus duo ferociſſimi delecti ad facinus, quibus conſueti erant vterque agreſtibus ferramentis; in veſtibulo regiæ quàm potuêre tumultuoſiſſimè, ſpecie rixæ in ſe omnes apparitores regios conuertunt, inde, cùm ambo Regem appellarent, clamorque eorum penitus in regiam perueniſſet, vocati ad Regem pergunt. Primò vterque vociferari, & certatim alter alteri obſtrepere: coerciti ab lictore, & iuſſi inuicem dicere, tandem obloqui deſiſtant: Dum intentus in eum ſe Rex totus auerteret, alter elatam ſecurim in caput deiecit: relictoque in vulnere telo, ambo ſe foras eijciunt. *Hactenus Liuius*.

ANNO M. 3416.

NABVZARDAN Princeps militiæ à *Nabuchodonoſor* miſſus, Hieroſolymam ingreſſus eſt poſt biennium obſidionis, & Sedekias Rex Iuda fugiens capitur; filijſque eius coram ipſo trucidatis vnâ cum principibus Iuda exoculatus, ac vinctus ducitur in Babylonem: & incenſo templo, & palatio, cæteriſque domibus transferuntur omnes in Babylonem, præter paucos vinitores, & agricolas: Similiter, & vaſa templi, inter quæ deſcribuntur duæ æreæ columnæ, & numerus Iudæorum in Babylonem diuerſis temporibus translatorum, vbi Rex Ioachim poſt 37. annos de carcere eductus, exaltatur. *Ierem.*2.*Reg.*25.

ANNO M. 3417.

NABVCHODONOSOR Rex Babylonis prẹfecit *Godoliam* filium Ahicam filij Saphan, populo qui relictus erat in terrâ Iudâ. Menſe autem ſeptimo, veniens *Iſmahel* filius Nathaniæ, filij Eliſama de ſemine regio, vnâ cum decem viris percuſſit *Godoliam*, qui & mortuus eſt: occiditque Iudæos, & Chaldæos, qui erant cum eo in Maſphâ. In cuius cædis memoriam annuum ieiunium à Iudæis obſeruatur menſe huiuſmodi ſeptimo, qui dicitur *Tiſcrì*.2.*Reg*.25.

AN-

ANNO M. 3433.

APRIES Ægypti Rex, aduerſus Cyrenæos exercitum eduxit, magnâque clade affectus eſt: Ægyptij hoc ægrè ferentes, vt qui videbant eam, regis culpâ accidiſſe, *Amaſin* Regem eligerunt, qui Aprien prælio vicit, cæpit, & ex voluntate Ægyptorum ſtrangulauit, cum annis 25. regnaſſet. *Herod. lib. 2.*

Hunc Regem Ægyptij initio non magni fecerunt, vt qui antea plebeius fuiſſet, & familiæ haud illuſtris: poſtea verò calliditate magis eos Amaſis, quàm animi comitate ad ſe pellexit. Erat ipſi *Peluis aurea*, in quâ tam ipſe *Amaſis*, quàm conuiuæ omnes ſemper pedes lauabant. Contusâ ergo pelui, ſtatuam Dei ex illâ fecit, & in eâ vrbis parte collocauit, vbi erat commodiſſimum. Ægyptij autem itantes ad Statuam, ſtudioſè eam coluerunt. Quo Amaſis cognito, accerſitis Ægyptijs expoſuit, dixitque: *Statuam ex pelui factam eſſe, in qua prius lauerit pedes, modo autem religiosè ab illis coli. Nunc igitur (inquit) eadem eſt mea, quæ peluis ratio. Vt enim prius fuerim plebeius, nunc tamen Rex veſter ſum. Honorare igitur me, & venerari vos iubeo. Hac quidem ratione Aegyptios ſibi conciliauit, vt æquum iudicarent ipſi ſeruire.* Herodot. ibid.

ANNO M. 3434.

NABVCHODONOSOR II. cognomento *Magnus*, Aegypto potitus, omnes eius vrbes deuaſtauit, eorumque habitatores, alios interemit, alios captiuos abduxit. Deinde Babylonem reuerſus, vidit ſomnium de excelsâ arbore præcisâ, quod ſolus Daniel interpretatus eſt. Duodecim menſibus à ſomnio exactis, in ſuperbiam elatus, obturatas ad Prophetæ Danielis admonitiones, & Dei comminationes habebat aures, vt eas non audiret. *Dan. 4. v. 24.* Quin potius exſerto collo, vt Moſes loquitur, in peccatis ambularet, & de ſuo excelſo gloriaretur palatio: Regiam enim ſuam contemplans dicebat: Hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui, in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei. Tunc enim cum ſer-

ſermo eſſet adhuc in ore Regis, ecce vox de Cælo decidit, h. e. de throno Dei omnipotentis ſententiâ damnatoriâ pronunciata eſt, eaque cùm impetu inſtar fulminis ruit, & non ad alium quempiam internuncium, ſed ad ipſum Nabuchodonoſorem directa eſt, vt tantò fortiùs eum feriret. & percelleret. *Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus eÿcient te &c.* Dan.4.v.27.28. ſequitur v.30. *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſorem, & ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius, quaſi auium.* O exemplum luctuoſum, atque tragicum! Quis enim non miretur, quòd tantus Rex, & Monarcha, qui à Ieremiâ vocatur malleus Dei, & vniuerſæ terræ, de ſolio, & regno ſuo deijciatur, ab hominum ſocietate remoueatur, in ſolitudinem ſylueſtrem fugiat, & bouis pabulo vtatur. Elapſo ſeptennio humiliauit ſe, & qui renuit audire verba, ſenſit verbera, recognouitque Deum Cæli, dicens: *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo, & magnifico, & glorifico Regem Cæli, quia omnia opera eius ſunt veritas, & omnes viæ eius iudicia; & ipſe ambulantes in ſuperbia poteſt humiliare.* Et tunc in regnum ſuum reſtituitur, mortuuſque eſt poſtquàm regnaſſet annos 43. iuxta communem Hiſtoricorum ſententiam.

ANNO M. 3443.

EVILMERODACHVS Nabuchodonoſoris magni filius, patri poſtquàm 43. annos regnaſſet, in imperio ſucceſſit, qui tandem à marito ſororis ſuæ *Neriglißoro*, propter eius iniquitates, àc libidines interemptus eſt, quem in regno Babylonis ſucceſſorem habuit quatuor annorum ſpatio: quo mortuo regnauit Laboroſoarchus *Megaſthenes.*

ANNO M. 3444.

SERVIVS TVLLIVS Romanorum Rex, ſcelere Tarquinij Superbi, & filiæ occiditur, & ſepulturâ prohibetur. Tulit enim, inquit *T. Liuius lib.46.dec.1.* & Romana regia ſceleris tragici

gici exemplum, vt tædio Regum maturior veniret libertas; vltimumque regnum eſſet, quod ſcelere partum foret. Paucis interiectis ſequitur *T. Liuius* graphicè deſcribere modum, quem Tarquinius tenuit, vt regnum occuparet, nempe mulieribus inſtinctus furijs Tarquinius, circumire, & prehenſare minorum maxime gentium Patres, admonere paterni beneficij, ac pro eo gratiam repetere: allicere donis iuuenes: tum de ſe ingentia pollicendo, tum Regis criminibus omnibus locis creſcere: poſtremò, vt iam agendæ rei tempus viſum eſt, ſtipatus agmine armatorum, in forum irrupit: inde omnibus perculſis pauore, in regiâ ſede pro curiâ ſedens, Patres in curiam per præconem ad Regem Tarquinium citari iuſſit. Conuenêre extemplo, alij iam ante ad hoc præparati, alij metu, ne, non veniſſe fraudi eſſet: nouitate, ac miraculo attoniti, & iam de Seruio actum rati. Ibi Tarquinius maledictâ de ſtirpe vltimâ orſus; *Seruum ſeruaque natum poſt mortem indignam parentis ſui, non interregno, vt antea inito, non comitijs habitis, non per ſuffragium populi, non auctoribus Patribus, muliebri dono regnum occupaſſe. Ita natum, ita creatum Regem, fautorem infimi generis hominum, ex quo ipſe ſit, odio alienæ honeſtatis ereptum primoribus agrum ſordidiſſimo cuique diuiſiſſe: omnia onera, quæ communia quondam fuerint, inclinaſſe in primores Ciuitatis: inſtituiſſe cenſum, vt inſignis ad inuidiam locupletiorem fortuna eſſet, & parata, vnde, vbi vellet egentiſſimis largiretur.* Huic orationi Seruius cùm interfuiſſet, trepido nuncio excitatus, extemplo à veſtibulo Curiæ magna voce: *Quid hoc,* inquit, *Tarquinij rei eſt? qua tu audacia me viuo vocare auſus es Patres? aut in ſede conſidere mea?* Cùm ille ferociter ad hæc, *ſe patris ſui tenere ſedem, multo quam ſeruum potiorem filium Regis regni hæredem: ſatis illum diu per licentiam eludentem inſultaſſe dominis.* Clamor ab vtriuſque fautoribus oritur, & concurſu populi fiebat in curiam, apparebatque regnaturum, qui viciſſet. Tum Tarquinius, neceſſitate iam etiam ipſa cogente, vltima audere, multo, & ætate, & viribus validior, medium arripit Seruium elatumque è curia, in inferiorem partem per gradus deijcit. Inde ad cogendum Senatum, in curiam redit. Fit fuga Regis ap-

paritorum, atque comitum. Ipſe propè exanguis cum ſemianimi regio comitatu domum ſe reciperet, perueniſſetque ad ſummum Cyprium vicum, ab ijs qui miſſi ab Tarquinio fugientem conſecuti erant, interficitur. Creditur quia non abhorret à cætero ſcelere, admonitu Tulliæ id factum: Carpento certe (id quod ſatis conſtat) in forum inuecta, nec reuerita cætum virorum, euocauit virum è curiâ, Regemque prima appellauit, à quo faceſſere iuſſa ex tanto tumultu, cùm ſe domum reciperet, perueniſſetque ad ſummum Cyprium vicum, vbi Dianium nuper fuit, flectente carpentum dextra in Virbium cliuum, vt in collem Exquiliarium eueheretur, reſtitit pauidus, atque inhibuit frenos is, qui iumenta agebat, iacentemque Dominæ Seruium trucidatum oſtendit. Fœdum inhumanumque inde traditur ſcelus, monumentoque locus eſt: Sceleratum vicum vocant, quo amens agitantibus furijs ſororis, ac viri, Tullia per patris corpus carpentum egiſſe fertur: partemque ſanguinis, ac cædis paternæ cruento vehiculo contaminata ipſa reſperſaque tuliſſe ad penates ſuos virique ſui: quibus iratis, malo regni principio ſimiles propediem exitus ſequerentur. *Hactenus. T. Liuius.*

Verùm cùm *Sextus Tarquinius*, Tarquinij Superbi filius, *Lucretiæ* pudicitiam violaſſet, Regi per Brutum clauſæ fuerunt portæ, indictumque fuit exilium, & Tarquinius exul mortuus eſt Cumis apud Ariſtodemum tyrannum, quo ſe contulerat, poſt fractas Latinorum opes, in ſummâ miſeriâ; Et Sextus Tarquinius Gabios, tanquam in ſuum regnum profectus, ab vltoribus veterum ſimultatum, quas ſibi ipſe cædibus, rapiniſque conciuerat, eſt interfectus. Deinde Brutus iureiurando populum adſtrinxit, neminem regnare Romę paſſurum, continuatumque eſt imperium per Conſules, per Tribunos, per Magiſtratus decem virorum, per Dictatorès, & per Tribunos militares, vſque ad *Iulium Cæſarem*, de quo ſuo loco.

ANNO M. 3449.

LABOROSOARCHVS, cùm ſex annis regnaſſet, partim odio tyrannicæ crudelitatis, quâ vtebatur, partim ſtudio rerum no-

nouarum, à Proceribus regni expulſus, interijt, ſucceſſoremque habuit Nabuchodonoſoris ex filio Euilmerodaco nepotem, quem Beroſus *Nabonidem*, Herodotus *Labynithum*, Abydenus *Nabonnidochum* vocant, & quem nos cum Daniele Propheta *Belſazar* ſiue *Balthaſſarem* appellamus, qui imperium tenuit annos 17.

ANNO M. 3466.

BALTHASSAR Rex Euilmerodaci filius, prauæ indolis adoleſcens, voluptuoſus, ac leuis, facit grande conuiuium optimatibus ſuis mille, bibentibus in vaſis templi Domini, viditque Rex digitos in pariete ſcribentes, *Mane*, *Thecel*, *Phares*, & adeò conſternatus eſt, vt color faciei protinus immutaretur, & cogitationes eius eum turbarent, ipſeque toto corpore contremiſceret, itaut epileptico paroxyſmo correptus videretur. *Dan.* 5. Nullus autem ex Magis, Chaldęis, & aruſpicibus potuit ſcripturam legere, & intelligere, niſi ſolus Daniel, nempe quia ſecutus ipſum Nabuchodonoſorem eleuauerit contra Deum cor ſuum, laudans idola, ſimiliter auferetur ei regnum; Honorato igitur Daniele eâ nocte interfectus eſt Balthaſſar Rex Chaldęus, ſuccedente Dario Medo in regnum anno ætatis ſexageſimo ſecundo. *Dan.* 5. Neque humi defoſſus, aut tumulatus fuit, ſed triſti ſpectaculo cadauer eius tractum, & ſine ſepulturæ honore proiectum, vt fieret eſca auium, & beſtiarum. Vnde verum eſt quod *Iuuenalis* canit.

Ad generum Cereris, ſine cæde, & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

ANNO M. 3475.

CYRVS Rex Perſarum, cuius vita inſtar tragediæ fuit; nam exordium fuit triſte, & miſerum, quia ab *Aſtyage* Medorum Rege auo materno, morti deſtinatus exponitur, & in ſyluam vaſtiſſimam abijcitur, à Paſtoris vxore Spaco lactatur, & in paſtorali domo educatur, agnitus ab auo ex Mediâ in Perſiam extruditur *Herod. lib.* 1. *Iuſtin. lib.* 1. Medium vitæ fuit lætum, ſed for-

fortunæ blandientis fulgore excæcatus, ſpreto *Craſi* conſilio, conſtituit bellum inferre Scythis, qui vltra Araxem fluuium habitabant. Tranſit Araxem fluuium,& magnam exercitus Scytharum partem in fraudem illectam, dum poculis indulgent, trucidat, & *Spargabiſen* Tomyris Reginæ filium captiuum ducit. *Tomyris* Schytharum Regina hoſtes recenti victoriâ exſultantes, pari inſidiarum fraude circumuenit, quippe ſimulatâ diffidentiâ propter vulnus acceptum, refugiens, Cyrum in anguſtias viarum ſuo militi notas pertraxit,(ecce Cyri finis infelix, & tragicus) ibi compoſitis in montibus inſidijs, ducenta Perſarum millia cum ipſo Rege trucidauit, ita vt tantæ cladis ne nuncius quidem ſupereſſet. *Herodotus*, & *Iuſtinus* narrant, quòd Tomyris cadaueri Regis inter occiſorum ſtragem reperto, caput præciderit, idque in vtrem ſanguine humano repletum, mortuoque inſultans dixerit. *Tu quidem filium meum dolo perdidiſti: Ego verò cruore te ſatiabo*. Vel (vt Iuſtinus habet) *Satia te ſanguine, quem ſitiuiſti, cuiuſque inſatiabilis ſemper fuiſti*. Regnauit autem *Cyrus* annos ferè triginta: Succeſſit filius *Cambyſes* tyrannus, qui imperauit annis ſeptem, & menſibus quinque.

ANNO M. 3480.

AMASIS Rex Ægypti, Apriæ per ſeditionem regnum eripuit, illudque tantùm ad *Pſammenitum* filium tranſtulit, quod ſolum per ſex menſes tenuit. Hic cùm prælium cum Cambyſe committeret, vincitur, & incluſus *Memphi* viuus capitur, Cambyſi traditur,& aliquanto poſt interficitur,quoniam Ægyptios ad rebellionem ſollicitaſſet; atque ita regnum Aegypti deſit, quod per multa ſæcula floruerat, & ad Perſas tranſijt.

ANNO M. 3482.

CAMBYSES Medorũ, & Perſarũ Rex, Cyri filius,Tyrannus, inceſtuoſus, vir ſanguinum atque doloſus, Aetiopibus bellum illaturus,magnâ clade afficitur, quòd iter ingreſſus eſſet, non pręparato commeatu; quo deficiente, iumenta primùm mactarunt, poſt herbis victitarunt, ijs etiam in ſabulo deficientibus.

bus, decimum ſorte lectum deuorarunt: Et ita coactus eſt nullo viſo hoſte, redire in Aegyptum. Eodem tempore miſit etiam exercitum ad Ammonios vaſtandos. Is exercitus, nec ad Ammonios venit, nec poſt comparuit: creditur arenâ obrutus fuiſſe. *Herodot.lib* 3. Falsâ ſuſpicione motus *Smerdem* fratrem ſuum, nefario, atque immani auſu trucidari iuſſit, metuens ne occuparet Imperium. Sororem ſuam, eandemque vxorem crudeliſſimè interemit. Cùm enim (*vt Herodotus refert*) Cambyſes duos catulos, vnum Leonis, alterum canis inter ſe committeret, catellus verò à Leone ſuperaretur; ibi alter catellus huius frater abrupto loco ſuperuenit, eumque oppreſſo Leone liberauit. Hæc Regina Cambyſis ſoror, & vxor, quę ſpectaculo illi intererat, videns, lacrymas effudit: Rogata cauſam, cùm reſpondiſſet, ſe viſo catello fratri ſuppetias ferente, ideò fleuiſſe. Quia memoria Smerdis in mentem ſibi venerit, cuius ſciret neminem vltorem fore. Quo reſponſo Cambyſes grauiter excandeſcens, eam grauidam interemit. Filium *Prexaſpſis*, cum propter temulentiam reprehendentis, ſagittâ transfixum interfecit. Plurimos Perſarum Principes, & inter cæteros *Cræſum* etiam, vno tempore è medio ſuſtulit. Verùm Cambyſes talis cùm eſſet, aliquantò poſt diuinitùs punitus eſt, qui gladio ferijt, proprio gladio vulneratus, miſerè interijt. Cùm enim in equum aſcenderet, decidens ex vaginâ gladius ferit ei femur, ex quo vulnere poſt dies viginti mortuus eſt, cùm regnaſſet annos ſeptem, menſes quinque. Obtinuerunt Imperium Magi menſibus ſeptem.

POLYCRATES Samiorũ tyrannus, de quo *Cic. in lib. de Fin. Plinius* etiam, & diuerſi ſcriptores Græci meminerunt. Hic adeò fortunam habuit obſequioſam, vt omnia optata conſequeretur, & quicquid aggrederetur, efficeret. Fœdus fortè fecerat cum *Xantippo*, vel vt *Herodotus* tradit, cum *Amaſi* Aegyptiorum Rege, qui cùm audiſſet nihil vnquam ſibi aduerſi contigiſſe, ad moderandam fortunæ inuidiam Xantippi Regis ſiue Amaſis hortatu, annulum cum inſigni Smaragdo, quem cariſſimum habebat, in maris profundum iecit, quem paulo poſt inopinatè recuperauit: Nam à piſcatoribus piſcis, qui annulum deuorauerat

pau-

paucis poſt diebus captus eſt, & tyranno donatus: in cuius ventre compertus annulus, illi, veluti à Neptuno reſtitutus, traditur. Sed hic *Polycrates* cùm aduerſus Darium Perſarum Regem exercitum duceret, ab *Orate*, ſeu vt *Valerius Max*, habet, *Oronte* Perſa præfecto Ioniæ, Cariæ, & vicinis regionibus, per inſidias, & fraudem interceptus eſt. Nam ad fœdus, amicitiamque iungendam inuitatus, nihil doli, aut inſidiarum ineſſe ſuſpiciens, nec filiæ ſomnio deterritus, quæ nocte viderat illum ſublatum, roreque madentem, in die vero ſudantem, cùm ad Oratem, ſiue Orontem veniſſet, captus in ſummo Micalenſis montis vertice, ſuſpendi, & cruci affigi iuſſus eſt, ac relictus auibus dilacerandus; vt qui vbique feliciſſimè in terrâ vixerat, in aere miſerrimè expiraret. *De quo Strabo lib.* 14. *Oliu.* Tandem & ipſe *Orates*, ſiue *Orontes* poſt Polycratem occiſum, alioſque Darij Legatos interfectos, & ipſe trucidatur. *Herodot. lib.* 1.

ANNO M. 3483.

MOrtuo CAMBYSE Perſarum Rege, Magus quidam fingens ſe eſſe *Smerdem* Cyri filium, atque Cambyſis fratrem, regno præfuit menſibus ſeptem, ſed cognitâ fraude à Principibus Perſarum interficitur. Inde Regem ex ſuo numero creant eum, cuius equus ſole oriente prius hinniret, quòd aſſecutus eſt *Darius Hiſtaſpis*, conſilio ſui Equiſonis, qui ante conſtitutam diem noctu vnam equarum, quam equus Darij maximè adamabat, in locum deſignatum adduxit, ibique alligauit; tum equum Darij ibi adductum, equæ admouebat, & admittebat, ratus ex voluptate Veneris, & deſiderio equæ futurum, quod euenit. Poſtero die, vbi dies illuxit, ex pacto omnes Principes adfuerunt, equis inſidentes, & cùm ad locum peruenirent, vbi equa ſuperiore nocte fuerat alligata, ibi Darij equus, cognito loco ex deſiderio fœminæ hinnitum ſtatim edidit. Hinc reliqui Principes ex equis deſilientes *Darium* vt Regem adorarunt *Herodot. lib.* 3.

AN-

ANNO M. 3489.

CVM celebraretur feſtum Panathæniacum HIPPARCHVS Piſiſtrati frater,tyrannus Athenienſis,interficitur ab Harmodio, & Ariſtogitone viginti tribus annis ante cladem Marathoniam.*Hippias* enim filius Piſiſtrati, qui ſucceſſit patruo, quadriennio Athenis rerum potitus fuit, inde pulſus in exilium anno vigeſimo, cadit in prælio ad Marathonem. *Thucyd.lib. 6.* Tyrannicidæ comprehenduntur, inter quos etiam fuit *Leæna* concubina Harmodij, quæ cùm tormentis ſubijceretur,carnifice iam fatigato, poſtremò linguam ſuam morſibus abſciſſam, & comeſtam in faciem tyranni ſæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos prodere poſſet, etiamſi vellet. *Athæneus*.

ANNO M. 3495.

PORSENA Rex Cluſinorum, bellum pro Tarquinijs ſuſcepit, cui auxilia adduxit ex Latinis populis, Octauius Mamilius gener Tarquinij, & Romanorum quidem præſidium in Auentino monte pellitur, & Romà fugatur. Sed cum Porſena ad Ianiculum veniſſet, ne Tyberim tranſiret, virtute *Coclitis Horatij* prohibitus eſt, qui, dum alij pontem ſublicium reſcindunt, ſolus Etruſcos ſuſtinuit: & ponte rupto armatus ſe in flumen miſit, & ad ſuos tranauit. Inde bellum vario marte geſtum eſt, donec *Mutius Scæuola* Porſenam interfecturus, pro Rege ſcribam, cum neutrum nouiſſet, occidit, comprehenſus autem, impoſitam altaribus manum, in quibus ſacrificatum erat, exuri paſſus eſt: dixitque tales trecentos eſſe coniuratos in mortem ipſius Regis, quo audito, adeò territus eſt *Porſena*, vt pace cum Romanis factâ, obſidionem ſoluerit. *Dionyſ.lib.5.Liu.2.*

ANNO M. 3496.

AMAN à Rege ſublimatus ſuper omnes Principes Medorum, atque Perſarum, indignatur, quòd ſolus Mardochæus Iudæus ipſum non adoret; quapropter omnem Iudæorum interitum ab *Aſſuero* impetrat: Audito hoc *Eſther* ingreditur

ad

ad Regem, poſtulatque vt cum Aman ad ſuum veniat conuiuium ſemel, & iterum: interea Aman indignatus ſe à Mardochæo non honorari, crucem illi parat. Sed cùm Eſther iterum ad conuiuium Aman vnâ cum Aſſuero, inuitaſſet, Regem iam exhilaratum, Regina pro ſuâ, & populi vitâ præcatur, & Aman Iudæorum aduerſarium accuſat, quem Rex in cruce ab illo paratâ Mardochæo ſuſpendi iuſſit. Eſther ſuffecto Mardochæo in locum Amanis importat à Rege, vt nouis epiſtolis, veteres Aman literæ, inſidiatoris, & hoſtis Iudæorum, quibus eos in cunctis prouincijs perire præceperat, corrigantur. Hinc Iudæi hoſtes ſuos eodem die, quem ipſi Iudæorum cædi præſtituerant, trucidarunt, ſuſpenſis decem Aman filijs.

ANNO M. 3511.

CLEOMENES I. Spartanorum Rex, ex Agidarũ familiâ cùm Demaratum regno pepuliſſet, inſaniâ morbo corripitur, & non rectè cuſtoditus ſibi ipſi ſuras detruncauit, & indè fæmora diſcidit cum ventre, expirauitque. Succeſſit frater *Leonides*, qui regnauit annos 12. *Herod. l. 6.*

ANNO M. 3527.

LEONIDES Spartanorum Rex, ex genere Heraclidarum, vir magnanimus, atque fortiſſimus, cum trecentis Spartanis, quibus maximè confidebat, viginti millia Perſas vnâ nocte proſtrauit, nec Spartani expugnari potuiſſent, niſi *Epialtes* quidam proditor Perſis tramitem oſtendiſſet per montes eundi, quo Spartani circumuenti ſunt; tandem Leonides cum omnibus ſuis cæſus fuit. Adſcriptum fuit Spartanis hoc Epitaphium:

Dic, Hoſpes, Spartæ, te nos vidiſſe iacentes
Dum Patriæ ſanctis legibus obſequimur.

Proditor ille *Epialtes* poſtea proſcriptus; & interfectus fuit.

ANNO M. 3524.

MARDONIVS Dux Perſarum, ardore confligendi cum Græcis incenſus, numeroſiſſimum exercitum, nempè tre-cen-

centa millia militum ducens, caſtra ſua Græcorum caſtris oppoſuit, qui tantùm centum, & decem millia militum habebant. Græci cùm hoſtes inſtarent, concordiam iniêre, coniurauerunt-que ſimul, ſe vitam non pluris facturos, quàm libertatem; Se Duces non deſerturos; ſe cæſos ſepulturos, & nullam vrbem, quæ ſecum pugnaret aliquando deleturos; templa etiam à Perſis cremata non inſtauraturos, vt monimentum eſſent barbaricæ inuaſionis. Prælio igitur ad plateas facto, Græci magnâ victoriâ potiti ſunt: cùmque vir Spartanus lapidem ſuper Mardonij caput conijceret, cecidit ipſe *Mardonius*, & cum eo ducenta, & ſeptuaginta millia hominum, totuſque Perſarum exercitus fugatus, & diſſipatus fuit. *Plutarch. Herod. & Diodor.*

ANNO M. 3526.

PAVSANIAS Rex Spartanorum, ſiue Regis tutor, ex fideli erga patriam, infidelis, ex modeſto laſciuus, ex temperato intemperatus, & voluptuoſus extitit. Virginem enim quandam nobilem (vt *Plutarchus* ſcribit) præcipui Ciuis Bizantij filiam, nomine *Cleonicem* rapuit, eamque in ſubitâ conſternatione noctu gladio interfecit. Quæ ſubinde ei in ſomnis irata apparuit, pœnamque denuncians eum hoc verſu compellauit.

Στεῖχι δίκης ἆσσον, μάλα τοὶ κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

Pœna luenda tibi eſt, affert iniuria cladem.

Neque longè adfuit exitus; nam regnum totius Græciæ affectans, per occultos nuncios, & varijs artibus fœdera cum Xerſe, Ducibuſque Perſicis fecerat, hac conditione, vt filia Xerſis vxor ſibi deſponderetur, vtque ipſe Perſicis auxilijs adiutus, Rex Græciæ fieret, eamque Perſico imperio ſubijceret. De quâ re poſtmodum accuſatus, & conuictus, fugit in templum Mineruæ, cui obſtruendo *Aleithea* mater Pauſaniæ primum lapidem appoſuit; ibique concluſus fame perijt, turpique morte magnam belli gloriam maculauit. *Diod. Sic. lib. 11.*

Digitized by Google

ANNO M. 3540.

XERSES filius Darij Hyſtaſpis III. Perſarum Regis ex *Atoſa*, Cyri filia genitus, ſanguinarius, ſuperbus, & inceſtuoſus. Nam poſt bellum in Aſiam reuerſus, amoribus operam dedit, inceſtam cum fratris ſui Maſiſthæ vxore, eiuſque filiâ nomine *Artaynta* libidinem exercendo, quem inceſtum *Herodotus lib.* 9. ſic deſcribit: Fratris ſui Maſiſthis vxorem amare cœpit *Xerſes*, quâ cum potiri non poſſet, in omnes occaſiones explendæ libidinis intentus, filio *Dario*, mulieris eius, & Maſiſthis filiam in matrimonium dedit, exiſtimans, ſi hoc feciſſet, commodiùs ſe illâ potiturum, verùm permutatis amoris vicibus iuuenculæ huius, nurus ſuæ amore exarſit, eâque ex aſſiduâ familiaritate potitus, vitare non potuit, quin res pateſieret. Nam *Ameſtris* vxor Xerſis, amiculum, quod ipſa texuerat, ſpectatu dignum viro donauerat; Quod cùm *Artaynta* dari ſibi poſtulaſſet, ac obtinuiſſet, (nam Xerſes vltrò eam iuſſerat à ſe petere, quæ fieri ſibi optaret in remunerationem obſequij, & iuramento ſe ei obſtrinxerat, omnia, quæ peteret impetraturam) dono hoc illa ſuprà modum læta, eo geſtando, geſtiebat. Ameſtris autem vbi Artayntam habere amiculum reſciuit, in matrem eius exitium machinata, quam rei huius authorem eſſe credebat, obſeruatâ temporis opportunitate, quâ Xerſes regalem cœnam inſtruere quotannis, Perſiſque ſtrenas donare ſolebat, in memoriam eius diei, quo Rex creatus eſſet, petijt à Xerſe, vt ſe Maſiſthis vxore donaret: quòd etſi indignum factu ille putabat, precibus tamen eius victus, & inſtituto, quo nefas erat, regiâ cœnâ propoſitâ, orantem non exorare, inuitus tandem annuit, Acceerſitum poſtea Maſiſthen, cùm, vt vxorem volens dimitteret; fruſtrà perſuadere conatus fuiſſet, quantumuis filiam ſuam in matrimonium offerret, ad extremum minis terruit iratus, cùm diceret, ita eius res deinceps comparatas fore, vt neque ipſe iam ei filiam ſuam nuptum daturus, neque ille conſuetudine vxoris ſuæ diutius fruiturus ſit, vt diſcat accipere oblata. Intereà Ameſtris accitis ſatellitibus Xerſis, vxorem Maſiſthæ excruciat, ma-

mil-

Digitized by Google

millas præcidit, & canibus obijcit: præcidit & nares, aures, labia, & linguam, atque ita ſcarificatam, mutilatamque domum remittit. Quam contumeliam vxori ſuæ illatam cùm vidiſſet Maſiſthes, inito cum liberis conſilio, quia, & ſibi ipſi mali aliquid metuebat, ad Bactrianos fugere, eoſque ad defectionem incitare cogitabat, vtpotè quorum Præfectus diù fuiſſet, & à quibus diligi ſe ſciebat. Sed Xerſes miſſis aduerſus eum copijs, & ipſum, & liberos, & quoſcumque habebat ſecum in itinere, trucidauit.

Sed non diſſimilis fuit *Xerſis* exitus, & qui tantam ſuperbiam-habuit, vt vel ipſis montibus, mari, atque Dijs ad ſubiugandam Græciam cum exercitu proficiſcens, minitaretur, bello in Græcia infelicitèr geſto, etiam ſuis contemptui eſſe cœpit. *Artabanus* enim Præfectus Prætorio in Perſia, adiuuante Mitridate Eunucho, & Regis cubiculario, *Xerſem* Regem trucidauit, cùm annis 21. imperium variâ fortunâ geſſiſſet; & Darium maiorem natu filium apud Artaxerſem minorem natu accuſat parricidij, hortaturque, vt parentem vlciſcatur, & pœnas ſumat de fratre, & regnum occupet: atque ita Darius innocens, & non auditus necatus fuit, atque Artabanus in ſocietatem regni ab Artaxerſe aſſumitur per ſeptem ferè menſes. Indè cùm Artabanus etiam Artaxerſi inſidias ſtrueret, trucidatur. Vndè in rem noſtram cecinit quidam.

Quarè quiſquis es;

Deſine grande loqui; frangit Deus omne ſuperbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur:
Diſce ſupercilium deponere, diſce cauere,
Ante pedes foueam, quiſquis ſublime minaris.

ANNO M. 3542.

ÆGYPTII auditâ nece tum *Xerſis*, tum *Darij* filij maioris, occaſionem rebellandi ſibi ſumunt, & quia poſt victoriam Xerſis duriore ſeruitute preſſi erant, deficiunt à Perſis, Præfectos eijciunt, & *Inarum* Rametichi filium Regem creant, qui ab Athenienſibus auxilia petit, impetratque claſſem trecenta-

rum nauium. *Diod.Sicul.l.*11. Idcircò *Artaxerſes* Rex Perſarum ad recuperandam Ægyptum animum adijcit, & patruum ſuum Achæmenidem cum exercitu trecentorum millium in Ægyptum mittit, qui re deliberatâ cum Athenienſibus, & Ægyptijs, pugnat, & virtute Athenienſium ſuperatur, ſeque Memphiticis tueri muris cogitur. Perculſus hac clade Artaxerſes legatos cũ muneribus ad Spartanos mittit, eoſque hortatur, vt bellum Athenienſibus facere velint, ſed denegatum hoc ipſi fuit, ideò nouos Duces, nempè *Artabazum*, & *Megabyzum* mittit, qui in Aegyptum profecti, obſidionem ſoluunt, & auerſo fluuio naues Athenienſium in ſicco deſtituunt, quæ ne vſui eſſent Perſis, ab ipſis Athenienſibus cremantur; *Inarus* verò Aegypti Rex per proditionem captus, in crucem agitur.

ANNO M. 3543.

EPHIALTES ſeditionem concitat Athenis contrà Areopagitas, idque iudicium abolere conatur, ſed noctu is trucidatur. *Diod.l.*11.

ANNO M. 3544.

ORESTES Theſſalorum Rex, regno pulſus fuit, & fruſtrà ad Athenienſes confugit, vt ipſum in regnum reducerent.

ANNO M. 3548.

TYNDARIDES Syracuſis in Siciliâ multos, & beneficijs, & muneribus ſibi conciliauit, & tandẽ de tyrannide inuadenda conſilia inijt; quapropter ſupplicio affectus fuit, factâ lege de Petaliſmo Syracuſis inſtituendo, qui idem eſt cum Oſtraciſmo Athenis, vt ſuſpecti tyrannidis ciues, quinquennio exulare iuberentur. Verùm cùm prudentiores ciues ſibi ab hac lege metuerent, & à rebus gerendis abſtinerent, in luxuriam tandem prolabuntur, & Reſpublica idoneis gubernatoribus deſtituta eſt, & audaciores, qui rempublicam inuadebant, contentiones alebant, quamobrẽ breui tempore poſt Petaliſmus Syracuſis abrogatus fuit.

AN-

ANNO M. 3553.

PLISTONACTES Spartanorum Rex in Atticam irrupit, & agrum Athenienſium vaſtauit: Athenienſes cladem vlturi, in Bœotios, qui cauſa belli erant, Duce *Tolmide* mouent, qui Chæroneam occupat, ſed inſidijs interceptus cum ſuis vincitur, & trucidatur, reliqui in captiuitatem abducuntur. *Pliſtonactes* verò cùm ad Eleuſinen ſubſtitiſſet, nec vltrà progrederetur, à Spartanis in exilium pulſus fuit, & poſt nouendecim annos reuocatus,& reſtitutus fuit in regnum à Spartanis, oraculo monitis.

ANNO M. 3590.

IN *Samo* ſeditiones quædam exortæ ſunt, in quibus *Principes* ducenti occiſi fuerunt.*Thucyd.l.*8.Hoc fermè tempore ingens ſeditio Corcyrę orta eſt. Plebs Athenienſium euocat auxilium, qui miſerunt ſexcentos Meſſenios, quorum fiduciâ plebs potentiores trucidat, & mille in exilium pellit; at paulò poſt, vt vulgus eſt mutabile, exules reuocant, & ſeditionem, vt poſſunt, componunt. *Diod.Sicul.lib.*13.

ANNO M. 3594.

HARMOCRATES Syracuſanus, cùm plurima tentaſſet, vt reuocaretur, tandem Syracuſas proditione inuadit: ſed cùm milites eum ſequi non poſſent, in foro cum multis alijs trucidatur. Cùm autem exules *Acragantini* Syracuſas veniſſent, conqueruntur de Prætorum Syracuſanorum proditione, & perfidiâ, quòd commeatu, nec auxilio vrbem ſubleuaſſent, quorum cauſam ſuſcipit *Dionyſius* Harmocratis filius, & Prætores accuſat. Populus commotus Prætores remouet Magiſtratu, & Dionyſium cum alijs eligit, qui reuocandos exules decernit, & mercenarios exoluendis ſtipendijs ſibi obnoxios reddit. Fraude etiam inſtitutâ, exemplo *Piſiſtratis* ſtipatores ſexcentos ſibi tradendos à populo obtinet, atque ita tyrannidem inuadit. *Diod. Sicul.l.* 13.

ANNO

ANNO M. 3597.

CALLICRATES Spartanorum Nouarchus obſidet *Cononem* Athenienſium Ducem: hunc erepturi Athenienſes, Diomedontem mittunt cum duodecim nauibus, ſed is decem ex ijs amittit: quapropter Athenienſes, quantam poſſunt, cladem expediunt, centum & decem nauium, atque ita centum, & quinquaginta naues conficiunt, pugnantque aperto Marte ad Arginuſas cum *Callicrate*, qui centum, & viginti naues habebat, eum vincunt, & trucidant, perduntque Spartanorum naues ſeptuaginta ferè. Ipſi tamen etiam vigintiquinque naues amittunt. Duces Athenienſium cùm cæſos ſepellire vellent, impediuntur ventis, & tempeſtate. Hac victoriâ *Conon* obſidione eripitur. Duces verò quos cæſos non ſepeliſſent, à populo Athenienſi in vincula conijciuntur, & eorum ſex occiduntur. Verùm cùm populum poſteà pœniteret facti, & iudex, & accuſatores eorum eâdem pœnâ affecti ſunt *Xenoph.l.1.hiſt.*

ANNO M. 3599.

ALCIBIADES inſignis Athenienſium Dux, teſte *Probo*, omnium ætatis ſuæ multò formoſiſſimus fuit, ad omnes res aptus, conſilijs plenus, terrâ, marique ſummus Imperator. Cuius tanta erit oris atque orationis commendatio, vt nemo ei dicendo poſſit reſiſtere. Diues cùm tempus poſceret, laborioſus, patiens, liberalis, ſplendidus, non minus in vitâ, quàm in victu affabilis, blandus, temporibus callidiſſimè ſeruiens: idem ſimul atque ſe remittebat, ita luxurioſus, diſſolutus, libidinoſus, intemperans reperiebatur, vt omnes admirarentur in vno homine tantam eſſe diſſimilitudinem, atque diuerſam naturam. Hunc hominem (*vt Valerius Maximus ſcribit*) quaſi duæ fortunæ inter ſe partitæ ſunt: Altera quæ ei nobilitatem eximiam, abundantes diuitias, formam præſtantiſſimam, fauorem ciuium propenſum, ſumma imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantiſſimum ingenium aſſignaret: altera, quæ damnationem, exilium, venditionem bonorum, inopiam, odium patriæ, violentam

mor-

Digitized by Google

mortem infligeret: Nec aut hæc, aut illa ſimul vniuerſa, ſed variè perplexa, freto atque æſtui ſimilia. Eius miſerabilis, atque tragicus exitus fuit ita: Cùm *Lyſander* Lacedæmonius Athenienſes diù obſeſſos in ſuam poteſtatem redegiſſet, & omnem reipublicæ ſtatum permutaſſet, impoſuit triginta prætoribus, qui in totidem euasêre tyrannos. Quorum primus *Critias* fuit, qui cùm videret Alcibiadem plurimum gratiâ, & auctoritate valere apud *Pharnabazum* Perſarum Regem, ſcripſit Lyſandro, niſi daret operam, vt de medio tolleretur *Alcibiades*, nihil eorum, quæ Athenis conſtituerat, ratum fore. Lyſander, vbi hoc cognouit, miſit ad Pharnabazum nuntium, qui diceret; Lacedæmonios renuntiare illi ſocietatem, quæ cum Rege erat, niſi vel mortuum, vel viuum ad ſe mitteret Alcibiadem. Pharnabazus clementiam, & fidem ſuam maluit, quam opes regias minui. Itaque duos miſit, Suſamithrem, & Mageum, qui Alcibiadem interficerent. Hi cùm non auderent ferro aggredi virum fortiſſimum, ligna intulerunt, & tugurium in quo cum amica quadam erat Alcibiades, incenderunt, ille ſtrepitum flammæ excitus, veſtimenta omnia ſuper ignem iniecit, & cum familiari ſeruo, & amicâ euaſit, ſed tandem à multitudine militum occiditur. Tum mortuum mulier veſte ſuâ opertum cremauit incendio tugurij.

ANNO M. 3603.

ARCHELAVS Rex Macedoniæ, cùm annos ſexdecim regnaſſet, imprudenter ab amico in venatione ſauciatus, moritur: ſuccedit filius *Oreſtes* puer adhuc, ſed à tutore ſuo *Aeropo* necatur, qui inde regnum ſex annis obtinet. *Diod. Sic. l. 14.*

TAMOS Ioniæ Præfectus, quòd cùm Cyro arma Artaxerſi intuliſſet, ſibi metuens in Ægyptum profugit, ſed contra Ius gentium trucidatur. *Diod. Sic.*

ANNO M. 3608.

LYSANDER Lacedæmoniorum Dux, dum *Haliartum* obſidet, coniunctus cum exercitu Pauſaniæ Regis, Thebanis ad ferendas ſuppetias cum grauis armaturæ peditibus, & equitum

tum copijs Haliartum contendunt. Factâ ad ipſa mœn... ...gnâ, *Lyſander* à Thebanis vincitur, & trucidatur; *Pauſanias* L.. cedæmoniorum Rex, cùm tantam vim belli videret, & Athenienſium auxilia præterea aduenirent, à Thebanis petit inducias, cadauera recipit, & ex pacto ex Bœotia exercitum domum reducit; Quapropter Spartæ accuſatus, quòd ſeriùs Lyſandro apud Haliartum præſto fuiſſet, quanquam conuentum inter ipſos eſſet, vt ad eundem diem eò venirent: quòd per inducias, non commiſsâ pugnâ tollere mortuorum cadauera conatus fuiſſet: quòd plebem Athenienſem captam in Piræeo dimiſiſſet: quòd denique iudicio ſe non ſtetiſſet, damnatus capitis, exul Tegeam abijt, vbi moritur. Succedit ipſi *Ageſipolis* adhuc puer. *Xenoph.l.*3.*Iuſtin.l.*5.

ANNO M. 3609.

PAVSANIAS Macedonum Rex, cùm anno vno regnaſſet, dolo *Amyntæ* trucidatur, qui ipſi regnum occupat, ſed ſequenti anno, regno pellitur ab Illyrijs, ſuccedit ipſi, vt quidam volunt *Argæus*, quidam tamen eum paulò poſt à Theſſalis reſtitutum dicunt. *Diod.l.*14.

ANNO M. 3610.

MACHÆVS, ſiuè *Mezæus* Carthaginenſium Dux, referente *Iuſtino*, cùm in Siciliâ diù infeliciter dimicaſſet, tranſlato in Sardiniam bello, amiſsâ maiore exercitus parte, graui prælio Carthaginenſes victi ſunt. Propter quod Ducem ſuum Machæum, cuius auſpicijs, & Siciliæ partem domuerant, & aduerſus Afros magnas res geſſerant, cum parte exercitus quæ ſuperfuerat, exulare iuſſerunt. Quam rem ægrè ferentes milites, legatos Carthaginem mittunt, qui reditum primò, veniamque infelicis militiæ petant: denuncient, quòd ſi precibus nequeant, armis ſe conſecuturos. Cùm preces & minæ legatorum ſpretę eſſent, interiectis diebus, conſcenſis nauibus, armati ad vrbem veniunt: ibi Deos, hominesque teſtati, non ſe expugnatum, ſed recuperatum patriam venire, oſtenſuroſque ciuibus

ſuis,

ſuis, non virtutem ſibi priore bello,ſed fortunam defuiſſe. Prohibitis commeatibus, obſeſsâque vrbe, in ſummam deſperationem Carthaginenſes adduxerunt. Interea *Cartalo* Machæi Ducis exulis filius, cùm præter caſtra patris à Tyro, quo decimas Herculis ferre, ex prædâ Siculienſi, quam pater eius cæperat, à Carthaginenſibus miſſus fuerat, reuerteretur, accerſituſque à patre eſſet, publicæ ſe religionis officia executurum, quàm priuatæ pietatis, reſpondit. Quam rem etſi ægrèferret pater, non tamen vim afferre Religioni auſus eſt. Interiectis deinde diebus, *Cartalo* petito commeatu à populo, cùm reuerſus ad patrem eſſet; ornatuſque purpurâ, & infulis Sacerdotij, omnium ſe oculis ingereret, tùm in ſecretum pater adducto ait: *Auſus nè es nefandiſſimum caput, iſta purpura, & auro ornatus, in conſpectum tot miſerorum Ciuium venire? Et mœſtu, ac lugentia caſtra circumfluentibus quietæ felicitatis inſignibus, velut exultabundus intrare? Nuſquam ne te alijs iactare potuiſti! Nullus locus aptior, quàm ſordes patris, & exilij infelicis ærumnæ fuerunt? Quid quod paulò antè vocatus, non dico patrem, ducem certè ciuium tuorum ſuperbè ſpreuiſti? Et quid porrò tu in purpura iſta coroniſque aliud, quàm victoriarum mearum titulum geris? Quoniam igitur tu in patre nihil niſi exulis nomen agnoſcis: ego quoque Imperatorem me magis, quàm patrem indicabo, ſtatuamque te in exemplum, ne quis poſt hac infelicibus miſerijs patris illudat.* Atque ita cum ornatu ſuo, in altiſſimam crucem in conſpectu vrbis affigi iuſſit. Poſt paucos deinde dies Carthaginem capit, euocatoque populo ad concionem, exilij iniuriam quæritur, belli neceſſitatem excuſat, contemptumque victoriarum ſuarum. Punitis authoribus miſerorum Ciuium, iniurioſi exilij omnibus ſe veniam dare dicit. Atque ita decem Senatoribus interfectis, vrbem legibus ſuis reddidit. Nec multò poſt tempore affectati regni accuſatus, duplices, & in filio, & in patria pœnas dedit.

Machæo ſuccedit in Carthaginenſium imperio vir quidam nomine *Mago*, cuius induſtriâ, & opes Carthaginenſium, & imperij fines, & bellicæ gloriæ laudes creuerunt; ſed ob rem malè geſtam contra Syracuſanos ſe ipſum interfecit: ob quam rem in

F cru-

crucem ſublatum eſt corpus mortui à Carthaginenſibus. *Plutarch.in Timol.* Reliquit duos filios *Haſdrubalē*, & *Hamilcarem*, qui per veſtia paternæ virtutis decurrentes, ſicuti generi, ita & magnitudini patris ſucceſſerunt. Is Ducibus Sardiniæ bellum infertur, in quo *Haſdrubal* grauiter vulneratus, imperio *Hamilcari* fratri tradito interijt. Nec multò poſt *Hamilcar* bello Siciliensi interficitur hoc modo; cùm ipſe Syracuſas oppugnaret, ei ſacrificanti prædicitur, quòd Syracuſis veſperè cœnaturus ſit, quare oppugnationem de nocte inſtituit, cui tempori Syracuſani inſidiantur, & victo eius exercitu Hamilcarem Ducem captiuum in vrbem adducunt, cœnare iubent, & trucidant, caputque eius in Affricam mittunt, relictis tribus filijs *Amilcone*, *Hannone*, *Giſgone*, quorum primus in Syciliâ in locum Hamilcaris Imperator ſuccedit, de quo infra. *Iuſtin. Plutarch. Diod. Oroſ.*

ANNO M. 3614.

CHABRIAS Dux Athenienſium, in Cyprum auxilio Euagoræ profecturus, *Gorgopa* Spartanorum Duci, qui apud *Æginetas* in præſidio erat, inſidijs ſtruit, Ducem occidit, & multos cædit, hoc ſtratagemate, quod *Xenophon* narrat, nempè: In Cyprum *Chabrias* Euagoræ laturus opem cum octingentis cetratis ac decem triremibus nauigat. Cùmque ſecum Athenis, & naues alias, & grauis armaturæ pedites ſumpſiſſet, ac noctu in Æginam deſcendiſſet: vnâ cum cetratis loco concauo vltrà Farum Herculis in inſidijs ſe ſe abdit. Primâ luce, quemadmodum conuenerat, grauis Athenienſium armatura Duce Demæneſto aderat, vltraque fanum Herculis ad ſtudia 16. adſcendit, quem locum Tripyrgiam (à tribus turribus) vocant. Eâ de re *Gorgopas* certior factus, vnâ cum Æginatis, & milite claſſiario, & Spartanis octo, qui fortè tum iſtic aderant, ad coercendos hoſtes properat. Præterea per præconem denunciari iubet, vt è copijs naualibus quot quot eſſent ingenui ſuppetias ferrent. Quo factum, vt multi ex his accurrerent, inſtructi armorum genere quodcumque ad manum erat. Poſteaquam primi locum inſidiarum prætereijſſent, ſurrexēre Chabriæ milites, ſtatimque

ia-

iacula in hoſtem, ac tela vibrabant. Iam & grauis armaturæ pedites irruebant, qui è nauibus in terram deſcenderant. Itaque primi celeriter interempti ſunt, quòd copiæ confertæ non eſſent. In ijs, & *Gorgopas*, & Lacedæmonij periêre. Poſtquam hi occubuiſſent, ceteri fugam arripiunt.

ANNO M. 3616.

NEPHERITES ſuccedit *Peſammiti*, qui annum vnum in Ægypto regnarat, ſed poſt duos menſes trucidatur, quo interempto completa eſt vigeſima nona Dynaſtia *Mendeſiorum*, & ſuccedit trigeſima *Sebenitarum*, in quâ primus fuit *Nectanebus*, qui regnauit in Ægypto annis 18. *Maneth.l.3.*

ANNO M. 3620.

GOAS, & TACHOS Duces, qui à Perſarum Rege defecerant, dolo quorundam trucidantur, atque ita apparatus belli, quem auxiliantibus Spartanis, & Rege Aegyptio contraxerant, dilabitur. *Diod.l.15.*

ANNO M. 3622.

TELEVTIAS Dux, Olynthiorum Vrbe obſeſsâ, copias abducit, vt ſi qua vel arbor, vel terra culta reliqua eſſet, eam prorſus vaſtaret: egreſſi Olynthiorum equites ſenſim procedebant, & amne ſecundum Vrbem labente traiecto, ſedatè in aduerſus hoſtium copias pergebant. Eos cùm Teleutias conſpexiſſet, indignatus ob ipſorum audaciam, mox Tlemonidam cetratorum Ducem curſu in eos irrumpere iubet. Olynthij verò vt cetratos antè reliquas copias procurrere vident, conuerſo agmine placidè pedem referunt, amnemque rurſus tranſeunt. Sequuntur hos illi audactèr admodum, ac fugientes, vt vrgerent, amnem, & ipſi tranſeunt. Tùm verò equites Olynthij transgreſſos opprimi à ſe poſſe rati, conuertunt ſe ſe, ac in eos irruunt, ipſumque Tlemonidam cum alijs pluribus quàm centum occidunt. Id vbi Teleutias fieri vidit, excanduit: moxque ſumptis armis celeriter grauem armaturam ducit, ſimul vt

 cetra-

cetrati, & equites hoſtem perſequerentut, ac nihil ei ſpatij relinquerent, imperat. Itaque factum, vt quemadmodum, & alij complures extre tempus hoſtem propius ad mœnia perſequuti, perincõmodè pedem retulêre: ſic illi quoque de turribus telis petiti ſimul, & retrocedere perturbato agmine cogerentur, & à telis ſibi cauêre. Tum verò equites in eos emittunt Olynthij, quibus opem laturi etiam cetrati excurrunt: denique grauis armatura conſequitur, & turbatam phalangem inuadit. Atque hic *Teleutias* pugnans interficitur: quod cùm accidiſſet, ſtatim, & illi pedem referre cœperunt qui erant proximi, fugeruntque omnes. *Xenoph. l.* 5.

ANNO M. 3625.

PHAEBIDAS ab Ageſilao Spartanorum Rege Dux Theſpienſibus præficitur cum mandatis, vt Thebanos vaſtaret, qui cùm aliquando equitibus Thebanis vehementius inſiſteret, & ij tamen effugere non poſſent, ex deſperatione in Spartanos irruunt, eos vincunt, & Phæbidam Ducem trucidant. *Xenoph.*

ANNO M. 3629.

EVAGORAS Rex Cypri, poſtquam maximum exercitum contra Perſas comparauerat, hominum nempe trecentorum millium, & claſſem trecentarum nauium, Rege etiam Aegypti in ſocietatē belli aſſumpto, non ſolùm à Perſarum claſſe vincitur, & Salaminæ obſidetur, ſed etiam non multò poſt ex inſidijs trucidatur à *Nicocle*, qui hoc modo Regnum Salaminorum ſibi rapuit. *Diod. Sic. l.* 15. *Xenoph. l.* 4.

ANNO M. 3632.

CLEOMBROTVS Spartanorum Rex ad Leuctra Bœotiæ oppidum in fines Thebanorum cum exercitu accedit: Thebani Imperatorem fecerunt *Epaminondam*, qui & ſi omnibus quibuſdam terrebatur, tamen ad Leuctra pergit, ibique certâ ratione aciem inſtruit, *Cleombrotum* Regem cum quatuor Spartanorum millibus occidit, & inſigni victoriâ potitur. *Xenoph.* l. 7.

Epa-

Digitized by Google

Epaminondas Thebanus prætoriæ Choortis præfectus cùm apud Manthinæam Thebanorum, & Spartanorum exercitus conſtitiſſent, de prælio faciendo conſilia init, & veritus Thebanos in acie ſegnitus pugnaturos, his verbis, & oratione hortatus eſt, vt diceret captiuitatem vxorum, liberorum, patriæ ſibi ante oculos proponerent, ipſius quoque vrbis mænia ſolo paulò poſt adæquanda, niſi fortiter agerent. Quibus animati Thebani ciues, Lacedæmonios acri pugnâ ſuperarunt; ſed *Epaminondas* traiectus haſtâ, ſanguine, & ſpiritu deficiens (*inquit Valer. Max.*) recreare ſe conantes, primum an clypeus ſuus ſaluus eſſet, deindè an penitus fuſi hoſtes forent, interrogauit: Quæ poſtquam ex animi ſententiâ comperit. *Non finis*, inquit, *commilitones vitæ meæ, ſed melius, & auctius initium aduenit. Nunc enim veſter Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur. Thebas ductu, & auſpicijs meis caput Græciæ factas video: fortis, & animoſa Ciuitas Spartana iacet, armis noſtris abiecta: amara dominatione Græcia liberata eſt. Orbus quoque, non tamen ſinè liberis morior, quoniam mirificas filias Leuctra, & Mantinæam relinquo.* E corpore deinde ſuo haſtam educi iuſſit, eoque vulnere expirauit. Vulnus hoc ipſi intulit (vt Pauſanias habet) *Grillus* filius Xenophontis hiſtorici, qui tamen ſtatim trucidatus eſt. *Diod. Sic. l. 15. Xenoph. l. 7. Val. Max. l. 3. Front. l. 1. cap. 11. Cic. in Epiſt. ad l. Lucium, & alij.*

ANNO M. 3633.

IASON PHERAEVS Tyrannus ante in Pythia, quorum moderator eſſe volebat, denunciabat enim oppidis, vt boues, oues, capras, ſues alerent: ſeq. compararent ad ſacrificium. Ferebatur autem tametſi moderatè admodum oppidis ſingulis aliquid imperaſſet, tamen conſequutus eſſe boues non pauciores, quam CIↃ. reliqui pecoris ſupra CCIↃↃ. Præterea per Præconem ſignificari iuſſit, futurum victoriæ præmium coronam auream, ſi qua ciuitas bouem ducem pulcherrimum illi Deo pauiſſet. Etiam hoc Theſſalis denunciabat, vt ad expeditionem ſe ſe pararent, quam id temporis, quo Pythia celebrantur, ſuſceptum eſſent. Tantus vir (inquit *Xenoph. l. 6.*) & qui talia, tantaque

taque haberet in animo, cùm luſtrationem equitatus Pheræorum inſtitueret, & periculum de eo facere vellet, iamque conſediſſet, & reſponſurus illis eſſet, quibus aliqua in re operâ ipſius opus foret: à ſeptem adoleſcentibus ad ipſum accedentibus, quaſi quadam in causâ diſſiderent, iugulatur, ac conficitur. Cùmque impigrè ſatellites ijs, qui aderant, ad opem ipſi ferendam accurriſſent: vnus adhuc Iaſonum feriens haſtâ percuſſus interficitur, alius cùm equum conſcendiſſet, compræhenſus multis acceptis vulneribus, & ipſe moritur. Mortuo Iaſone fratres ipſius *Polydorus*, & *Polyphron* Duces creati ſunt. Cumque Lariſſam ambo proficiſcerentur, noctu Polydorus à Polyphrone fratre, vt cædis paternæ conſcius interficitur, regnatque *Polydorus* vnum annum. *Xenoph. Diodor.*

ARGIVI ingenti ſeditione conflictantur, & ſuorum Ciuium præ cæteris eminentium mille, & ſexcentos occidunt, poſt pœnitentes facti, accuſatores illorum trucidant. *Diod. Sic. l.* 15.

ANNO M. 3634.

POLYPHRON Pheræus Theſſalorum Princeps, qui occidere fecit *Polydorum* fratrem, anno vno imperium tenuit, munuſque Ducis cum Tyrannide commutauit. Nam, & Pharſali Polydamantem, alioſque ciues octo præſtantiſſimos interfecit. & Lariſſa multos in exilium eiecit. Verùm, & ipſe venenatâ potione à fratre ſuo Alexandro Pheræo necatur; Polydori mortem vindicante, eiuſque tyrannidem euertente. *Xenoph. Diod. Sic.*

ANNO M. 3635.

PTOLOMÆVS Amyntæ Macedonum Regis filius, fratrem ſuum Alexandrum, qui annuo ſpatio regnarat dolo interficit, & ipſius loco regnat annis tribus. *Diod. Sic. l.* 15.

ANNO M. 3637.

EVPHRON Lacedęmonius Dux, cùm Sicyone diſſiderent inter ſe Optimates, ac populus, ducto ſecum Athenis mer-

Mercenario milite, in patriam redijt. Itaque vrbem vnâ cum populo ſuâ in poteſtate habebat, præfectus verò Thebanus arcem. Cùm autem intelligeret non poſſe ſe quandiu à Thebanis arx teneretur, vrbem ſuam in poteſtatem redigere: coactâ pecuniâ Thebas profectus eſt, per eas Thebanis perſuaſurus, vt optimatibus eiectis vrbem ſibi reſtituerent. Verùm ij, qui priùs acti fuerant ab ipſo in exilium, cognito ipſius itinere, ac inſtituto, viciſſim, & ipſi Thebas profecti ſunt. Cùmque familiariter eum cum Magiſtratibus verſari viderent, veriti nè quæ vellet impetraret: adito quidam ex eis periculo in arce hominem iugulant, & mortuus eſt. *Xenoph.l.7.*

ANNO M. 3638.

PTOLOMÆVS Macedoniæ Rex, cùm triennium regnaſſet, à fratre *Perdicca* dolo interimitur, qui regnum occupat, obtinetque annis quinque. *Diod.Sic.l.15.*

TIMOLEON Corinthius, cum ſenſiſſet fratrem ſuum *Timophanem* conſilia agitare de tyrannide Corinthi occupanda, ægro animo ferens, & illius vitium ſuam calamitatem eſſe ducens, illi perſuadere conatus eſt, vt hanc inſanam animi cupiditatem exueret, & malefactorum erga ciues emendationem quæreret. Neglectus Timoleon, atque expulſus, cum ex neceſſarijs Aeſchylum, vxoris Timophanis fratrem aſſumpſiſſet, ex amicis verò augurem cui Teopompus Satyro, Ephorus autem, atque Timæus Orthagoræ nomen fuiſſe ſcribit, paucis diebus elapſis, rurſus ad fratrem abijt, illi cum circumſtarent, Timophanem vt emendationis ſignum oſtenderet, ſuppliciter rogabant. Vbi primùm illos ridiculos habuit, deinde rem grauiter ferens, ad iram conuerſus eſt, Timoleon paululum ſeceſſit, & ſe ipſum tegens, lachrymas effudit. Illi autem ſtrictis gladijs ſubitò Timophanem interfecerunt. *Plutarch.in Timol.*

ANNO M. 3639.

PELOPIDAS Thebanorum Legatus ad Alexandrum Pheræum, vbi venit in Theſſaliam inuenit Alexandrum cum ma-

magno exercitu, nihilominus tamen cum eo pugnat, & vincit, ſed poſt victoriam, & ipſe cadit, & à Theſſalis ſummo honore, cùm id à Thebanis impetraſſent, ſepelitur. *Diod.*

ANNO M. 3641.

TACHOS Rex Aegypti, dum ipſe bellum ſuis conſilijs gerit, & copias in Syria transfert, à præfecto regni Aegyptiaci regno exuitur, & Nectanebus eius filius Rex conſtituitur. *Diod. l.* 15. Verùm eodem anno *Ageſilaus* paucis militibus numeroſiſſimum Aegytiorum exercitũ fundit, & trucidat, & *Tachum* in regnum reſtituit, à quo etiam magnis muneribus cohoneſtatus eſt.

ANNO M. 3642.

DEfuncto DARIO Notho Perſarum Rege, ſucceſſit *Artaxerſes Mnemon*, cuius frater *Cyrus* iunior ad bellum gerendum contra ipſum, magno molimine ſe ſe præparauit, auxilijs vndique contractis, omnemque quanto potuit ſtudio, apparatum diſſimulauit, vt Regem inopinatum adoriretur. Quòd cùm nunciatum Artaxerſi eſſet, accerſitum ad ſe fratrem, & innocentiam diſſimulatione belli ſimulantem, aureis catenis vinxit: interfeciſſetque niſi Mater prohibuiſſet. Dimiſſus igitur Cyrus, iam non occultè bellum, ſed palam parare cœpit. Habebat in exercitu ſuo 20. currus falcatos, & centum & duodecim millia hominum è Perſis, Græciſque contractos. E contrà in exercitu Artaxerſis erant quadringenta militum millia, & currus falcati ducenti. Aciebus hinc indè ordinatis, Cyrus cum globo militum ſuorum exercitum Regis magno impetu inuadit, ordines regios ſtatim perrumpit, ſex millia in fugam vertit, Ducem eorum *Argeſen* manu ſua occidit. Cùm autem Regem vidit, continere ſe amplius non potuit, ſed iaculo in Regem emiſſo, per thoracem pectus eius vulnerauit. Quo vulnere Rex accepto è pugnæ loco (qui Cunaxa fuit 500. ſtadijs à Babylone diſtans) ſeceſſit. Cyrus ordines ſuos deſerens, equo medios inter hoſtes fertur, dumque interficiendi fratris laudem, pugnæque ſuo marte diſceptandæ feruentiùs, quam prudentiùs affecta-

cta-

Digitized by Google

ſtabat, bis vulneratur, ſemel à iuuene quondam Perſa, Mithridate nomine, qui iaculo tempus eius iuxtà oculum tranſuerberat: poſtea à Caunio quodam, qui Cyrum, ignarus qui eſſet, iaculo à tergo ferit. Vulneratâ poplitis venâ prolapſus Cyrus, tempus ſimul ſaucium ad ſaxum allidit, vndè animam exhalauit. Sic Victor *Artaxerſes*, & prædâ fraterni belli, & exercitu potitur. *Iuſtin. Plutarch. Diod. Sicl. Xenoph.*

ARTAXERSES verò faſtuoſâ arrogantiâ videri voluit manu ſuâ Cyrum fratrem interfeciſſe, ideòque miſſis ad *Carem*, & *Mithridatem* muneribus, præcepit eis, qui dona ferebant referre huic: Hiſce te præmijs Rex ornat, quod equeſtrem Cyri pileum inuentum retuleris. Et ad *Canem* hoc donum tibi Rex, quòd ſecundus felicem nuncium ei attuleris, mandauit dari. *Caris* cùm præmium illi à Rege offerretur, dedignatus eſt illud accipere; ſed fræmuit teſtans Deos, clamitanſque: Cyrum à nullo alio, quàm à ſe peremptum, eâque gloriâ immeritò ſe priuari. Quibus relatis, tantâ irâ exarſit Rex, vt ceruicem homini abſcindi imperaret. Aſſiſtens autem *Paryſatis* mater Regis, quæ Cyrum filium iuniorem maiori quàm Artaxerſem amore ſemper complexa eſt; ideoque multum de eius occiſione contrà Carem hunc nefarium tam leui defungi pœnâ, ſed mercedem à me temeraria ſua lingua dignam recipiet. Permittente ei Rege, iuſſit carnificibus Paryſatis, vt abriperent hominem, ac per dies decem excruciarent, indè oculis effoſſis in aures æs feruens infunderent, donec expiraret. *Plutarch. in Artax.*

Neque ſimilis pœna, ſi non grauior defuit *Mithridati*, quam ſic deſcribit *Plutarchus*. Inuitatus ad cœnam, cui & Regis, & matris eius Eunuchi intererant, acceſſit ad conuiuium veſte, & auro, quæ acceperat à Rege, comptus. Inter epulandum ille, qui inter Paryſatidis Eunuchos poterat apud illam plurimum, hiſce eum verbis affatur: Vt elegantem hanc tibi veſtem Mithridate, Rex donauit, elegantes etiam torques, & armillas, iam pretioſum acinacē, quibus beatū te & omnibus reddit ſuſpiciendum. Temulentus tum Mithridates, linguæ ſuæ iam impos, inquit: Quæ ſunt hæc, Sparamixe! Nonne maiora Ego,

G &

& præclariora, quo die conflictum eſt, ſum meritus à Rege? Cui arridens Sparamixes: Quænam, inquit, illa ſunt? Ibi Mithridates præſentibus arbitris, hæc inſolentia verba protulit: *Hac manu Cyrus occiſus eſt: Tempus enim Cyri telo attigi, atque traieci, eumque ſtraui, & eſt ex eo vulnere ille mortuus*. Sermonem eum Eunuchus ad Paryſatidem, illa ad Regem defert, qui vehementi irâ exarſit, quaſi redargueretur, pulcherrimumque ammitteret victoriæ decus; necari Mithridatem ſcaphis, inſtigante Paryſatide, iuſſit. Eſt verò illud ſupplicij genus (quod σκαφίσ μὸς appellatur) tale: Scaphas duas inter ſe congruentes accipiunt: in alteram ſupinum eum, qui pœnæ deſtinatus eſt, locant; inde inducunt alteram, & coaptant ita, vt manus pedeſque cum capite exſerantur, reliquum corpus incluſum ſit: tum cibum necando præbent, quam ſi reijciat, compellunt eum oculos fodicando ſumere. A cibo mel, & lac confuſum ei ad potum infundunt, tum ad ſolem obuertunt aſſiduè oculos eius, vt incumbantium examine muſcarum tota facies integatur. Cùm autem intus a ſe reijciat, quæ homines qui edunt, & bibunt, neceſse habent reijcere, tineæ, & lumbrici ex tabe, & putredine excrementorum proueniunt, à quibus in viſcera penetrantibus, corpus corroditur, & abſumitur. Poſtquam conſtat expiraſſe hominem, ablatâ ſcaphâ ſuperiori corroſam cernunt carnem, & vermium huiuſcemodi examina mordicus viſceribus adfixorum, eaque edentium. Ad hunc modum *Mithridates* excarnificatus, ſeptendecim dierum ſpatio contabeſcens tandem interijt.

Fuit adeò libidini deditus *Artaxerſes*, vt centum quindecim filijs ſuſceperit ex concubinis, & tres tantùm iuſto matrimonio, nempè *Darius*, *Ariarates*, *& Ochus*. Vxores tres habuit, *Statiram*, *Atoſſam*, *& Ameſtrin*; quarum hæ duæ vltimæ erant ſimul filiæ, & vxores, *Statira* à ſocru ſuâ Paryſatide veneno interfecta fuit, quia omnem bellici tumultus inter Artaxerſem, & Cyrum cauſam Paryſatidi imputabat: Paryſatis contra ſe defendit ferociter. Quâ ex re grauiſſimâ accenſâ indignatione, vitæ eius inſidias ſtruxit. Cùm enim amicitiâ reintegratâ rurſus conuenire, atque vnâ cœnare cœpiſſent: magnâ tamen cum

cau-

cautione iiſdem cibis, iiſdemque ciborum miniſtris vtebantur.
Naſcitur autem apud Perſas auicula, cui nomen *Rhytaces*, quæ omni caret excremento, habetque inteſtina omnia adipe referta. Ideoque etiam vento & rore ali creditur. Hanc *Eteſias* ait, cultello, quem altero latere illeuerat toxico, diſſecuiſſe Paryſatidem, atque infeciſſe alteram partem veneno, partem puram, & ſinceram ſibi retinuiſſe, illam verò, quæ veneno infecta erat *Statiræ* porrexiſſe. Hinc mortua eſt *Statira* inter maximos cruciatus & conuulſiones corporis, & cùm ipſa inſidias olfecit, tum etiam in Rege ſuſpicionem materni ſceleris excitauit, dirum & implacabile Matris ingenium non ignorante. *Plutarch. in Artax.*

Occiſo *Cyro* fraterno bello, vt ſuprà diximus, *Aſpaſiam* pellicem eius, Rex *Artaxerſes* ad ſe tranſtulit. Cùmque eam filio *Dario* vnâ cum Regno contra Perſarum morem, apud quos Rex non niſi morte mutatur, tradidiſſet, paulò poſt mutato conſilio traditam repetiuit, quâ ex re tragicæ calamitates ortę ſunt. Nam Darius exacerbatus, in iurgia primò patris erupit, deinde interficiendi conſilium cepit. Sceleratus fuiſſet, inquit *Iuſtin. l.10.* ſi ſolus parricidium cogitaſſet: tantò ſceleratior, quod in ſocietatem facinoris aſſumptos quinquaginta fratres fecit parricidas. Oſtenti prorſus genus, vbi in tanto populo non ſolùm ſociari, verùm etiam ſileri parricidium potuit, vt ex 50. liberis, nemo inuentus ſit, quem aut paterna maieſtas, aut veneratiò ſenis, aut indulgentia patris, à tantâ immanitate reuocaret. Adeò ne vile paternum nomen, apud tot numero filios fuit, vt quorum præſidio tutus etiam aduerſus hoſtes eſſe debuerat, eorum inſidijs circumuentus, tutior ab hoſtibus, quàm à filijs fuerit? Sed dum filius patri inſidias parat, depræhenſus, vnâ cum ſocijs coniurationis ſupplicio affectus eſt. Coniuges quoque cum liberis, nè quod veſtigium tanti ſceleris extaret, interfectæ ſunt. Poſt hæc *Artaxerſes* morbo ex dolore contracto decedit, Rex, quam pater felicior. Hæreditas Regni *Otho* traditur, de quo ſuo loco.

Ianus Vitalis ſub effigie Artaxerſis, ex Muſæo Pauli Iouij, tale Elogium ſcripſit.

Quem ſpectas chlamide ornatum Medaque thiara
Regem Artaxerſem pharetratæ Perſidis inter
Præclaros belli proceres, paciſque Magiſtros,
Quos Iouius poſuit liquidi prope murmura Lari
Hic vbi Muſarum erexit de nomine villam,
Æternum famæ monumentum, æuique perennis;
Hic ille eſt in quem natura exempla bonorum
Congeſſit, Regumque malorum immania facta.
Huius magna fuit laus exegiſſe tyrannos
Et claros meritis Reges, & munera parua
Muneribus penſaſſe ingentibus, & ſimul vrbes
Sponte dediſſe ſua paſſim, nec clarius vnquam
Duxiſſe, inſigni quàm de virtute mereri.
Sol tamen hic proprias habuit quandoque tenebras
Dum nimis indulget vetito inconſultus amori
Abrogat & leges naturæ, ardenſque duarum
Iungitur amplexu natarum, atque bis ſuperaddit
Infandam nati cædem; ſed ſplendida in illo
E tenebris vitiorum emerſit ad æthera virtus.

ANNO M. 3643.

PERDICCAS Rex Macedoniæ in prælio cum Illyrijs ingenti clade ſuperatur, & amiſſo flore exercitus trucidatur. In eo prælio *Polyperchon* occiditur: *Neoptolemus* quoque cum *Eumene* congreſſus, diù mutuis vulneribus acceptis, colluctatus eſt, & victus occumbit. *Perdiccæ* ſuccedit in Regno *Philippus* eius frater. *Diod. Iuſtin.*

ALEXANDER PHERÆVS à Pheræa Ciuitate, cui imperauit denominatus, occiſo *Polyphrone* Theſſalorum Principe eius fratre, & ipſe conſilio vxoris ſuæ interficitur à fratribus vxoris, cuius rei cauſam narrat *Xenoph.* videlicet: Cùm *Alexander* imperium accepiſſet, non Theſſalis modò Dux grauis erat: verùm etiam Thebanis, & Athenienſibus infeſtus, iniuſtuſque

ſtuſque terrâ, & mari prædo. Talis autem cùm eſſet, operâ quidem fratrum vxoris, ſed conſilio tamen eiuſdem eſt interſectus. Nam ea fratribus enunciarat, inſidiari Alexandrum ipſis, ideoque diem ipſos totum domi concluſos occultarat. Poſt vbi Alexandrum ebrium excepiſſet, quamprimùm is obdormiuiſſet accensâ lucernâ gladium eius extulit. Cùmque cunctari fratres animaduerteret, quo minus ad Alexandrum ingrederentur: excitaturam ſe dixit hominem, ni mox rem perpetrarent. Itaque ingreſſis ipſis attractâ ianuâ diù peſſulum tenebat, donec maritus interfectus eſſet. Cæterum orta inter ipſam, & Alexandrum hæc inimicitia fertur eſſe ſecundùm quoſdam ex eo quòd cùm Amaſium ſuum Alexander adoleſcentem venuſtum vinculis conſtrixiſſet: ipsâ rogante vt ijs eum liberaret, eductum iugulaſſet. Alij quidam referunt, quòd cùm ex hac vxore liberos nullos ſuſciperet, miſſis Thebas ſuis vxorem Iaſonis ſibi deſponſarit. Hæ fuiſſe perhibentur cauſæ, quamobrem vxor ei fuerit inſidiata. Succedit ipſi in imperium *Tiſiphonus* ex ijs fratribus natu minimus.

ANNO M. 3645.

CHABRIAS Dux Athenienſium in ſociali bello trucidatur, cùm prætoria nauis fracta eſſet. Dictum fuit ***bellum ſociale***, quia ſocij Athenienſium Chij, Rhodij, Choi, & Byzantini defecerunt, contra quos ab Athenienſibus miſſus fuit ***Chabrias***. ***Diod.l.16.***

ANNO M. 3647.

PHILISTVS Dionyſij Dux fortiſſimus in pugnâ cum Heraclide Syracuſanorum Duce vincitur, & nè viuus caperetur, ipſe ſibi manus infert. ***Diod.l.15.***

ANNO M. 3648.

PHILOMELVS Phocenſium Dux, poſt multas patratas victorias, in pugnâ cum Thebanis ſuperatur, & metuens nè eum caperent, de rupe præcipiti ſaltu ſe demittens perit: ei ſuc-

ſuccedit *Onomarchus*. *Diod. lib.* 16.

ANNO M. 3649.

DION Syracuſanus, vir & pace & bello clariſſimus, frater nouercæ Dionyſij, poſtquam Tyrannum Dionyſium expulit, ſtatim dolo interfectus eſt hoc modo: *Callipus* quidam ciuis Athenienſis, qui cum eo ſimul ex Peloponneſo in Siciliam venerat, homo & callidus, & ad fraudem acutus, ſine vllâ Religione, ac fide adijt Dionem, aitque magno eum in periculo eſſe propter offenſionem populi, & odia militum, quos exhauſtis ciuibus, per libidinem eorum, expellere non poterat. Conſuluit ergo alicui ſuorum negotium mandet, qui ſe ſimulet illi inimicum: quem ſi idoneum inuenerit, facilè omnium animos cogniturum. Tali conſilio probato excepit has partes ipſe Callipus, & ſe armat imprudentiâ Dionis ad eum interficiendum. Fit coniuratio multis conſcijs, defertur ad *Ariſtomachem* ſororem Dionis, vxoremque *Areten*. Conueniunt Dionem, negat à Callippo fieri inſidias. Mulieres nihilominus Callippum in æde Proſerpinæ iurare cogunt, nihil ab illo periculi fore; Sed hoc maturiùs peregit, & proximo feſto Zacynthios è numero ſuorum adoleſcentes elegit, vt ad Dionem eant inermes, qui propter notitiam intromiſſi, foribus obſerratis, in lecto cubantem colligant, & quia inermes erant, flagitantibus, Lycon quidam Syracuſanus per feneſtras gladium dedit. Succedit in imperio *Callippus*, illudque tredecim menſibus adminiſtrat. *Xenoph. Val.Max.Oliu.*

ANNO M. 3650.

CLEARCHVS Heracleæ Tyrannus, duodecimo imperij anno, dum in Bacchanalibus ludos ſpectat, trucidatur. Succedit *Timotheus* filius, qui annos quindecim dominatur. *Diod.Sic.l.*16.

AN-

ANNO M. 3664.

OCHVS VIII. Rex Perſarum, Artaxerſis Mnemonis filius natu minimus, qui poſteà nomen Artaxerſis regium aſſumpſit. Hic, vt *Plutarchus* ſcribit, fuit degener filius, quia patris virtutes omnium vitiorum genere adæquauit. Nam ſæuitiâ, immanitate, perfidiâ, libidineque Tyrannos vel truculentiſſimos ſuperauit. Statim ac fuit ad regnum euocatus, coniurationem timens, Regiam cognatorum cæde, & ſtrage Principum replet, nullâ, non ſanguinis, non ſexus, non ætatis miſericordiâ permotus: ſcilicèt nè innocentior fratribus parricidis haberetur. Atque ita veluti purificato regno, bellum Armenijs infert. In eo cùm aduerſus prouocatorem hoſtium *Codomannus* quidam cum omnium fauore proceſſiſſet, hoſte cæſo, victoriam ſuis pariter, & propè ammiſſam gloriam reſtituit. Interiecto deinde tempore à *Bagoſe*, vel *Bagoa* militum præfecto per medicum vnâ cum liberis interficitur, idemque Bagoa *Arſen* adoleſcentulum, Regem facit, vt ſibi eo minus eſſet obnoxius. *Iuſtin.l.* 10.

ANNO M. 3665.

ARCHIDAMVS Spartanorum Rex, qui perfecto bello Cretenſi in Italiam Tarentinis auxilio profectus fuerat, in prælio cum Lucanis eodem die, quo clades ad Cheroneæam accidit, occiditur. Succedit ipſi filius *Agis* annorum nouem. *Diod.l.* 16.

ANNO M. 3666.

LYSICLES Athenienſium Dux, quòd malè ad Cheronæam pugnaſſet, vehementiſſimâ oratione accuſatus, capite plectitur. *Diod.*

ANNO M. 3667.

BAGOAS Eunuchus, & Præfectus militiæ in regno Perſico, cùm ſentiret ſibi periculum imminere ab *Arſe* Rege, qui non obſcura indicia præbebat vindictæ, quòd patrem & fratres

ipſius

ipſius occidiſſet, Regem cum liberis è vitâ tollit, & *Darium Codomannum* in regnum collocat, à quo cùm venenum & ipſi propinare vellet, cogitur, vt venenum ipſe bibat, & ſic perit. *Darius* verò conſtituto regno, cùm ſibi metueret à Philippo Macedone, de bello in Macedoniam proferendo conſilia init. *Diod. l.* 17.

PHILLIPPVS Macedonum Rex bellum Perſicum inchoare volens, Oraculum Delphicum conſulit de euentu belli, reſponſumque accipit ambiguum.

Serta gerit Taurus, iamque adſtat, qui immolet illum.

Quod interpretabatur Philippus de Perſis vincendis, cùm de ipſius cæde diceretur. Igitur cùm omnia, quæ ad bellum Perſicum pertinebant præparaſſet, nuptias inſtituit *Alexandro* Epirotarum Regi, magnificentiſſimo epulo Principes Græciæ excipit, omniſque generis ludos, & certamina exhibet, ſecurus omnium rerum à *Pauſania* nobili Macedone trucidatur. *Val. Max.* refert Philippum admonitum fuiſſe ab Oraculo, vt à quadrigæ violentiâ ſalutem ſuam cuſtodiret, ideò toto regno diſiungi currus iuſſit, eumque locum qui in Bœotia *Quadriga* vocatur ſemper vitauit: Nec tamen denunciatum periculi genus effugit: nam Pauſanias in capulo gladij, quo eum occidit quadrigam habuit cælatam. Hac de causâ Pauſanias dicitur occidiſſe Philippum, quòd cùm interrogaſſet Hermodem, quo pacto ſibi poſſet glorioſum nomen comparare, reſpondiſſe dicitur, ſi virum nobiliſſimum occideret. Hoc autem *Valerius* ſentit, ſed aliter *Iuſtinus*; dicit enim quod hic *Pauſanias* primis pubertatis annis ſtuprum per iniuriam paſſus ab *Attalo* fuerat: cuius indignati hæc etiam fœditas acceſſerat. Nam perductum in conuiuio, ſolutumque mero Attalus, non ſuæ tantùm, verùm & conuiuarum libidini, velut ſcortum vile ſubiecerat, ludibriumque omnium inter coæquales reddiderat. Hanc rem ægrè ferens Pauſanias, quærelam Philippo ſępè detulerat. Cùm varijs fruſtrationibus non ſine riſu deferretur, & honoratum inſuper ducatu aduerſarium cerneret, iram in ipſum Philippum vertit, vltionemque, qua aduerſario non poterat, ab iniquo iudice exegit. *Olympias*

pias coniux Philippi, quæ repudiata fuerat à Philippo, non videtur inſcia fuiſſe cædis, cuius plurima indicia dedit, vt videre eſt apud *Iuſtinum*: *Philippo* ſucceſſit *Alexander* Magnus, viginti annorum adoleſcens, & virtutibus, & vitijs maior, de quo ſuo loco.

ANNO M. 3673.

DARIVS CODOMANNVS vltimus Perſarum Monarcha, contracto exercitu quater centenorum millium peditum, & centum millium equitum, in Ciliciam in occurſum Alexandri Magni, non ſatis ex prudentiâ militari tendit, cùm in anguſtijs montium ipſius copiæ ad paucitatem redigerentur, ibique aſtu Alexandri à quo in primis petebatur, vincitur, amiſſis centum & triginta millibus militum, cùm Macedonum vix triginta, & duo pedites, equiteſque centum & quinquaginta cecidiſſent: caſtra etiam capta cum ingenti prædâ, capta item Darij coniux, mater, filius, binæ filiæ cum vniuersâ familiâ. Darius ab Alexandro fugatus per loca ardua atque aſpera in Bactra, vel Ecbatanam Mediæ Regiam celerrimè contendit, quem Alexander non minori celeritate inſequitur. *Beſſus*, vbi Alexandrum aduenturum cognouit, cum Nabuzardane Militum Darij præfecto conſpirans, alijque ſcelerati Darium aureis compedibus vinctum in cuſtodiâ tenuerunt; mox è cuſtodiâ eductum, & ſordido vehiculo, pellibus vndique tecto ac clauſo impoſitum, huc illuc raptarunt: cùmque aliquandiu eum traxiſſent, ad extremum equum conſcendere negantem, nefario ſcelere multis vulneribus confoſſum in ſolitudine reliquerunt; poſtquam vixiſſet annos quinquaginta, & regnaſſet annos 6. *Diod. Sic. Strabo, Plutarch. Iuſtinus, Curtius, & alij.* Adhuc ſpirantem *Polyſtratus* Macedo fortè fortunâ reperit; cui poſtrema verba ad Alexandrum perferenda commiſit: *Se nullis in eum meritorum officijs maximorum illi debitorem mori; agere tamen ei maximas gratias pro beneficijs in matrem, coniugem, liberoſque ſuos impenſis: ijs enim & vitam, & priſtini ſtatus reuerentiam, ac dignitatem conceſſam, ſibi verò à cognatis, & amicis, quibus & regna & vitam dederit,*

illa omnia erepta eſſe: precari ſe, vt illi victori terrarum omnium imperium contingat: vltionem ſceleris erga ſe perpetrati non ſolùm ſua, ſed exempli omnium Regum cauſa non negligere, illi tum decorum, tum vtile futurum. Iamque deficiens aquam popoſcit, quam allatam poſtquam bibit, Polyſtrato qui eam tulerat: *Quis quis es mortalium*, inquit, *hoc mihi extremum vniuerſæ calamitatis genus accidit, vt pro tãto in me beneficio dignas tibi grates referre nequeam; cui hoc fidei regiæ dextrâ pignus pro me dabis*. Ità fatus, apprehenſa Polyſtrati manu, expirauit. Poſtquam ſuperuenit Alexander, viſo eius corpore, tam indignam eo faſtigio mortem lacrymis proſecutus eſt, demptâque ſibi chlamyde illud texit, & Regio ornatum cultu Suſas ad matrem Siſigambem miſit. *Beſſum* interfectorem poſt comprehenſum dilacerauit directis arboribus duabus in vnum deflexis, quarum vtrique corporis partem alligauit, indè laxatæ ambæ, atque impetu in ſedem ſuam relatæ, partem ſibi annexam retinuêre. *Plutarchus*.

AMYMTAS ex Macedonia profugus, collectis quatuor millibus militum, ex fugâ ad *Iſſam* in Aegyptum tranſit, cùm Aegypti præfectus in pugnâ cecidiſset, & ſe pro præfecto Darij gerit, occupatâ totâ Aegypto: at verò cùm prædas ageret, propè Memphim cum omnibus ſuis trucidatur. *Diod. l.* 17.

ANNO M. 3674.

ALEXANDER Epiri Rex, æmulus auunculi Alexandri Magni, cùm in Italiâ aliquoties properè pugnaſset, & cum Romanis amicitiam inijſset; tandem à Lucanis transfugis ex inſidijs trucidatur ad Acherontem amnem. Prædictum ipſi fuerat ab Oraculo, vt Acheruſiam aquam vitaret, ibi enim fatis eius terminum dari, atque ideò ex Epiro diſceſſerat, vbi Acheron amnis erat, inſcius in Italiâ etiam eiuſdem nominis amnem eſſe, vbi perijt. Antipater hæc, & alia ad Alexandrum Magnum perſcribit. *Iuſtin. & Diod. Sic.*

AN-

Digitized by Google

ANNO M. 3675.

CALLISTENES Alexandri ex ſorore nepos, innocens quidem, ſed tamen de inſidijs Alexandro factis ſuſpectus, cum cruciatu necatur. Cùm enim Alexander Perſicum habitum ſibi ſumpſiſſet, & ſe adorari vellet, in odium apud milites ſuos venit, ex quibus aliqui contrà eum conſpirarunt, cuius conſpirationis indicem, nè rem ad Alexandrum deferret impediuit *Philotas* filius Parmenionis, qui ob id ſuſpectus factus in vincula rapitur, tormentis ſubijcitur, & cum patre trucidatur. *Diod.Sic.Curtius.*

ANNO M. 3680.

ALEXANDER Magnus Philippi Macedonis filius, extincto *Dario*, & vnâ cum illo Monarchiâ II. quæ Medorum, & Perſarum fuit extinctâ, Monarchiā tertiam, quæ Græcorum, & Macedonū appellatur, inchoauit, ſicut legimus I. *Machab.* I. *v.* I. Quamuis autem ante Alexandrum Magnum, plures in Græciâ, & ſpecialitèr in Macedoniâ Reges extiterint, nihilominus ipſe fuit primus Grçcorum Monarcha, quia extinctâ, vt diximus, Perſarum Monarchiâ, axioma hoc *Monarchicum* ad Græcos tranſtulit. Poſtquam 12. annos, & 7. menſes regnaſſet, moritur; de cuius mortis genere diuerſæ extant hiſtoricorum ſententiæ. Quidam, vt *Curtius, Diod. Sicl.* ſentiunt ipſum veneno perijſſe, quam mortem ſic deſcribit *Iuſtin.l.* 12. In commeſſatione accepto poculo, mediâ potione repentè veluti telo confixus ingemuit, quarto die indubitatam mortem ſentiens, agnoſcere ſe fatum domus Maiorum ſuorum ait: Nam plerique Ægidarum intra 30. annum defuncti. Tumultuantes deinde milites, inſidijs perijſſe Regem ſuſpicantes, ſedauit, oſculandamque dexteram ſuam flentibus porrexit. Cùm lacrymarentur omnes, ipſe non ſinè lacrymis tantùm, verùm etiam ſinè vllo triſtioris mentis argumento fuit, vt quoſdam impatientiùs dolentes conſolaretur, quibuſdam mandata ad parentes eorum dedit, adeò ſicut in hoſtem, ita & in mortem inuictus animus fuit, dimiſſis

H 2 mi-

militibus amicos circumſtantes percuntabatur, videantur ne ſibi reperturi Regem? Tacentibus cunctis, cùm ipſe, vt hoc neſciat; ita illud ſcire, vaticinarique ſe ac penè videre oculis dixit: *Quantis cædibus mortuo ſe ſit parentatura Macedonia*: Ad extremum Ammonis templo condi iubet corpus ſuum. Cùm deficere eum amici viderent, quærunt: Quem imperij faciat hæredem? Reſpondit: *Digniſſimum*. Hac voce velut claſſicum inter amicos ceciniſſet, aut malum diſcordiæ miſiſſet, ita omnes in æmulationem conſurgunt. Sextâ die præcluſâ voce exemptum annulum digito *Perdiccæ* tradidit. *Plutarchus* verò negat Alexandrum veneno perijſſe, affirmatque ſe diarium morbi Alexandri accepiſſe, in quo, quomodo ſe ſingulis diebus in febrili Paroxyſmo habuerit, perſcriptum fuit; & quòd decimo morbi die perierit, die vigeſimo ſecundo Dæſij, qui nobis ferè eſt decimus octauus Aprilis.

Babylone multa omina euenêre, quæ mortem videbantur *Alexandro* portendere, vt, cùm Alexander vngendi cauſa veſtibus ſe nudaſſet, & pilâ luderet, adoleſcentes, qui vnà ludebant, cùm iam veſtes eſſent recipiendæ, hominem, qui captiuus è carcere elapſus in Regiam venerat, inuenerunt ſedentem in ſolio veſtibus Alexandri, & diademate regio indutum. Is interrogatus: Quiſnam eſſet? aliquandiù nullam vocem edidit, tandem cùm ad ſe redijſſet, dixit: Hoc ſibi mandatum à Serapi, quòd vbi audiuit Alexander, iſtum hominem iuſſu vatum è medio ſuſtulit, vt ſi quid aduerſi eo oſtento portenderet, in ſe reciperet. *Plutarch. in Alex.* Verùm ipſe Alexander cœpit grauiſſimâ animi perturbatione torqueri, & ad triſtes haſce cogitationes obruendas, conuiuijs indulgere, vbi tandem febrim ſibi conciliauit.

Calanum Philoſophum Indũ finem vitæ Alexandro prædixiſſe, teſtatur *Cicero de Diuin. l.* 1. Hic cùm anno vitæ ſuæ ſexageſimo octauo ad eos dolores fortè perueniſſet, vt eos vlterius ferre non poſſet, nam aluo vexabatur, rogum ſibi ſtruxit, & aureâ lecticâ ſuperimpoſitâ, incubuit ſtramentis opertus, vt eos dolores aufugeret, in quibus ſummum malum ſtatuebat. Deinde Macedones obſecrauit, vt illum lætitiæ diem ſimul cum Rege po-

potantes exigerent, quem paucis poſt diebus Babylone viſurum ſe dixit, atque ita breui futuram Alexandri mortem prædixit, qui Babylone periit. Alexander verò mortuo Calano, conuiuia celebrari iuſſit, ſed antequam moreretur eum rogauit, ſi quid vellet, vt diceret, qui nihil aliud reſpondiſſe fertur, niſi te propediem videbo. Igitur voluntarium eius è vitâ exceſſum rapida mors Alexandri ſubſecuta eſt. *Aridæus* Alexandri frater biennium ferè conſumpſit in adornandis exequijs Alexandri Magni. Cùm autem *Olympias*, Alexandri mater, defuncto filio, audiuiſſet eum tam longo tempore ſepulcro carere, grauiter ingemiſcens, atque acerbiſſimè plorans, exclamauit. *O fili, cùm inter cælites locari volueris, & id perficere ſummo ſtudio conatus ſis, nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale, & par ius, particeps fieri potes terræ, ſupulturæque?* Et ſic ſimul infortunium ſuum luxit, ſimul etiam faſtum, & immanem filij ſuperbiam taxauit, ſicut *Aelian.lib.* 13.*cap.*30. ſcribit.

Poſt obitum Alexandri Magni, diuiſa eſt Monarchia in quatuor Dynaſtias ſiue Regna, nempè in Regnum Macedonicum, Aſiaticum, Syriacum, & Ægyptiacum, Ideò conſilio inito de adminiſtrando Regno, tandem concluditur; vt *Philippo Aridæo* fratri Alexandri, qui è *Philinna* ſaltatrice Lariſſæa Philippo natus, cui tamen ſana mens non conſtabat, tutor adderetur *Perdiccas*, & reliquis Ducibus Prouinciæ Regni adminiſtrandæ darentur. *Ptolomæo* Lagi datur Ægyptus, *Pythoni* Media, *Eumeni* Paphlagonia, Cappadocia, & vicinæ, *Antigono* Lycia, Pamphilia, Phrygia maior; *Caſſandro* Caria, *Meleagro* Lydia; *Leonnato* Phrygia ad Helleſpontum, *Lyſimacho* Thracia; *Antipatro* Macedonia; & aliæ Regiones ad Caucaſum alijs.

Athenienſes auditâ Alexandri morte, Principatum Græciæ affectant, bellumque contrà *Antipatrum* parant. Cùm autem *Leoſthenes* Athenienſium Dux vi vrbem expugnare minimè poſſet, extructo muro eam commeatu intercludere conatur, ſed in faciendâ foſsâ ab erumpentibus hoſtibus vulneratur, & moritur, cui ſubſtituitur *Antiphilus.Diod.Sic.l.*18.

Anto-

Digitized by Google

Antonius Franciſcus Rainerius de Alexandro Magno ſic cecinit:

Quod tua te Macedo iuuit late aucta per orbem
Gloria, Hyperboreo qua riget aura gelu?
Quaque pharetratæ ſurgunt iuga Perſidis, & qua
Ebibit Eoaſdecolor Indus aquas?
Victorem cùm te Populorum, vicerit ira;
Noxiaque vndanti pocula ſumpta mero,
Et tumidi faſtus, Diuum queis poſcis honores,
Cogis & ingenuos flectere colla viros.
Hæc procerum impulerunt fida olim pectora, Regi
Miſcere è ſaua toxica Theſſalia.
Fortunam reuerere: noua ò qui ſceptra capeſſis
Nam Dea, regna agili datque adimitque manu.

ANNO M. 3681.

LEONNATVS Dux Phrygiæ ad Helleſpontum audiens Antipatrum à Græcis oppugnatum, adducit auxilia, & cum Græcis, qui iam obſidionem Lamiæ ſoluerant, prælio congreditur, ſed dum paululum cedit, in paludem à Græcis inuentibus cogitur, vbi etiam trucidatur. *Plutar. & Diod.*

GALLI Francos, qui iam *Sicambri* appellabantur, inuadunt, ſed atroci prælio vincuntur, cæſis ſeptuaginta millibus. Ceciderunt tamen ex Francis præcipuæ nobilitatis Duces, & quatuor millia militum. *Tritbem. in comp.*

ANNO M. 3683.

CRATERVS Antipatro auxilio venit cum magno exercitu contra *Eumenem*. Hic cùm videret hoſtes adeſſe, copias vndique cogit, in primis equitatum, hoſtes enim peditatu præualebant. Ideò omnem victoriæ ſpem in equitatu collocatam habebat, quę etiam ipſum non feſellit: nam in dextero cornu *Craterus* equo excuſſus, & non ſatis agnitus, conculcatur, in ſiniſtro cornu ipſe *Eumenes* Neoptolemum ſuâ manu occidit. Eodemque tempore Antipater in Ciliciam mouet contra Perdiccam,

cam, qui iam in Ægyptum ſeceſſerat. factâ prius ab Antipatro pace cum Athenienſibus, hac conditione, vt ſingulæ Ciuitates Græciæ, quæ cum Athenienſibus faciebant, legatos ſuos mitterent: nominatim autem petiuit dari ſibi *Hyperidem*, & *Demoſtenem* Oratores, qui maturè ex vrbe ſe ſubduxerunt,& in diuerſa loca dilapſi ſunt. *Hyperides* in Æginam fugit,ibique captus, & ad Antipattrum miſſus eſt; cui primùm lingua exciſa eſt, & poſteà trucidatus. Similiter *Demoſthenes* pacem hanc ſuo ſanguine ſancitum iri videns,fugit. Quæſitus autem ab Antipatro, per *Achiam*, & inuentus in qnadam inſulâ ſedens in fano Neptuni ſupplex, iuſſus eſt fano egredi: verùm ipſe ſumpto libello, ac ſi ſcripturus eſſet, calamum ſcriptorium ori admouit, venenum ex eo hauſit, & obuoluto capite expirauit. Ei mortuo populus Athenienſis ſtatuam æream poſuit cum hac inſcriptione:

Si tibi vis, animo Demoſthenis, æqua fuiſſet;
Non Macedum ferret Græcia victa iugum.

PERDICCAS Aridæi Regis primus adminiſtrator, & tutor, Cappadociæ Regulum, qui ab Alexandro nondum ſubiugatus erat, prælio vincit, captum in crucem agit, regnumque eius *Eumeni* regendum tradit; inde quaſdam vrbes expugnatas crudeliſſimè exſcindit: ad Iſaurorum verò vrbem cùm veniſſet, ciues qui impares ſibi videbantur bello, ſuas coniuges, & liberos ipſi interficiunt, & extructo rogo cremant, hoſteſque tamdiù ſuſtinent, tandem ipſi ſe in flammas præcipitant. *Diod. Sic. ibidem.*

Perdiccas tandem ſperans ſe vniuerſo *Aridæi* regno potiturum, ex adminiſtratore, & tutore conſtituto fit raptor (nihil vſpiam vſitatius) ideoque, vt illud dolo affectaret, hoc arte vſus eſt Cleopatram Alexandri Magni ſororem cupit ſibi in vxorem dari; nec diſſentit Olympias mater, vtque voti ſui compos fieret, ambiuit etiam filiam Antipatri, qui Macedoniæ Gubernator à reliquis Ducibus conſtitutus erat, vt ſub hac ſpecie amicitiæ Antipatrum tolleret; Cùm verò hæc palam fierent, vtraque ſponſa excidit. Hinc Perdiccas in Ægyptum profectus, inuenit omnia loca præſidijs egregiè munita, & Ptolomæum propter iuſtitiam,

&

& liberalitatem ab omnibus coli, adeout etiam Perdiccæ milites ad ipſum confugerent:nihilominus tandem Caſtellum quoddam vehementer oppugnat, nihil tamen magnoperè effecit : Inde igitur diſcedere coactus imperitè exercitum per Nilum traducere conatur. Sed cùm dimidia pars exercitus traducta eſſet, arenâ tranſeundo motâ dilabitur, & alueum longè profundiorem facit, quàm vt altera pars priorem ſequi poſſet: Quapropter regredi cogitur, vbi in tranſitu vltra duo millia militum, vel in flumine, vel ab Elephantis protriti, interierunt. Exercitus magnoperè hac clade exacerbatus, *Perdiccam* in tentorio ſuo trucidat. Ptolomæus tantâ victoriâ potitus, loco Perdiccæ *Pithonem*, & *Aridæum* conſtituit, qui Eumenem Perdiccę fœdere iunctum, hoſtem regni declarant. *Diod.Sic.l.*18.

ANNO M. 3684.

DEMADES Orator Græcus, Legatus mittitur cum filio ab Athenienſibus ad Antipatrum, petuntque vt vrbs ſua libera ipſis reddatur, & præſidium ex *Munychia* deducatur. Cùm autem in Macedoniam venirent, Antipater aduersâ valetudine laborabat, & *Caſſander* ſummam rerum obtinebat. Sed ante hoc tempus ſcripſerat Demades litteras ad Perdiccam contra Antipatrum, quæ interceptæ fuerant, ideò iam captus cum filio trucidatur iuſſu Caſſandri. Addita autem eſt crudelitas ſupplicio, quòd filius Demadis in complexu patris interfectus, eiuſque ſanguine conſperſus fuerit. Paulò poſt *Antipater* moritur, tutoremque Aridæi facit *Polyſperchontem*, cui adiungit filium Caſſandrum, qui ſecundas partes teneat. *Caſſander* moleſtiſſimè ferens hanc voluntatem patris, fugam molitur ad Antigonum in Aſiam. *Diod.l.*18.

ANNO M. 3686.

OLYMPIAS Alexandri Magni mater, cum nepote ex Roxane in Macedoniam tranſit, à *Polyſperchone* euocata, vbi à ſubditis libentiſſimè ſuſcipitur. Cùm igitur res ſuas ſibi ſtabiliuiſſe viſa eſſet, *Aridæum* Macedoniæ Regem, cùm ſex annos

nos, & ſex menſes regnaſſet, captum, & in vinculis crudelitèr tractatum iaculis per Cretenſes conficitur, & *Eurydicen* vxorem eius mori iubet. Illa cùm maritum obligaſſet, laqueo ſe ſuſpendit, dira imprecans Olympiadi. *Diod.l.*19.

CASSANDER Antipatri filius de crudelitate Olympiadis certior factus, in Macedoniam cum exercitu irruit, quem fugiens Olympias cum ſuis Pydnæ ſe incluſit, obſidionem toleratura donec auxilia venirent. *Caſſander* cùm hyeme Pydnam oppugnare non poſſet, obſidionem continuat, & commeatu intercludit; vndè tanta fames in vrbe exorta eſt, vt Elephanti inediâ perirent, equi ab hominibus in cibo abſumerentur, & barbari etiam cadaueribus veſcerentur. Hinc factum eſt, vt *Olympias* Caſſandro ſe dedere coacta ſit, qui eam ſatellitum miniſterio trucidauit, deinde *Roxanen*, & filium eius *Alexandrum*. Caſſander interim vt dignus videretur, qui Macedoniæ regnum haberet, *Theſſalonicen* Olympiadis filiam, & Alexandri Magni ſororem, vxorem ducit, ex quâ tres filios ſuſcepit, nempè *Philippum*, *Antipatrum*, *&* *Alexandrum*, qui mortuo parenti in regna ſucceſſerunt. *Diod.Pauſan. & Iuſtin.*

ANNO M. 3693.

HERCVLES Alexandri Magni filius ex Barſine, Pergami educatus, adoleſcens 17. annorum, *à Polyſperchonte* aſſumitur, ipſique regnum Macedonicum tradere conatur. Verùm inſidijs Caſſandri interficitur. *Diod.l.*20.

ANNO M. 3694.

PTOLOMÆVS Lagi filius, qui poſt Alexandri Magni obitum Ægypti Regnum tenuit, cùm Cyprum occupaſſet, & ſenſiſſet *Nicoclem* noua conſilia agitare cum Antigono, & metueret nè reliqui Cypri reges id conſilium ſequerentur, & Cyprum Antigono traderent, mittit qui Nicoclem occiderent, qui quidem cùm mandata Ptolomæi audiuiſſet, ſibi ipſi manus infert, ſed coniux eius tanto caſu perturbata, ſuas ipſius filias occidit, & fratribus Nicoclis perſuadet, vt ſecum cum coniugi-

bus, & liberis in ædibus cremarent, cùm tamen Ptolomæus nihil in ipſos ſtatuiſſet, atque ita familia *Paphiorum* Regum abolita eſt. *Diod.Sic.l.*20.

PTOLOMÆVS Ægypti Rex, plurimas vrbes in Aſia *Antigono* eripit, & *Ptolomæum* Ducem Antigoni profugum cum exercitu ad ſe recipit, paulò poſt tamen eum, quòd videretur nouis rebus ſtudere, carcere mancipat, & cicutam bibere cogit, exercitumque eius ſuo miſcet. *Diod.ibid.*

Interfecto in Siciliâ *Hamilcare*, Carthaginenſium Imperator *Amilco* eius filius ſuccedit: qui vt *Iuſtin.l.*19. refert, cùm nauali, terreſtrique bello ſecunda prælia feciſſet, repentè peſtilentis ſyderis vi exercitum amiſit. Quæ res cum nunciata Carthagini eſſet, mæſta ciuitas fuit: omnia vlulatibus, non ſecus, ac ſi ipſa vrbs capta eſſet, perſonabat: clauſæ priuatæ domus, clauſa Deorum Templa, intermiſſa omnia ſacra, omnia priuata officia damnata, cuncti deindè ad portam congregantur, egredienteſque paucos è nauibus, qui cladi ſuperfuerant, de ſuis percontantur. Vt vero dubia anteà ſpe, & ſuſpenſo metu, incertâ orbitatis expectatione caſus ſuorum miſeris illuxit, tunc toto littore plangentium gemitus, tunc infelicium matrum vlulatus, & querelæ flebiles audiebantur. Inter hæc procedit inops è naui ſuâ *Amilco* ſordidâ ſeruilique tunicâ diſcintus: ad cuius conſpectum plangentium agmina iunguntur. Ipſe quoque manus ad cœlum tendens, nunc ſortem ſuam, nunc publicam fortunam deflet, nunc Deos accuſat, qui tanta belli decora, & tot ornamenta victoriarum, quæ ipſi dederant, abſtulerint: qui captis tot vrbibus, totieſque hoſtibus terreſtri, naualique prælio victis, exercitum victorem non bello, ſed peſte deleuerint: deferre ſe tamen ciuibus ſuis non modica ſolatia, quòd malis eorum hoſtes gaudere, non gloriari poſſent. Quippè neque eos, qui mortui ſunt, à ſe occiſos; neque eos qui reuerſi ſunt à ſe fugatos poſſint dicere. Prædam quam relictis à ſe caſtris abſtulerint, non eſſe talem, quam velut ſpolium victi hoſtis oſtentent: ſed quam poſſeſſione vacuâ, fortuitis dominorum mortibus, ſicuti caduca occupauerint. Quòd ad hoſtes pertinet, victores ſe re-

receſſiſſe: quòd ad peſtem pertinet, victos : nihil tamen ſe grauiùs ferre, quàm quòd inter fortiſſimos viros mori non potuerit: ſeruatuſque ſit non ad vitæ iucunditatem, ſed ad ludibrium calamitatis, quamquam vbi miſeras copiarum reliquias, Carthaginem reduxerit, ſe quoque ſequuturum commilitones ſuos, oſtenſurumque patriæ, non ideò ſe in eam diem vixiſſe, quoniam velit viuere: ſed nè hos quibus nefanda lues pepercerat, intra hoſtium exercitus relictos morte ſuâ proderet. Tali vociferatione per vrbem ingreſſus, vt ad limina domus ſuæ venit, proſequutam moltitudinem velut poſtremo alloquio dimiſit. obſeratiſque foribus, ac nemine ſe ſe, nè filijs quidem admiſſis, mortem ſibi conſciuit.

ANNO M. 3695.

CLEOPATRA Alexandri Magni ſoror, quæ nupta fuerat *Alexandro* Epiri Regi, ne cui nuberet prohibita fuit ab *Antigono*, Sardibus incluſa, ea fugam molitur in Ægyptum, vt Ptolomæo matrimonio iungeretur, ſed interficitur ab Antigono, qui infamiam hanc abolere conatus, multos trucidat, quaſi reos cædis, & Cleopatram regio more ſepelit. *Diod.Sic.l.*20.

OPHELLAS Rex Cyrenarum regnum totius Affricæ amplexus, ſocietatem cum *Agathocle* per legatos iunxerat, pactuſque cum eo fecerat, vt Siciliæ illi, ſibi Affricæ imperium, victis Carthaginenſibus cederet. Itaque cum ad belli ſocietatem cum ingenti exercitu Ophellas veniſſet, *Agathocles* blando alloquio, & humili adulatione, cum ſæpius ſimul cœnaſſent, quia filius eius ab Ophella adoptatus eſſet, incautum eum interfecit: occupatoque exercitu eius, iteratò Carthaginenſes omnibus viribus bellum ſtruentes, magno vtriuſque exercitus ſanguine, graui prælio ſuperat. Erat *Agathocles*, vt *Iuſtin.l.22.refert*, Siciliæ Tyrannus, qui ad regni maieſtatem ex humili, & ſordido genere peruenit. Quippè in Siciliâ patre figulo natus, non honeſtiorem pueritiam, quàm principia originis habuit: Siquidem forma, & corporis pulchritudine egregius, diù vitam ſtupri patientiâ exhibuit. Annos deindè pubertatis egreſſus, libidinem

Digitized by Google

à viris ad fœminas tranſtulit. Poſt hæc apud vtrumque ſexum famoſus, vitam latrocinijs mutauit. Interiecto tempore, cùm Syracuſas conceſſiſſet, accitusque in Ciuitatem inter incolas eſſet, diù ſine fide fuit: quoniam nec in fortunis quòd ammitteret, nec in verecundiâ quòd inquinaret habere videbatur, In ſummâ, gregariam militiam ſortitus, non minus tunc, ſeditioſâ, quam antea turpi vitâ, in omne facinus promptiſſimus erat. Nam & manu ſtrenuus, & in concionibus perfacundus habebatur. Breui itaque Centurio, ac deinceps Tribunus militum factus eſt. Primo bello aduerſus Aetneos magna experimenta ſuis Syracuſanis dedit. Sequenti Campanorum tantā de ſe ſpem omnibus fecit, vt in locum demortui Ducis Damaſcenis ſufficeretur; cuius vxorem adulterio cognitam, poſt mortem viri in matrimonium recepit. Non contentus, quòd ex inope repentè diues factus eſſet, piraticam aduerſus patriam exercuit. Saluti ei fuit, quod ſocij capti, tortique de illo negauerunt. Bis occupare imperium Syracuſanum voluit, bis in exilium actus eſt. A Murgantinis apud quos exulabat, odio Syracuſanorum, primò Prætor, mox Dux creatus. Succeſſu temporis poſt occiſum Hamilcarem, Giſgonis filium, nouus eo à Pœnis miſſus exercitus fuerat. Statim igitur primo aduentu eius, omnes Siciliæ vrbes auditis rebus, quas in Affricâ geſſerat, certatim ſe ei tradunt: atque ita pulſis è Siciliâ Pœnis totius Inſulæ imperium occupauit.

BOMILCAR Pœnorum Dux apud Carthaginenſes tyrannidem inuadit, & cum exercitu vrbem ingreditur, multoſque trucidat. Tandem Ciues cùm loco præualerent, ſeditioſos obſident, legatoſque mittunt, qui impunitatem militibus promitterent; ſi *Bomilcarem* traderent, qui in medio foro à Pœnis patibulo ſuffixus eſt: vt idem locus monimentum ſuppliciorum eius eſſet, qui ornamentum anteà fuerat honorum. Sed Bomilcar magno animo crudelitatem ciuium tulit; adeò vt de ſummâ cruce, veluti de Tribunali in Pœnorum ſcelera concionaretur, obiectans illis, nunc Hannonem falsâ affectati regni inuidiâ circumuentum, nunc Giſgonis innocentis exilium, nunc in

Ha-

Hamilcarem patruum ſuum tacita ſuffragia, quòd Agathoclem ſocium illis facere, quàm hoſtem maluerint. Hæc cùm in maxima populi concione vociferatus eſſet, expirauit. *Iuſtin. l.* 22. *Diod.Sic.l.*20.

ANNO M. 3697.

AGATHOCLES cùm in Affricã veniſſet, magnâ clade vincitur, hinc de Affricæ rebus deſperare incipit,& clam molitur fugam in Siciliam: milites cùm id perſentiſcerent, eum in vincula compingunt. Cùm verò paulò poſt terroris aliquid incidiſſet, ſoluitur, & clam cum paucis nauium ingreditur, & aufugit. Exercitus derelictus occiſis filijs Agathocles cùm Carthaginenſibus tranſigit. Agatocles cum in Siciliam redijſſet, ab Aegeſtanis expoſcit pecuniæ ſummam, illi de eâ perſoluendâ conſilium aduocant, ex quo *Agathocles* irâ commotus, omnes ad vnum interficit, pauperes quidem ſtatim, diuites verò, tam viros, quàm fœminas, omnibus cruciatibus excarnificatos, vt omnes theſauros expiſcaretur. Indè certior factus de liberorum ſuorum cæde, militum cognatos, qui eos occiderant, quoſcumque capere potuit crudeliſſimè interficit, multaque millia ita Syracuſis ad mare occiſa. *Diod.Sic.l.*20.

ANNO M. 3700.

MITRIDATES *Myſiæ* Rex, cùm annos 35. regnaſſet, trucidatur, ſuccedit filius *Mithridates*, qui regnum Paphlagoniâ, & Cappadociâ auxit, & annis 36. regnauit. *Diod.Sic.l.*20.

ANNO M. 3701.

ANTIGONVS filius nothus Philippi Regis Macedoniæ inter Duces virtute antecelluit, ſicut rerum geſtarum eius magnitudo oſtendit. Deuicto Ptolomæo in Cypro, & de hac victoriâ nauali certior factus, diadema ſibi ſumit, & Regem ſe, atque filium appellat: Quòd etiam facit *Ptolomæus* in Aegypto, ne de poſſeſſione regni deſperaſſe videretur. Horum exemplum ſequuntur etiam *Seleucus*, *Lyſimachus*, & *Caſſander*, qui adunatis

tis

tis viribus *Antigonum*, & *Demetrium* inuadunt, pugnantque. Ibi Demetrius in dextero cornu Regibus oppoſitus, hoſtes quidem egregiè vincit,ſed nimium in ſequendo victos, ab acie excluditur, cùm Seleucus elephantos oppoſuiſſet. Interim pater Antigonus, iam octogenarius ab hoſtibus circumdatur, & multis iaculis ſaucius occiditur. Demetrius itaque aſſumpta parte exercitus, quinque millibus peditum, & quatuor millibus equitum,ex Aſiâ in Cyprum aufugit. Atque ita Demetrius Aſiâ exuitur, & regnum Aſiæ ad Seleucidas tranſijt, & cum Syriâ coniunctum fuit. *Diod.Iuſtin.Plutarch.*

ANNO M. 3701.

CASSANDER Antipatri filius, Tyrannus, & Regicida tragicâ morte occubuit, nam hydrope, & phtiriaſi, vermibus e toto corpore erumpentibus extinctus eſt, poſtquam 19. annos in Macedoniam regnaſſet, cui ſuccedit filius *Philippus*, qni tabidi corporis lue interijt, cùm regnaſſet annuo ferè ſpatio. Succedunt ei reliqui fratres bini, *Antipater & Alexander*, qui Macedoniam inter ſe diuidunt.

ANNO M. 3703.

POſt CASSANDRI Regis, filijque eius *Philippi* continuas mortes, *Theſſalonica* Regina vxor *Caſſandri*, non magno poſt tempore, vt *Iuſtin.l.16.* refert, ab *Antipatro* filio, cùm vitam etiam per vbera materna deprecaretur, occiditur. In cauſâ fuit, quod poſt mortem mariti in diuiſione regni inter filios, propenſior fuerat in Alexandrum filium natu minorem.

ANNO M. 3705.

ALEXANDER Caſſandri filius, vt cædem maternam vlciſceretur, geſturus cum fratre bellum, Pyrrhum Epirotarum Regem, qui nuper in Regnum ex Aegypto dimiſſus fuerat, teſte *Velleio*, in auxilium auocat; qui pro auxilij lati mercede, magnam Macedoniæ partem occupat, ita vt Alexandro iam metuendus videretur: quapropter vt hunc iterum ex Macedoniâ

niâ eijciat, auxilium à *Demetrio* petit: nec Demetrius, ſpe inuadendi Macedonjci regni, moram fecit. Eius aduentum verens *Lyſimachus*, perſuadet genero ſuo *Antipatro*, vt malit cum fratre in gratiam reuerti, quàm paternum hoſtem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem cùm præſenſiſſet *Demetrius*, per inſidias *Alexandrum* interficit: occupatoque Macedoniæ regno, cædem apud Macedonas excuſat, exaggeratque tyrannidem Antipatri, Caſſandri, & filiorum, efficitque vt Rex Macedoniæ appellaretur. *Lyſimachus* etiam, cùm à Thracibus bello premeretur, nè ſimul cum Demetrio propter generum pugnare videretur, generum *Antipatrum* occidit, atque ita *Demetrius* vniuerſo regno Macedoniæ potitur, quod obtinet annis ſeptem, cùm Caſſandri filij id vltrà triennũ obtinuiſſent; atque ita vniuerſa *Caſſandri* Domus Alexandro Magno, ſeù necis ipſius, ſeù ſtirpis extinctæ, pœnas partim cæde, partim ſupplicio luit. *Plutarch. & Iuſtin.*

ANNO M. 3713.

AGATHOCLES Siciliæ tyrannus, nepotẽ *Archagatum* cum exercitu miſerat. Conſtituerat enim eum ingenti clade in Affricam traijcere, ſed pœnitens facti, ætate iam feſſus, & valetudine afflictus filium *Agathoclem* ſucceſſorem ſibi apud Syracuſanos pronunciat, eumque ad accipiendum ab Archagato exercitum mittit. Archagatus contrà patruum Agatoclem nouum Regem intercipit, trucidat, & in mare abijcit. Agathocles ſenior, cùm dentes venenato ſcalpro, quod ipſi *Manon* ſuppoſuerat, purgaret, inficit veneno gingiuas, & totum os, vndè immenſis doloribus excruciatus, viuus adhuc cremari voluit, cùm regnaſſet annos 28. vixiſſet annos 72. *Manon* verò, qui venenatum ſcalprum Agathocli porrexerat, ad exercitum profugit, vbi receptus Archagatum dolo interficit, & imperij potitus bellum Syracuſanis facere conatur. Syracuſani tyrannis liberati, copias contrà Mænonem educunt. Verùm cùm Carthaginenſes, qui bello ab Agathocle prouocati erant, & claſſem, & exercitum miſiſſent contrà Agathoclem, & Syracuſanos, ipſe ſuis

co-

copijs diffidens ad Carthaginenſes concedit, quorum auxilio Syracuſas redijt. Poſt hæc mercenarij milites apud Syracuſanos acceptis ſtipendijs dimittuntur, qui & ad Meſſanos progreſſi, amicè ſuſcipiuntur, ſed illi inauditâ fraude, nocte inſecutâ hoſpites ſuos Meſſenios omnes ad vnum trucidant, vxoreſque eorundem ducunt, & vrbem Meſſanam Mamertinam appellant, ſeque Mamertinos à Marte. *Diod.Sic.& Iuſtin.*

ANNO M. 3717.

LYSIMACHVS Agathoclis filius, alter ab Agathocle Siciliæ tyranno, VII. Rex Macedoniæ, cùm in Helleſponti,& Cherſoneſi regionibus maximus terræmotus extiterit, tantùm vrbs Lyſimachia, ante duos, & viginti annos à Lyſimacho condita, euerſa eſt: Quod portentum dira Lyſimacho, ſtirpique eius, ac ruinam regni cum clade vexatarum regionum portendebat. Nec oſtentis fides defuit: Nam breui poſt tempore *Agathoclem* filium ſuum, quem in ſucceſſionem regni ordinauerat, per quem multa bella proſperè geſſerat, non ſolùm patrium, verùm etiam humanum vltra morem peroſus, miniſtrâ Arſyrice nouercâ, veneno interficit. Hæc illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit. Nam parricidium principum ſequutæ cædes ſunt, luentium ſupplicia, quod occiſum iuuenem dolebant. Itaque & hi, qui exercitibus præerant, certatim ad *Seleucum* deficiebant, eumque pronum iam ex æmulatione gloriç bellum Lyſimacho inferre compellunt. Vltimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit, & velut ad exemplum fortunæ par reſeruatum. *Lyſimachus* quatuor, & ſeptuaginta annos natus erat. *Seleucus* ſeptem & ſeptuaginta. Sed in hac ætate vtriſque animi iuueniles erant, imperijque cupiditatem inſatiabilem gerebant. Quippè cum orbem terrarum duo ſoli tenerent, anguſtijs ſibimet incluſi videbantur, vitæque finem non annorum ſpatio, ſed imperij terminis metiebantur. In eo bello *Lyſimachus* amiſſis anteà varijs caſibus quindecim liberis, non inſtrenuè moriens, poſtremus domus ſuæ ruinæ cumulus acceſſit. Lætus tantâ victoriâ *Seleucus*, & quod maius victoriâ putabat,

tabat, ſolum ſe de cohorte Alexandri manſiſſe, victoremque extitiſſe, non humanum opus eſſe, ſed diuinum munus gloriatur, ignarus prorſus, non multò poſt fragilitatis humanæ ſe ipſum exemplum futurum. Quippè poſt menſes ſeptem à *Ptolomæo*, cuius ſororem *Lyſimachus* in matrimonium habuerat, per inſidias circumuentus occiditur: Regnumque Macedoniæ, quod Lyſimacho eripuerat, cum vitâ pariter ammittit. Igitur *Ptolomæus* cùm, & in gratiam memoriæ magni Ptolomæi patris, & in fauorem vltionis Lyſimachi ambitioſus apud populares eſſet, primò Lyſimachi filios conciliare ſibi ſtatuit, nuptiaſque Arſinoes ſororis ſuæ matris eorum petit, quas tandem obtinet, ſed paulò poſt Lyſimachi, & Arſinoes iam coniugis liberos, nè regnum Macedonicum aliquando à ſe repeterent, trucidat, & ipſam in Samothraciam relegat. *Iuſtin. l.* 17.

ANNO M. 3723.

PTOLOMAEVS CERAVNVS Aegypti Rex, obuiam Gallis in Macedoniam irrumpentibus, cum exercitu proficiſcens, inito bello vincitur, & trucidatur à Gallis, cùm nouem ferè menſibus regnũ Macedoniæ obtinuiſſet. Succedit ipſi *Meleagros*, qui regnat 60. dies. Indè *Antipater*, qui regnat dies 45. *Euſeb.*

ANNO M. 379.

HELENVS Francorum in Germania Rex, cùm annos quatuordecim regnaſſet, remouetur propter inertiam & luxum à regno, & ſuccedit ipſi *Baſanus*, qui regnat annis 36. Hic filium ſuum *Sedanum* adulterij conuictum, morte mulctauit. *Trithemius.*

ANNO M. 3730.

PYRRHVS Epirotarum Rex, *Aquila* dictus: Vir fortiſſimus, deuictis Gallis, pulcherrima, & ſplendidiſſima ſpolia, in templo Mineruæ Itonidis ſacrauit, cum hoc Epigrammate.

Hæc Pyrrhus Gallis detraxit ſcuta Moloſſus
Suſpendens aris dona Minerua tuis.

K Nec

Nec mirum Antigoni turmas citò terga dediſſe,
Aeacidæ cùm ſint nunc quoque, & ante viri.

Non ſemel ſingulari certamine fortem & magnum ſuum animum demonſtrauit. In primis verò vulneratus in prælio cum Mamertinis, hoſtem magnâ corporis ſtaturâ, à quo fuerat prouocatus proſtrauit. Generoſus enim Rex hanc prouocationem tam ægrè tulit, vt cruore adhuc reſperſus, dolore ſimul ac irâ percitus, truci ac terribili aſpectu in aciem redierit, gigantemque repentè adortus, adeò vehementi ictu eius caput percuſſerit, vt vſque ad infimas partes ferro adacto fruſta fiſſi corporis hinc inde ad terram deciderent. Cùm verò gloriam rerum geſtarum eius creſceret, ipſe imperium orbis affectare cœpit: cùmque Romanos potentes videret, Apollinem Delphicum conſuluit, qui ambiguè reſpondens dixit.

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.

Quo ambiguo reſponſo *Pyrrhus* deluſus, putauit ſe Romanos victurum, ſed ab illis victus eſt. In Siciliâ cùm tantis victorijs elatus, Siculos non eadem humanitate tractaret, & inſuper quoſdam principes viros ſuſpectos haberet & occideret, in odium omnium incurrit, & cateruatim ab eo, & vrbes, & Duces deficiunt. Tandem dum Argos oppugnaret, per proditionem nocte vrbem ingreſſus, vnâ cum Galatis in forum vſque peruenit: quòd ſentientes Argiui, Clypeum, & alia munita vrbis loca ceperunt, Antigonum in vrbem acciuerunt. Tunc Pyrrhus vbi vidit Clypeum hoſtibus armis refertum, & alia eſſe munita vrbis loca, prodigijs quibuſdam territus, retrocedere, & vrbem egredi ſtatuit, ſed cùm anguſtias portarum formidaret, nuntium præmittit ad filium Helenum, qui extrà mænia ſedebat, vt deiectis mænibus aditum ſibi aperiret, ſuoſque tutaretur: filius non rectè accepto nuntio ad opem ferendam vrbem ingreditur, & ita fugientibus ingredientes occurrunt, impediuntque fugam, *Pyrrhus* vbi euadendi difficultatem vidit, in perſequentes hoſtes conuerſus à gregario milite Argiuo haſtâ leuiter percuſſus, equum adegit in illum. Mater eius, quæ fortè deſuper pugnam ſpectabat, cognito filij periculo, tegulam, vel vt alij dicunt, mor-

ta-

tarium de ſpeculis in Pyrrhi caput coniecit; quo ictu moribundus cecidit. Tunc *Zophirus* quidam Antigoni miles cognitum Regem apprehendens, illi caput abſcidit; *Alcyoneus* verò Antigoni filius accurrens, abſciſſum Regis caput ad Patrem cum ſummâ alacritate deportat, pater filium baculo percuſſit, ac à ſe repulit, barbarum, & pollutum appellans. Regis caput & corpus munificè cremauit, *Hellenum* quoque Pyrrhi filium benignè, & humaniter exceptum, cùm eum complexus eſſet, benè ſperare iuſſit, & eum ſtatim in priorem habitum, ornatumque reſtituit, atque in Epirum remiſit, & erga amicos quoque Pyrrhi benignus fuit. *Iuſt.& Plutarch.*

Gabriel Faernus tale de Pyrrho Elogium concinnauit:

Epirus mihi parua quidem, ſed Martia tellus,
Et Patria, & Regnum, & generoſa bellica menti
Materies fuit. Aeacides mihi ſanguinis author;
Et mea cognatum virtus expreſſit Achillem.
Ipſe ego præſcripto docui munimine valli
Metari caſtra, & tutos ad bella receptus.
Romula me pubes certamine fuſa cruento
Italicæ experta eſt ſub mœnibus Heracleæ.
Quo terrore truces animos atque aſpera corda
Fregiſſem Aeneadum, & ſtatuiſſem fœdera victis
Ni pacem infamem, cæci ſententia diſcors
Diſſuaſiſſet, & ad lituos atque arma vocaſſet.
Sic ego re infecta Italo de littore ceſſi,
Quo me ſors grauis atque immitia fata trahebant,
Ad clarum nece noſtra Argos, vbi ſæua cientem
Prælia, ab excelſis vltrix me tegula tectis.
(Indignum) dextra deiecta afflixit anili.

ANNO M. 3732.

ARISTOTIMVS Epirorum vrbem in Peloponneſo per tyrannidem occupat, fauore, & conſilio Antigoni, plurimos ciuium in exilium eijcit, multos trucidat. Aetoli intercedunt apud eum, vt exulibus vxores & liberos reddere velit: ille primùm

Digitized by Google

mùm negat, poſt concedit certo die, ſed eo ipſo die ad portas omnes comprehendit, facultatibus exuit, carceribus mancipat, liberos occidit, virgines ſtuprat. Stupentibus omnibus ad hæc ſcelera, *Hallanicus* ſenex, & liberis orbus, fidiſſimos amicorum conuocatos, in vindictam patriæ hortatur, illis cunctantibus iubet operiri fores, minitaturque ſe tyranno omnia enunciaturum: ita in ancipiti periculo conſultat in tyranni necem, & eum feliciter, quinto menſe, quàm cœperat, opprimunt. *Iuſtin.*

ANNO M. 3736.

HIERO Rex Syracuſanus creatus, contrà Mamertinos bellum gerit: hi quòd ipſis prædictum eſſet ſuum Ducem in caſtris regijs cœnaturum, tanquam de victoriâ certi, acriter prælium ineunt, ſed turpiter vincuntur, & Dux multis vulneribus confectus capitur & in caſtra regia deducitur; vbi quidem cœnat, ſed quòd audiret filium etiam ſuum interfectum, vulnera ſua atrocius diſrumpit, & moritur. *Diod. Sic.*

ANNO M. 3744.

HANNIBAL Dux Carthaginenſis, victus claſſe, ſuperiore anno, Carthaginem reuertitur: Inde in Sardiniam mittitur. *Scipio* conſul ſecutus hoſtem, bellum ex Siciliâ in Corſicam transfert, vbi Hannibalis claſſem ferè totam circumuenit, & perdit, quâ clade Carthaginenſes irritati, eum cruci affigunt, & *Hannonem* in eius locum ſurrogant: qui & ipſe à Scipione victus ſe ſe hoſtibus immiſcet, & trucidatur, ne cladi ſupereſſet cum periculo. *Eutrop. Oroſ.*

ANNO M. 3757.

ANTIOCHVS II. THEOS, filius Antiochi Soteris II. Regis Syriæ. Mater eius fuit *Stratonice*, Demetrij I. Regis Aſiæ minoris filia, & nouercha Antiochi Thei, ex quâ Antiochus Soter hunc filium ſuſcepit. Hic Antiochus cognominatus eſt à Mileſijs *Theos*, hoc eſt, *Deus*, eo quod Lymarchum eorum tyrannum ſuſtuliſſet, vti *Appianus* ſcribit. Duas vxores habuit:

Prior

Prior *Laodice*, ex quâ duos filios ſuſcepit, nempe *Seleucum Callinicum*, & *Antiochum*, cui cognomen fuit *Hierax*. Poſterior fuit *Berenice*, Ptolomæi Philadelphi II. Regis Aegypti filia, quâ ductâ repudiauit Laodicen, & concubinæ tantùm loco habuit. Sed eandem poſt aliquot temporis interuallum, amore victus, cum liberis in regiam dignitatem reducit. Illa verò metuens flexibilem viri animum, & præcauere volens, nè iterum Berenicem ſibi præponeret, maritum ſuum per miniſtros veneno ſuſtulit, *Berenicem* autem vnâ cum filio, qui natus erat ex *Anthioco*, Principibus occidendum tradit, filiumque ſuum maiorem *Seleucum Callinicum*, parentis loco, Regem conſtituit. *Appianus Alexandrinns de Bellis Syriacis. Iuſtin. l. 27.*

ANNO M. 3760.

BASAN Francorum Rex, cùm propè Moguntiam caſtra haberet, Regem *Thabor*, qui in vicinis locis imperabat, interficit, in cuius memoriam caſtrum ibi *Monthabur* ædificauit. *Trith.*

ANNO M. 3761.

AGIS Rex Lacedæmoniorum, Eurytionides, & Eudamidæ filius, cùm Lacedæmonem rediſſet, *Ageſilaus* Ephorus, Spartæ ſeditionem mouet, Leonidem Regem nuper à regno remotum, & Tegeæ exulantem reuocat, qui *Agidem* Regem capit, & per Ephoros eundem vnâ cum Matre, & Auiâ ſuſpendio necat. Huius Regis mortem ſic deſcribit *Plutarchus*: Amphares, Demochares, & Arceſilaus adire ſolebant Agim, & colloqui cum eo, vtpotè familiares. Cùmque *Agis* permaneret in templo, & ſueuiſſet ad balneum per occaſionem deſcendere: ibi eum, vbi templo exceſſit, ſtatuerunt arripere, captatoque articulo, cùm lauiſſet, occurrerunt, & ſalutauerunt eum, comitatique ſunt colloquentes & iocantes ſicut cum familiari, & iuuene. Diuortium obliquum via ad carcerem habebat: ad quod cùm perueniſſent, *Amphares* iure magiſtratus manibus Agidi iniectis, Duco te, inquit, Agi; ad Ephoros, vt rationem reipublicæ geſtæ reddas. *Demochares* autem homo valens, & eminens ſtaturâ, obuoluens collum pallio traxit illum. Alijs ex compoſi-

to

to impellentibus à tergo, & opitulante Agidi in ſolitudine nemine, conijciunt eum in carcerem. Mox adfuit *Leonidas* cum magnâ mercenariorum militum manu, quibus carcerem foris circumfudit. Ephori ad Agim ingreſſi, ſenibus qui eiuſdem erant conſilij accitis, tanquam cum eo acturi iudicio, iuſſerunt eum actionum ſuarum cauſam dicere. Ridente illo ſimulantiam iſtorum, Amphares haud impunè ait laturum, pœnaſque daturum temeritatis. Hic alius Ephorus, tamquam lenior in Agim, & culpæ effugium oſtendens, requiſiuit, patraſſet nè ea Lyſandri, & Ageſilai coactu. Vbi reſpondit Agis coactum à nemine, ſed æmulatione, & exemplo Lygurei eadem perſecutum ſe inſtituta: iterum idem rogauit, Ecquid eum pœniteret factorum: negante iuuene, quamuis extrema pericula antè oculos cerneret, pœnitere optimorum conſiliorum: damnauerunt eum rei capitalis, imperaueruntque lictoribus, vt in Decadem, quam appellant, eum auferrent. Is locus in carcere eſt in quo iudicatos ſtrangulant. Cernens autem miniſtros *Demochares* dubitantes attingere Agim, itemque mercenarios, qui aſſiſtebant, auertentes ſe, & refugientes facinus, vt nefarium & inſolens, vt corpori Regis quis admoueret manus: comminatus iis, & conuitiatus, rapuit Agim ipſe in illam cameram. Iam enim ſenſerant multi comprehenſum, tumultuſque ad fores erat & crebra lumina. Aderant etiam Agidis mater, & auia vociferantes, obſecranteſque vt Rex Spartiatarum audiretur, cauſamque diceret ad populum; vndè potiſſimum necem maturauerunt, veriti ne ſi ſuperueniſſent plures, nocte eriperetur. Igitur progrediens ad locum ſupplicij Agis, vt conſpexit quendam ex miniſtris flentem, & ingemiſcentem; Mitte tu me (inquit) deflere, etenim ego qui ita nefariè, & violenter pereo, præſtantior ſum interfectoribus. Ita fatus, collum vltrò obtulit laqueo. *Amphares* ad ianuam progreſſus, & Ageſiſtratam ad genua ſua ex familiaritate, & amicitiâ prouolutam excitans, nihil, inquit, grauius in Agim, vel atrocius conſuleretur. Iuſſit etiam illam ſi videretur ad filium ingredi: Illâ matrem quoque admitti ſecum precante, Nihil, inquit, vetat, Amphares. Ambas cùm admiſiſſet,

ſet, & iterum claudi præcepiſſet oſtium carceris, priorem *Archidamiam*, iam admodum anum, quæ in ſumma inter ciues dignitate conſenuerat, ad mortem tradidit. Eâ interfectâ, Ageſiſtratam iuſſit introire. Quę ingreſſa, vt filium ſpectauit humi iacentem, & exanimem ex reſti pendentem matrem: ipſa miniſtros addiuuit in eâ detrahendâ, collocatumque iuxtà Agim corpus eius cooperuit, & velauit. In filium ruens, & faciem eius oſculata, Nimia tua, tua te (inquit) fili, modeſtia, lenitas, & humanitas nobiſcum perdidit. Ibi Amphares, qui ex ianuâ ſpeculabatur quid ageretur, & voces excipiebat, irrupit, frendenſque Agiſiſtratæ dixit, ergo ſi filij facta probaſti, eadem quoque ratione in te conſuletur. *Ageſiſtrata* autem ad laqueum exurgens, Tantùm ſint hæc, inquit, ex vſu reipublicæ Spartanæ. Eo facinore inter Ciues enunciato, tribuſque elatis cadaueribus, non fuit metus tantus, quin præſeferrent ciues grauiter iſtis Angi, Leonidamque, & Ampharem deteſtari, nihil atrociùs, vel ſceleſtiùs, ex quo Peloponneſum incoluiſſent Dorij, admiſſum Spartæ exiſtimantes. Quippè Regem Lacedæmoniorum nè hoſtes quidem temerè, cùm occurreret eis in acie, attingebant: ſed deflectebant, verentes, venerantesque eius maieſtatem. Hactenus *Plutarch.*

ANNO M. 3765.

MATHO, & SPENDIVS Mercenariorum Duces Carthaginem obſident, ſed *Amilcar* eos viciſſim omni commeatu prohibet: quapropter obſidio ſoluitur, Amilcar verò ipſis inſiſtens, damna quantum poteſt ipſis infert, captos feris obijcit, & in valle deprehenſos obſidet, & eò cogit, vt fame coacti primùm captiuos, deinde etiam ſeruos deuorarent; ideò Duces ſe ſe dedunt inſcijs militibus, qui Ducibus deſtituti trucidantur, numero ad quadraginta millia. Indè Africas vrbes recipit, & Tunetum, vbi *Matho* alter Dux erat, obſidet. Hic plurima damna eruptione ex Tuneto Amilcarem facit, quapropter Amilcar *Spendium*, & alios Duces Mercenariorum in crucem agit. *Matho* in omnem occaſionem intentus, in Hanni-

nibalis alterius Carthaginenſium Ducis caſtra impetum facit, ipſum ducem cum multis nobilibus capit, & cruci viciſſim affigit, & reliquos trucidat: tandem Amilcar, ſupplemento accepto, Mathonem prælio vincit, & capit cum multis alijs, atque ita hoc crudeliſſimum bellum finitum eſt, cùm duraſſet annos tres, menſes quatuor. *Polyd.l.1.*

Poſt decem annos *Oriſſo* Hiſpaniarum Rex, qui amicus Amilcaris fuerat, dùm hic Hellicen vrbem in Hiſpania obſid et, ille mutato animo, obſeſſis auxilium fert, Amilcarem in fugam auertit, perſequitur, & in flumine excuſſum ab equo, demergit. Succedit Amilcari *Aſdrubal* gener. *Diod.Oroſ.*

ANNO M. 3777.

ARCHIDAMVS Agidis frater, in exilio apud Meſſenios vitam ducens, reuocatur à Cleomene III. Spartanorum Rege. Verùm vbi ſenſerunt id qui Agin antè interfecerant, formidantes ne reuerſo ab exilio Archidamo luerent pœnas, acceperunt illum quidem in ciuitatem clàm ingreſſum, & reditum eius adiuuerunt: ſed illicò interemerunt eum, ſiuè inuito Cleomene, vt opinio eſt Phylarchi, ſiuè expugnato, & condonante illis Archidamum. Poſt hæc Lyſiades Megapolitanus, qui poſitâ tyrannide, & libertate popularibus redditâ, ciuitatem ſuam aſſociauerat Achæis, contrà Cleomenem pugnat, qui immiſit in eum Tarentinos, & Cretenſes, à quibus Lyſiades fortitèr dimicans interfectus eſt. Indè erecti Lacedæmonij, clamore ſublato, impreſſionem dederunt in Achæos; quorum vniuerſum profligauerunt exercitum. Cæſo ingenti numero, reliquos Cleomenes datis inducijs reddidit. Lyſiadis corpus ad ſe præcepit afferri: quod purpura exornatum, iniectâ coronâ, ad portas Megalo-politanorum remiſit. *Plutarch.in Cleom.*

ANNO M. 3778.

SELEVCVS CALLINICVS IV. Rex Syriæ, filius Antiochi Thei, & Laodices, poſtquam Pater eius à Laodice vxore veneno extinctus fuit, regnum occupauit, atque in initio regni

gni *Berenicen* nouercham filiam Ptolomæi Philadelphi, & Ptol. Euergetis, III. Ægypti Regis ſororem, inſtinctu matris Laodices, contrà fidem datam interfecit. Quo immani parricidio, atque ſcelere, ingens malum, & ſibi, & regno attraxit, ſemperque poſtea infelix extitit. Nam Ptolomæo Euergeti bellum inferens, ab eo victus in Antiochiam confugit. Indè ad Antiochum fratrem ſcripſit, eius auxilium implorans, oblatâ ei Aſiâ, inter fines Tauri montis,in prœmium latæ opis. Antiochus autem cùm eſſet annos 14. natus, ſuprà ætatem regni auidus, occaſionem non tam pio animo, quàm offerebatur, arripuit. Sed latronis more, totum fratri eripere cupiens, puer ſceleratam, virilemque ſumit audaciam. Vndè *Hierax* eſt cognominatus, qui non hominis, ſed accipitris ritu, in alienis eripiendis vitam ſectaretur. Intereà Ptolomæus cùm audiſſet Regem Antiochum in auxilium Seleuco venire, nè cum duobus vno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem facit: ſed pace ab hoſte datâ, interpellatur à fratre; qui conducto Gallorum mercenario exercitu, pro auxilio bellum, pro fratre hoſtem ſe imploratus exhibuit. In eo prælio virtute Gallorum victor quidem Antiochus fuit: ſed Galli arbitrantes Seleucum in prælio cecidiſſe, in ipſum Antiochum arma vertunt, liberiùs depopulaturi Aſiam, ſi omnem ſtirpem regiam extinxiſſent. Quòd vbi ſenſit Antiochus, velut à prædonibus auro ſe redimit, ſocietatemque cum mercenarijs ſuis iungit. Intereà Rex Bithyniæ *Eumenes*, ſparſis, conſumptiſque fratribus, bello inteſtinæ diſcordiæ, quaſi vagantem Aſiæ poſſeſſionem inuaſurus,victorem Antiochum,Galloſque aggreditur:nec difficilè ſaucios adhuc ex ſuperiore congreſſione inter,ipſe viribus ſuperat.Eâ namque tempeſtate omnia bella in exitium Aſiæ gerebantur,vti quiſque fortior fuiſſet, Aſiam velut prædam occupabat. *Seleucus*, & *Antiochus* fratres bellum propter Aſiam gerebant. *Ptolomaeus* Rex Ægypti, ſub ſpecie ſororiæ vltionis Aſiæ inhiabat. Hinc Bithynius *Eumenes*, indè Galli Aſiam depopulabantur, cùm intereà nemo defenſor Aſiæ inter tot prædones inueniebatur. Victo Antiocho cùm Eumenes maiorem partem Aſiæ occupaſſet, ne

tunc quidem fratres perdito præmio, propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt, ſed ommiſſo externo hoſte, in mutuum exitium bellum reparant. In eo Antiochus denuò victus, multorum dierum fugâ fatigatus, tandem ad ſocerum ſuū Artamenem, Regem Cappadociæ, prouehitur: A quo cùm primùm benignè ſuſceptus eſſet, interiectis diebus, cognito quòd ſibi inſidiæ pararentur, ſalutem fugâ quæſiuit. Igitur cùm profugonu ſquam locus tutus eſſet, ad Ptolemæum hoſtem, cuius fidem tutiorem, quàm fratris exiſtimabat, decurrit: memor vel quæ facturus fratri eſſet, vel quæ meruiſſet à fratre. Sed Ptolemæus non tam amicus ei deditus, quàm hoſtis factus, ſeruari eum arctiſſimâ cuſtodiâ iubet. Hinc quoque Antiochus operâ cuiuſdam meritricis adiutus, quam familiariùs agnouerat, deceptis cuſtodibus elabitur, fugienſque à latronibus interficitur. *Seleucus* quoque iiſdem fermè diebus, amiſſo regno, equo præcipitatus, moritur. Ita fratres, qui ſimul de regno decertarunt, neuter rectè poſſederat, quaſi germanis caſibus, exules ambo, poſt regna ſcelerum ſuorum pœnas luerunt. *Iuſtin.lib.27.*

GALLI in Hetruriam irruentes, Prætorem Romanum fugant, ſex millibus de eius exercitu trucidatis. Æmilius Conſul, vt Vrbi præſidio eſſet, auxilio Prætori aduenit, & commeatu hoſtes prohibet, ita vt Galli reditum appararent, cùm alter Conſul Atilius exercitum reportat, & Gallis redeuntibus fit obuiam circà Telamonem Hetruriæ: Alter Conſul verò Gallus ſubſequitur, ibi Conſul Atilius dum inconſultiùs pugnat, occiditur. Alter verò nihilominus prælium vrgens, tandem vincit. Periêre Gallorum ad quadraginta millia, & ſimul Rex Gallorum *Concolitanus*. Alter Rex *Aneroeſtus* paucis comitantibus in quendam locum fugâ ſe recepit, & ex deſperatione iugulum ſibi præcidit. *Polyb.lib.2.*

ANNO M. 3781.

GALLI multis cladibus affecti, de pace legatos Romam mittunt, cùm illa intricatior videretur. Conſules conſcripto milite, in Galliam abeunt, vbi Romani Acerras obſident

dent. Indè Gallorum Rex *Viridomarus*, decem millibus militum aſſumptis, regionem circumſpadanam vaſtauit. Quòd vbi perlatum ad Marcellum Conſulem eſt, collega ad Acerras cum peditatu, vniuerſâque graui armaturâ, & tertiâ parte equitum relicto, reliquum equitatum ſecum trahens, & ex peditibus expeditiſſimos quoque ad ſexcentos, nec die, nec nocte, raptim agmine facto, remiſit iter, dum ad hoſtes peruenit iuxtà Claſtidium vicum Galliæ, qui non multò antè in ditionem Romanorum venerat. Nec ſpatium reficiendi milites, vel quietis dandæ habuit. Confeſtim enim ſenſerunt aduentum eius barbari qui iam aderant, contempſeruntque eum, quòd paucos admodum pedites ſecum haberet. Equitatus verò Galli, cùm optimi ſibi equites ſint, eâque re plurimum videantur præſtare, & in præſentia quidem ſuperarent numero quoque Marcellum, nullam rationem duxêre. Ergo protinus ruunt, velut eum conculcaturi, magno impetu, & ſæua minantes. Ante ſigna verſabatur Rex. Hic Marcellus, quia pauci ſui erant, nè circumdarentur, circumfunderenturque ab hoſtibus, alas equitum promouit, atque equo circumuectus extenuauit, produxitque cornu, dum propè hoſtem venit. Ibi dum aciem in hoſtes dirigit, equus eius vlulatis illorum expauefactus, retrocedit, viquе Marcellum auertit. Ille veritus ne ea res permoueret in omen verſa milites, equum properè in ſiniſtram flectit, & ad hoſtes conuertit, Solemque ipſe adorat, vt ſi non caſu, ſed eius rei causâ circumegiſſet equum. Solemne eſt enim Romanis cùm adorant deos, in orbem ſe conuertere. Cùm iam ad manus ventum eſſet, fertur præſtantiſſima hoſtium arma, Ioui Feretrio vouiſſe. Ibi Gallorum Rex conſpicit Marcellum, & ab inſignibus conijciens Ducem eſſe, longè ante aciem prouectus eſt, ſimulque altâ voce laceſſans eum, & haſtam vibrans, admittit infeſtus in eum equum, proceritate inter Gallos exuperans, armiſque ex auro, & argento fabrefactis, & variâ picturatis tincturâ, inſtar fulguris inſignis radiantis. Quæ arma luſtranti oculis aciem Marçello, vt viſa ſunt præcellentiſſima, eaque votis ſe ſacraſſe dijs exiſtimans, in Regem impetum dedit, thoracemque eius haſtâ tranſ-

fixit, tum libramento equi premens in terram pręcipitauit eum, alterum deindè, ac tertium repetens ictum occidit. Mox deſilijt ex equo, iniectâque mortui armis manu, ſuſpiciens in cœlum ita fatur, *Arbiter inſignium factorum ducum, & actuum imperatorem in bello, atque prælijs, Iupiter Feretrie, te teſte dux ducem, Conſul Regem manu mea tertius ego hunc confoſſum interfeci: tibi conſecro prima, & præſtantiſſima ex ſpolijs: Tu ad reliquias belli pergentibus: eundem tribue fortunæ curſum*: Hinc concurrunt equites non cum ſolis ſeorſum equitibus, ſed cum inferentibus ſe ſimul peditibus quoquè confligunt, referuntque ſingularem victoriam, & inſuper *Mediolanum* capiunt. *Plutarch. Polyb. & Oroſ.*

ANNO M. 3782.

PTOLOMÆVS III. Rex Ægypti, cognomento dictus *Euergetes* à maximis ſuis in ſubditos meritis. Eius Pater fuit *Ptolomæus Philadelphus*; Mater verò *Arſinoe*, quæ Ptolemæi Philadelphi ſoror, & vxor fuit. Ex hiſce parentibus *Euergetes* natus eſt, qui poſtquam annos 25. regnaſſet à filio ſuo Ptolemæo Philopatore veneno ſublatus fuit.

ASDRVBAL Carthaginenſium Dux occiditur in Hiſpaniâ à quodam ſeruo Hiſpano, ob iram interfecti Domini ſui ab *Aſdrubale*: indè deprehenſus, lętitiâ perpetratæ rei ſuperante omnes dolores, tormenta fortiſſimè, etiam ridentis ſpecie ſuſtinuit: ſuccedit Aſdrubali *Hanibal* filius Amilcaris 25. annos natus. *Liuius, & Polyb.*

SELEVCVS CERAVNVS V. Rex Syriæ filius Seleuci Callinici, qui nouercam ſuam *Laodicen*, filiam Ptolemæi Philadelphi, & ſororem Ptolemæi Euergetis Ægypti Regum, nefariè occiderat. *Ceraunus* dictus eſt, hoc eſt *Fulmineus*, quòd audaci, & feroci ingenio præditus, videretur eſſe quaſi fulmen. Frater eius fuit *Antiochus* cognomento *Magnus*. Hic Seleucus Ceraunus, cùm pater ipſius Seleucus Callinicus de equo præcipitatus, & mortuus eſſet, ei ſtatim in regno ſucceſſit. Verùm cùm *Attalus* Rex Pergami, Aſiam vniuerſam occuparet, Seleucus Ceraunus exercitum comparat contrà eum, & Taurum montem

cum

cum Achæo cognato tranſcendit contra Attalum, vbi Seleucus dolo Gallorum occiditur: *Acchæus* verò hoſce parricidas trucidare iubet, & fratrem Seleuci *Antiochum* Regem creat, qui regnat annis 36. cùm Seleucus vix tribus annis præfuiſſet. *Polybius lib.2.*

BASSANVS Francorum Rex euaneſcit, vt aiunt, vel potius à diabolo ablatus eſt, cùm annis 36. Francis, vel Sicambris præfuiſſet. Succedit filius *Clodomirus* annis 18. qui ſtatim Gallos in initio regni quod Moſam fluuium tranſgreſſi eſſent, magno prælio ex inſidijs vincit. *Trith. in compend.*

ANNO M. 3783.

MOLO Præfectus Mediæ, ſuperiore anno ab Antiocho poſt mortem Seleuci defecerat. Ideò *Antiochus* ſuis præfectis, vt eum bello perſequerentur, auxilia miſerat, ſed *Xenatas* Dux cùm Molonem viciſſet, victoriam non perſequitur, ſed conuiuia agitat, ideò à Molone nocte intempeſtâ, trucidatur cum omnibus ſuis. Poſt hæc Antiochus ipſe contra Molonem exercitum ducit, eumque vincit. Molo verò ſuorum transfugia animaduertens, cùm propè iam vndique cingeretur, animo reputans cruciatus, ac tormenta ſibi parata ſi viuus in hoſtium poteſtatem veniret, manus ſibi ipſi intulit: pariterque omnes, qui participes coniurationis fuerant, domum ſuam quiſque concedunt, ibique ſimilem exitum faciunt. *Neolas* quoque vbi pugnâ euaſit, & in Perſidem ad Alexandrum Molonis fratrem peruenit, matrem, & Molonis liberos obtruncat: deindè ſuper mortuorum cadaueribus ipſe ſe iugulat, poſtquam Alexandro perſuaſiſſet, vt ipſe quoque idem faceret. *Antiochus* verò direptis hoſtium caſtris, Molonis corpus loco totius Mediæ maximè conſpicuo iuſſit in crucem tolli, ac ſine morâ, quibus id negotium datum, rem ſunt exſecuti, delatum namque cadauer in Chalonitidem regionem, eo loci in adſcenſu Zagri montis, cruci affixerunt. *Polyb.l.5.*

AN-

ANNO M. 3789.

PHILIPPVS Rex Macedoniæ Demetrij II. filius in Poloponneſum à Meſſenijs accitus, cùm ſeditione laboraret, vtrique parti faces addit, efficitque vt vulgus Senatum, & Principes aliarum ciuitatum ducentos trucidaret. *Aratus* ſenior Prætor in Achaiâ acerbè in Regem inuectus eſt, propter hoc atrox facinus, quem Rex non multò poſt operâ vſus Faurionis, qui res illius in Peloponneſo adminiſtrabat, veneno ſuſtulit. Ac principio quidem ignota cæteris res fuit: neque enim ea vis erat pharmaci, vt in ipſo ſtatim articulo necaret: ſed morâ temporis corporis valetudinem afficiebat; ipſum verò Aratum non latebat malum, quod hoc modo palam eſt factum. Is omnes alios rem celans, apud vnum è famulis Cephalonem, quia familiaritèr eo vtebatur, linguam non tenuit, ſed cùm ægrotanti ſibi ille adeſſet, aſſiduam, & diligentem operam nauans, atque ij vnum è ſputis, quibus paries erat conſputus, ſanguine mixtum eſſe obſeruaſſet, Hæc ne præmia, o Cephalo, inquit Aratus, amicitiæ noſtræ ergà Philippum retulimus. Adeò magna, & præclara res eſt, animi moderatio: vt eum qui acceperat iniuriam potius quàm auctorem iniuriæ, facti puderet: quòd poſt tantarumque rerum conſilia cum Philippo conſociata, & magno quidem eius bono, hoc ipſe demum beneuolentiæ ſuæ præmium ferret. *Polyb. l. 8.*

HIERONYMVS Hieronis nepos, nouus Syracuſanorum Rex, à ſuis interficitur, de quo ſic *T. Liuius* ſcribit: *Hieronymus* legatos Carthaginem mittit, ad fœdus ex ſocietate cum Annibale faciendum. Pacto conuenit, vt cùm Romanos Siciliâ expuliſſent (id autem breui fore, ſi naues, atque exercitum miſiſſent) Himera amnis, qui fermè inſulam diuidit, finis regni Syracuſani, ac Punici imperij eſſet. Aliam deindè inflatus aſſentationibus eorum, qui eum non Hieronis tantùm, ſed Pyrri etiam Regis materni aui iubebant meminiſſe, legationem miſit: quia æquum cenſebat Siciliam ſibi omnem cedi: Italiæ imperium proprium quæri Carthaginenſi populo. Hanc leuitatem,

&

Digitized by Google

& iactationem animi neque mirabantur in iuuene furioſo, neque arguebant; dummodò auerterent eum à Romanis. Sed omnia in eo præcipitia ad exitium fuerunt. Nam cùm præmiſſis Hippocrate, atque Epycide cum binis militibus armatorum ad tentandas vrbes, quæ præſidijs tenebantur Romanis, & ipſe in Leontinos cum cætero omni exercitu (erant autem ad quindecim millia peditum equitumque) profectus eſſet; liberas ædes coniurati (& omnes fortè militabant) imminentes viæ anguſtæ, quà deſcendere ad forum Rex ſolebat, ſumpſerunt: ibi, cùm inſtructi, armatique cæteri tranſitum expectantes, ſtarent, vni ex is (Dinomeni fuit nomen) quia cuſtos corporis erat, partes datæ ſunt, vt cùm appropinquaret ianuæ Rex, per cauſam aliquam in anguſtijs ſuſtineret ab tergo agmen. Ita, vt conuenerat, factum eſt, tamquam laxaret elatum pedem ab ſtricto nodo, moratus turbam Dinomenes, tantum interualli fecit, vt cùm in prætereuntem ſinè armis Regem impetus fieret, confoderetur aliquot prius vulneribus quàm ſuccurri poſſet. Clamore, & tumultu audito, in Dinomenem iam haud dubiè obſtantem tela conijciuntur: per quæ tamen duobus acceptis vulneribus euaſit. Fuga ſatellitum vt iacentem vidêre Regem facta eſt; interfectorum pars in forum ad multitudinem lætam libertate; pars Syracuſas pergunt ad præoccupanda Andranodori, regiorumque aliorum conſilia. Hactenus *Liuius.*

ANNO M. 3790.

ACHÆVS Andromachi filius, fratris Laodicæ, quæ Seleuco nupſit: vxorem Laodicen Mithridatis Regis filiam duxit, vniuerſamque cis Taurum Aſiam imperio ſuo rexit. Poſt captas Sardes arci incluſus, nullam rationem euadendi videt; quapropter ex Ægypto à Rege Ptolemæo ipſi mittitur *Bolis* quidam Cretenſis, qui eum quidem ex arce deducit, ſed eundem Antiocho prodit, cùmque ipſius copiæ, & hoſtiles in munitiſſimo orbis terrarum loco ipſum verſari exiſtimarent, vinculis oneratus humi ſedebat in manu inimicorum poſitus: nemine præter facti auctores quod erat factum re ſciente. Primâ luce conuenien-

nientibus, vt fit; in Prætorium Regis amicis, ante omnium oculos poſito hocce ſpectaculo, idem alijs quoque ac Regis vſuueniebat. Ea namque cunctos inceſſit admiratio, vt quæ ſuismet oculis cernebant, ſatis vera non crederent. Poſtquam in Concilio proceres ſederunt, varię de ſupplicio illius dictę fuerunt ſententię, demum placuit, primùm vt extremis membris *Achæus* mutilaretur; deindè vt poſt caput amputatum atque vtri aſinino inſutum, truncus in crucem tolleretur. Quo facto, vbi rem exercitus reſciuit, adeò caſtra vniuerſa fanaticus quidam furor, & animorum conſternatio inceſſit, vt Laodice in arce, cui hoc dumtaxat innotuerat, maritum exijſſe, caſum illius è tumultu ac motu caſtrenſi conijceret: mox venit caduceator ad Laodicen, eorum quæ Achæo acciderant, nuntius, ſimul iubens, vt curâ rerum ſe abdicaret, atque arce traderet; tum verò qui in arce erant, pro reſponſo eiulatum primò & lamenta vix fidem inuentura edere incipiunt: non adeò quòd tantoperè Achæo factum nollent: ſed quòd noua, atque admirabilis planèque inopinata ea res cunctis accidebat; deinde autem conſilij inopes magnâ difficultate qui arcem tenebant, afficiebantur. At Rex poſt ſublatum de medio Achæum, ad perniciem incluſorum in arce intentus, nihil dubitare quin ab illis ipſis maximè autem per milites, aliqua rei benè gerendæ occaſio ſibi daretur, quòd & tandem accidit: quippè ortâ inter ipſos ſeditione, ſciſſi ſunt in partes; alijs cum Ariobazo, alijs cum Laodice ſentientibus. Quam ob cauſam dum ſibi inuicem diffidunt, celeritèr vtraque factio, & ſe & arces fidei Regis, permiſerunt. Ita Achæus cùm nihil eorum prætermiſiſſet quæ ratio recta ſuadebat, illorum perfidiâ victus quibus fidem habuerat, diem ſupremum cum cruciatu obijt: exemplum poſteris, duobus modis vtile: primùm vt nemini temerè eſſe credendum diſcamus; deindè ne rebus lætis ſpiritum attollamus, ſed vt homines humani nihil alienum à nobis putemus. *Polyb. lib. 8.*

AN-

Digitized by Google

ANNO M. 3795.

MACHANIDAS Lacedæmoniorum Tyrannus reuertens ad Mantineam, à *Philopœmene* occiditur, de quo hæc refert *Polyb.* Machanidas ab inſectatione fugientium reuertens, ſuos conſpicatus in fugam auerſos, errore animaduerſo, quod longius eſſet progreſſus, eamque ob rem ſpe vniuerſæ victoriæ depulſus; peregrinis quos ſecum habebat in cuneum ſtatim coactis, per medios hoſtes qui ſolutis ordinibus fugientes perſequebantur, manu factâ euadere eſt conatus: atque hoc conſilium nonnulli intelligentes, cum ipſo primum manſerunt, eâ ſpe ſalutis freti, qui vt propiùs ventum ad pontem foſſę impoſitum, conſpectis Achæis, qui illum ſeruabant, animum omnes deſpondere, Machanidâ relicto dilabi, & ſuæ quiſque ſaluti priuatim conſulere cœperunt. Eo tempore tyrannus deſperato per pontem tranſitu, foſſam obequitans, commodum ad tranſeundum locum magno quærebat opere. *Philopoœmen* vbi à paludamento purpureo, & equi ornatu Machanidam agnouit, Anaxidamo ad pontis cuſtodiam relicto, eoque multis monito, vt commiſſam ſtationem diligenter tueretur, neque vlli mercenariorum parceret, quando horum ſemper ope, & præſidio Tyranni Lacedæmone rerum ſummam obtinerent: ipſe cum Polyeno Cypariſſenſi, & Simiâ, quibus tunc familiariter vtebatur, in aduerſam prorumpens ripam, tyrannum in alterâ ripâ è regione obequitantem arcere, & indè expellere inſiſtit, & ſimul eius comites, duo autem fuêre, qui ſe illi coniunxerant, Anzidamus, & Mercenariorum aliquis. Statim vt *Machanidas* locum nactus facilem ad tranſeundum foſſam, calcaribus admotis equũ magnâ vi impulit, conuerſus in eum *Philopœmen*, & traijcientem pugnam aggreſſus, poſt illatum mucrone haſtæ vulnus, mox eadem verſâ ictum cuſpide repetens, in ipſo diſcrimine tyrannum interemit.

M AN-

ANNO M. 3799.

PTOLEMÆVS PHILOPATOR filius Ptolemæi Euergetis IV. Regis Ægypti, & Cleopatræ, cuius frater fuit Maga. Dictus eſt *Philopator* per ironiam vel antiphraſin, quia patrem ſuum *Ptolemæum Euergetem* veneno ſuſtulit, matrem *Cleopatram*, & germanum ſuum *Magam*, vnâ cum alijs fratribus, diſſuadente Soſibio, trucidauit. Ab horum cæde regnum auſpicatus eſt. Vndè quale fuit regni eius initium, talis quoque progreſſus, & egreſſus fuit. Inceſtuoſus, voluptuoſus, atque otioſus extitit. Nam *Arſinoen*, vel *Euridicen* (vti *Iuſtinus* eam nominat) ſororem ſuam duxit vxorem, cumque eâ in inceſtu vixit. Bellum geſſit cum *Antiocho Magno* VI. Rege Syriæ, eumque vicit. Ideò tantâ victoriâ de Antiocho reportatâ elatus, voluptati, & crudelitati ſe mancipauit, vxoremque ſuam *Auridicen* occidit propter ſcortum *Agathocleam*, cui imperium reliquit. Verùm illa à populo tumultuante occiditur: ipſe verò voluptatibus exhauſtus, mortuus eſt cùm annos ſeptemdecim regnaſſet, non ſine veneni ſuſpicione. Succedit *Ptolemæus Epiphanes*, qui regnat annis 24. relinquens poſt ſe duos filios, nempè *Ptolemæum Philometorem*, & *Ptolemæum Phyſconem*, de quibus infra.

ANNO M. 3800.

SYPHAX Numidiæ Rex opulentiſſimus fuit, quem ſecundo Punico bello Scipio deuicit, & in triumphum duxit. Fuit autem in Numidiâ tantæ potentiæ, vt eius amicitiam, & ſocietatem Romani pariter & Carthaginenſes ſummo ſtudio conquiſierint, vt in eo bello maximum ad victoriam momentum eſſe videretur, quibus ille ſe adiunxiſſet. Itaque tantum eius maieſtati duo potentiſſimi in terris populi tribuerunt, Romanus, & Carthaginenſis, vt vno tempore, & Scipio Imperator ad amicitiam eius petendam, relictâ prouinciâ Hiſpanicâ, exercituque, cum duabus quinquiremibus in Africam traiecerit, & *Haſdrubal* Pœnorum Dux non ipſe modo ad eum venerit, ſed filiam quoque ei nuptum dederit; quibus nuptijs à Romanâ ſocietate de-

defecit, & Carthaginenſium arma ſecutus, breui tempore à Lælio, & Maſiniſſa captus ad Scipionem catenatus ductus eſt, quem Scipio deuictis Carthaginenſibus poſteà duxit in triumphum. Vndè *Iuuenalis in Satyra 6.* dicit:

Tolle tuum precor, Annibalem, victumque Syphacem
In caſtris, & cum tota Carthagine migra.

Hunc igitur *Syphacem* à Scipione victum, & captiuum Romam miſſum, Tyburi in cuſtodiâ habendum Senatu, curauit, ibique mortuum, publico, & regio funere efferendum cenſuit. *Ohuerius.*

ANNO M. 3810.

NABIS Lacedęmoniorũ tyrannus crudeliſſimus, machinam quandam ad tollendos homines adinuenit, quam ſic deſcribit *Polyb.* Simulacrum muliebre erat pretioſis veſtibus adornatum; formæ ſimilitudine Nabidis vxorem arte eximiâ referens. Quoties ciuium aliquos tyrannus ad ſe vocabat, vt pecunijs eos emungeret, principio longâ oratione, eâque perbenignâ ipſos compellebat; periculum, quod regioni, & vrbi etiam ab Achæis imminebat, ipſis ob oculos ponebat, quantum ſtipendiariorum numerum ſalutis ipſorum cauſa aleret, ſignificabat, quantos in ſacris procurandis, aut publicis negotijs ſumptus faceret. Eiuſmodi ſermonibus ſi qui audiebant commouerentur, ad deſignata exequenda hoc illi ſatis erat; ſin aliqui eſſent, qui pecunias pendere recuſantes, iuſſa capeſſere detrectarent, in hæc tum verba tyrannus erumpebat: Equidem fortaſſe, quod cupio perſuadere tibi non valeo: Apegam verò hanc (id nomen Nabidis coniux habebat) puto tibi perſuaſuram. Simul hæc ille dicebat, & ſtatim aderat ſimulacrum, de quo ſumus locuti: tum autem tyrannus vbi è ſede ſuâ mulierem excitaſſet, per ſpeciem comitatis dexteram prehendens, vtrâque manu collocutorem amplectebatur, ac paulatim ad pectus admouebat (erant autem illi cubiti, & brachia ferreis clauis plena, quos veſtis occultabat, ſimiliter etiam in mammis infixos habuit clauos) Quando igitur brachia impreſſerat in dorſo mulieris, mox organis quibuſ-

Digitized by Google

buſdam attractum intendebat, & paulatim ad mammas adducens, eum qui premebatur omnis generis vocis cogebat edere. Atque hoc modo multos eorum ſuſtulit, qui pecunias dare recuſabant. Tandem & ipſe tyrannus ad Ætolis interfectus eſt. *Polyb.& Liu.*

ANNO M. 3814.

ANTIOCHVS III. Rex Syriæ, à rerum geſtarum magnitudine, cognomento *Magnus*, filius Seleuci Callinici, cùm graui tributo pacis à Romanis premeretur; & victus oneratuſque eſſet, ſeu inopiâ pecuniæ compulſus, ſeu auaritiæ ſollicitatus, quâ ſperabat ſe ſub ſpecie tributariæ neceſſitatis excuſatiùs ſacrilegia commiſſurum, adhibito exercitu, nocte templum Dodonæi Iouis aggreditur. Quâ re proditâ, concurſu incolarum, cum omni militiâ interficitur, cùm annos 36. regnaſſet. Habuit tres filios, nempè *Seleucum Philopatorem*, *Antiochũ Epiphanem*, *& Demetrium*. Succedit in regno *Seleucus*, qui regnat annis 12. *Iuſtin. Polyb. Strabo, Appian. de bellis Syr.*

ANNO M. 3817.

PHILOPOEMENES Achæorum Imperator capitur, dum inter Meſſenios, & Achæos de principatu contentio, & bellum ortum eſſet: non quia pugnando vitæ parceret, ſed dum ſuos in prælium reuocat, in tranſitum foſſæ equo præcipitatus, à multitudine hoſtium oppreſſus eſt. Quem iacentem Meſſenij, ſeu metu virtutis, vel verecundiâ dignitatis, interficere auſi non fuerunt. Itaque velut in illo omne bellum confeciſſent, captiuũ per vniuerſam ciuitatem, in modum triumphi circumduxerunt, effuſo obuiam populo, ac ſi ſuus, non hoſtium Imperator aduentaret: nec victorem Achæi auidiùs vidiſſent, quàm victum hoſtem viderunt. Igitur eundem in theatrum duci iuſſerunt, vt omnes contuerentur, quem potuiſſe capi incredibile ſingulis videbatur. Deindè in carcerem deducto, verecundiâ magnitudinis eius, venenum ei dederunt: quod ille lætus ac ſi viciſſet accepit, quæſito prius an *Lycortas* præfectus Achæorum, quem ſe-

ſecundum à ſe eſſe ſcientiâ rei militaris ſciebat, incolumis effugiſſet: Quem vt accepit euaſiſſe,non in totum dicens conſultum malè Achæis, expirauit. Nec multo poſt, reparato bello, Meſſenij vincuntur, pœnaſque interſecti Philopœmenis perpenderunt. *Iuſtin.Liu.Plutarch.*

EVMENES Rex Aſiæ bellum gerit cum Pruſiâ Bythinię Rege, qui cùm terreſtri bello ab Eumene victus eſſet, prælìumque in mare tranſtuliſſet, *Annibal* nouo ſtratagemate bellico auctor victorię contrà Eumenem fuit. Nam omnium ſerpentium genus in fictiles lagenas conijci iuſſit, medioque prælio in naues hoſtium mittit. Id primum Ponticis ridiculum viſum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed vbi ſerpentes replere naues cœpêre,ancipiti periculo circumuenti, hoſti victoriam ceſsêre. Quæ vbi Romæ nunciata ſunt,miſſi à Senatu ſunt legati, qui vtrumque Regem in pacem cogerent,Annibalemque depoſcerent. Sed Annibal re cognitâ, ſumpto veneno, legationem morte præuenit. Inſignis hic annus fuit (inquit *Iuſtin.*) trium toto orbe maximorum Imperatorum mortibus, *Annibalis, Philopœmenis, & Scipionis Affricani*.

ANNO M. 3822.

DEMETRIVS filius Philippi Regis Macedoniæ, à Perſeo fratre eius fictis litteris ſuſpectus redditur apud patrem, quaſi ipſe regnum affectaret; Ideòque à patre irato Demetrius inſons iuſſus eſt interfici. Verùm pater paulò poſt innocentiâ eius cognitâ,tantum animo dolorem concepit, vt morbo ex animi ægritudine contracto miſerè periret; Græciæ turbator, regni Macedonici euerſor, & ſuæ ſtirpis extinctor. Succedit *Perſeus* eius filius nothus. *Liuius*.

ANNO M. 3826.

SELEVCVS PHILOPATOR VII. Rex Syriæ filius primogenitus Antiochi Magni, nihil Rege dignum geſſit, ſed exactionibus, & expilationibus miſeros ſubditos exhauſit. *Heliodorum* Quæſtorem ſuum ad rapiendos templi theſauros, Ieroſo-

lymam

lymam cum poteſtate ablegauit. Quæ res peſſimè ceſſit tum Quæſtori, tum ipſi Regi. Cùm enim Heliodorus in vrbem ſacram agmine ſtipatus militari veniret, vt theſauros templi in gazophylacio depoſitos auferret, à Deo mirabili terretur viſione. Viſus eſt enim Eques armatus prioribus in eum pedibus inſilire, iuxta quem bini erant Satellites robuſti, & veſte ſplendidâ fulgentes, eum verberibus continuis ad terram ſtrauerunt, vt lecticâ è templo efferretur ſemiuiuus. Hunc Quæſtorem *Onias* ſummus Sacerdos cognomento *Pius* precibus ſuis ſeruauit, ne qua doli, aut fraudis ſuſpicio Regi oboriretur. Monitus ab iiſdem iuuenibus eſt *Heliodorus*, qui illum verberibus mulctarant, vt gloriam Dei paſſim prędicaret, quòd ille votis nuncupatis fecit, & quæ ſibi contigerant, hoſtibus Regis eſt imprecatus. *II. Macc.* 3. Poſt hæc *Seleucus*, veneno ex inſidijs ei ab Heliodoro propinato in gratiam *Antiochi Epiphanis*, interijt.

ANNO M. 3833.

PERSEVS Philippi II. penultimi Macedoniæ Regis filius naturalis, fraude ad regnum peruenit, & quod ſcelere acquiſierat, ſcelleratè quoque varijs vitijs coopertus adminiſtrauit. Cũ enim familiarum illuſtrium, & inſontium cæde delectaretur, & ambitione atque elatione animi turgidus omnes contemneret, accedente quoque auaritiâ, crudelis, & præceps, in omnes nece i ſanum, nec prudens poſtea quiſquam fuit. Senatus Romanus huic Perſeo regnũ initio confirmauit, cum legatos Romã mitteret, per quos regni confirmationem petijt: ſed cùm Romanis ſe opponeret, illi Conſulem *Paulum Aemilium* Ducem belli creant, qui Macedones vicit, & Perſeum cum filijs, *Alexandro*, & *Philippo* in pugnâ ad Pidnam captum, Romam ad triumphum duxit. Hac pugnâ regnum Macedoniæ translatum eſt ad Romanos. Poſt triumphum in teterrimo carcere detentus fuit, hoc conſilio, vt mortem conſciſceret. Indè admonitus Senatus, vt in mitiorem carcerem deduceretur, ibi biennio detẽtus fuit, donec carceris cuſtodes offendiſſet, qui ipſum ſomno prohibuerunt, indè poſt aliquot dies miſerabiliter perijt. Certa fama eſt inediâ mortuum.

tuum. *Plutarchus* ait illud etiam vulgatum fuiſſe, à militibus cuſtodibus in ſomnia necatum. Quòd & Salluſtius ſcripſit in Hiſt.orat.Mithridatis: *Perſen deindè Philippi filium, poſt multa, & varia certamina apud Samothracas Deos acceptum in fidem, callidi repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant in ſomnia occidere*. Regnauit annos 11. & cum eo regnum Macedonicum finitum eſt. *Liu. Plutarch. Diod. Sic. Val. Max.*

ANNO M. 3839.

ANTIOCHVS EPIPHANES VIII. Rex Syriæ, Antiochi M. filius, & Seleuci Philopatoris frater fuit, cui etiam ex inſidijs per Heliodorum Quæſtorem interfecto, in regno ſucceſſit. Hic mandauerat Lyſiæ, vt Iudæos debellaret, omnes eos ſub haſtâ venderet, & nouos colonos in Iudæam traduceret: Ideo Lyſias mittit exercitum quadraginta millium contra Iudam Maccabæum ſub tribus Ducibus, ex quibus Gorgias Maccabæi caſtra noctu inuadere conatur, ſed re per exploratores cognitâ, Iudas eorum conatus retorquet, & ſub diluculo hoſtium caſtra, cùm pars exercitus abeſſet, inuadit, capit, & hoſtes fugat; quo viſo Gorgias etiam in tutiora loca ſe recipit, & Maccabæus multis ſpolijs potitur. Lyſias poſt cladem acceptam exercitum reparat, maiorique conatu rem aggreditur, mittitque exercitum ſexaginta millium. Iudas verò & ſui ad bellum ſe parant, maximè operibus pœnitentiæ, & oratione ad Deum, qui exaudiuit eos dans illis victoriam; ideò collectis decem millibus militum, fortiter hoſtium exercitum aggreditur, & quinque millia ex eis trucidat. Eodem tempore *Antiochus* inhoneſtè reuertebatur de Perſide, & dum Iudæos ad internecionem perdere meditabatur, Ieroſolymamque vrbem facturum commune totius gentis ſepulcrum minabatur, in itinere curru excuſſus morbo fœdiſſimo afflictus eſt, vermibus tanto fœtore è corpore erumpentibus, vt nemo ſeruorum eum ferre poſſet. Simulatam agens pœnitentiam multa Iudæis incredibilia promittit, & tanto cruciatu animi atque corporis conſumitur, vt nihil cogitari, atque dici poſſit ærumnoſius. *I. & II. Macc.*

AN-

ANNO M. 3842.

ANTIOCHVS EVPATOR, mortuo Patre Antiocho Epiphane, operâ *Lyſiæ* tutoris, & educatoris ſui, ad regnum Syriæ peruenit. Accepto regno, bellum Iudęis infert, tantis viribus, quantis antè hac nemo Regum Syrię fecerat. Nam numerus exercitus eius erat 10000. peditum. & 20000. equitum, & elephanti 32. docti ad pręlium, cum hoc exercitu profectus eſt per Idumęam, & obſidione cinxit Bethſuram *1. Mach.6.* Cùmque ex Lyſia Duce ſuo cognouiſſet, *Menelaum* Apoſtatam omnium turbarum, & totius belli authorem eſſe, eum ſecum abduxit Beream in Syriam, ibique eum interfecit, cùm iam decennio Sacerdotio functus fuiſſet. *II. Macc.*13. Denique *ad Demetrium Soterem*, & exercitus, & Principes in Syriâ concedunt, qui Lyſiam cum Eupatore captos ipſi tradunt, quos iuſſit, priuſquam in conſpectum venirent, occidi, atque ita planè regno potitur. *Demetrius*.

ANNO M. 3843.

NICANOR Demetrij Regis Dux, contra Iudam Maccabęum mittitur, pręlio cum ipſo congreditur, vincitur, & occiditur. *Ioſeph.lib.*12.

ANNO M. 3851.

DEMETRIVS SOTER X. Rex Syrię, Seleuci Philopatoris VII. Regis Syrię filius, partim per aſtutiam, partim per violentiam regnum occupauit. Inſtinctu Alcimi transfugę, & proditoris, bellum contra Iudęos geſſit, primò per *Nicanorem* quem cùm cognouiſſet cęſum à Iudâ Maccabęo, miſit Bacchidem, & Alcimum cum ſelectiſſimo exercitu, qui cum Iudâ congrediuntur, in quo conflictu Iudas fortitèr pugnans occubuit. 1. *Macc.*9. Poſt hęc *Alexander* Antiochi *Nobilis* filius, pro Antiocho Epiphanis filio ſe ſe venditans, Ptolęmaidem Phęnicię vrbem occupauit, contractoque exercitu & auxilijs à vicinis Regibus, cum Demetrio pugnat; eumque magno pręlio vincit. Deme-

metrius cùm fortiter pugnaret, vi hoſtium in cœnum quoddam profundum, & limoſum ſeceſſit, vbi prolapſo equo iaculis eminus ab hoſtibus confixus eſt, cùm regnaſſet annos decem. Succedit *Alexander*, qui ducit vxorem Cleopatram Ptolomæi Philometoris Regis Aegypti filiam.

ANNO M. 3855.

PRVSIAS Rex Bithyniȩ, conſilium capit interficiendi Nicomedis filium, dum conſulere ſtudet minoribus filijs quos ex Nouercâ eius ſuſceperat, & Romȩ habebat. Sed res adoleſcenti ab his, qui facinus ſuſceperant, proditur: hortatique ſunt, vt crudelitate patris prouocatus, occupet inſidias, & in authorem retorqueat ſcelus; nec difficilis perſuaſio fuit. Igitur cùm accitus in patris regnum veniſſet, ſtatim Rex appellatur. Pruſias regno ſpoliatus à filio, priuatuſque redditur, & etiam à ſeruis deſeritur: & cùm in latebris ageret, non minori ſcelere, quàm filium occidi iuſſerat, à filio interficitur. *Iuſtin.*

ANNO M. 3856.

CLODIVS Sicambrorum, ſiuè Francorum Rex, cùm vndecim annos regnaſſet, occiditur in prȩlio à Gallis, qui *Moſam* tranſierant; ſuccedit filius *Antenor* qui annis 16. regnauit, & prohibuit humanas victimas fieri, Sicambroſque erudiuit ad humanitatem. *Trith.*

ANNO M. 3857.

CRITOLAVS Achȩorum Dux, victus à Metello, qui ex Macedoniâ in Græciam venerat, vt motus Lacedȩmoniorum & Achȩorum compeſceret, rebus deſperatis mortem ſibi conſciſcit. Eo mortuo, Achȩi *Diæum* Prȩtorem faciunt, qui vocatis ſeruis ad Pileum, & contractis vndique copijs, equites ſexcentum tantùm conficit, peditum quatuordecim, auſuſque pugnare vincitur, & fugiens, Megalopolim vxorem & liberos interficit, & ipſe venenum haurit. *Mummius* verò Conſul Corinthum ingreſſus, vrbem ſpoliat, & incendit. Viros omnes ibi

N tru-

trucidat, fœminas, & pueros vendit, reliquas vrbes mænibus nudat, & ciuibus arma adimit. Diruta autem eſt Corinthus, cùm ſtetiſſet annis nongentis nonaginta quinque. *Epit. Liu.*

ANNO M. 3858.

PTOLEMÆVS Philometor VI. Rex Aegypti, filius Ptolemęi Epiphanis, cui mortuo in regno ſucceſſit. Mater eius fuit Cleopatra Antiochi Magni Regis Syriæ filia. Dictus eſt hic Ptolemæus cognomento *Philometor*, quia matrem ſuam Cleopatram in vxorem duxit, ex qua ſuſcepit filiam *Cleopatram*: illa *Maior*, hæc verò *Minor* Cleopatra eſt appellata, quam *Alexandro Balæ* Regis Syriæ VI. vxorem dedit. Anno 31. regni eius Ptolemæus copioſiſſimum congregauit exercitum ex Aegypto in Syriam veniens per ſpeciem iuuandi Alexandrum generum ſuum, reverà autem vt Alexandri regnum obtineret, ſuoque adderet. Cùmque Alexandri iuſſu excepiſſent eum ciuitates omnes pacificè, eo quòd ſocer ſuus eſſet, præſidiarios milites ſpecie auxilij in vnaquaque ciuitate collocauit, peſſimè etiam de Alexandro cogitans. Iratus ex quibuſdam inſidijs generis ſui, filiam ſuam Cleopatram ipſi adimit, & aduocat Demetrium Demetrij filium, ipſique Cleopatram collocat, indè pugnâ congreſſum Alexandrum vincit, & profligat, qui in Arabiam fugiens à Zabdiele Arabo occiſus eſt. Ptolemæus verò equo excuſſus, ab hoſtibus adeò vulneratus eſt, vt toto quatriduo loqueretur, & tandem inter curandum expirauit, cùm annos 35. regnaſſet. Antequam tamen expiraret, allatum ipſi eſt caput *Alexandri* hoſtis, quo non mediocriter gauiſus eſt. Alexandro ſuccedit Demetrius Demetrij Soteri filius exiguo tempore. In Aegypto verò ſuccedit Philometoris frater, qui Cirænis regnabat, homo impurus & crudelis. *Ptolem. in Can.*

ANNO M. 3862.

ANTIOCHVS ENTHEVS XIII. Rex Syriæ filius Alexandri Balæ XI. Regis Syriæ. Hic in aulâ Regis Arabiæ educatus, ad recuperandam ſedem paternam à Tryphone tutore

ſuo

ſuo animatur, cuius operâ captâ Antiochiâ, & elephantis regijs, ex Arabiâ in Syriæ regnum, Demetrio fugato reducitur, Tryphone poteſtatem exercente. 1. *Mac.* 11. Tryphon, de clade Demetrij in ſuperiori Aſiâ certior factus, de Antiocho puero interficiendo conſilia agitat, ſed timet *Ionathan*, ne is necem Regis vlciſcatur; ideò ipſi inſidias ſtruit, & tandem cum Ptolemaide capit, & collecto exercitu contra Iudæos proficiſcitur, vt eos ſub iugum reducat. Sed *Simeon* qui electus erat Dux Iudæorum, ipſi commeatum intercludit, ideò vbique impeditus, cùm nec in arcem Sionis commeatum perferre poſſet, propterea quod nix profunda cecidiſſet; ſimulat ſe Ionathan dimiſſurum, ſi trecenta ſibi talenta argenti, & filij Ionathæ obſides dentur: ſed acceptâ pecuniâ, *Ionathan* cum filijs occidit. 1. *Maccab.* 13. Interfecto Ionathâ, Antiochus anno regni ſecundo, ætatis decimo, à Tryphone tutore, & Duce ſuo necatur. Corrupit enim quoſdam medicos qui eum calculi dolore ad populum conſumi mentiebantur, & dum illum ſecant, occidunt. Indè perſuaſis militibus *Tryphon* proclamatur Rex, & regnum obtinet vſque in tertium annum. *Ioſeph. l.* 13. *cap.* 12,

ANNO M. 3853.

VIRIATVS in Hiſpaniâ ex paſtore venator, ex venatore latro, mox iuſti exercitus Dux, cùm quatuordecim annos Romanos Duces, & exercitus protriuiſſet, à proditoribus quibuſdam à Cœpione Conſule corruptis interemptus eſt. Vir certè & Dux maximus, referente *Oroſio*, Senatus Romanus factum Cœpionis improbauit, & proditoribus illis præmium petentibus reſponderi iuſſit: Romanis non placere, Imperatorem à militibus interfici.

ANNO M. 3864.

T. MANLIVS TORQVATVS Conſul, præter egregia multa raræ dignitatis, iuris quoque Ciuilis, & ſacrorum Pontificalium peritiſſimus extitit. Nam vt *Val. Max.* refert, cùm ad Senatum Macedónia de filio eius *Iunio Silano*, qui eam

prouinciam obtinuerat, quærelas per legatos detuliſſet; à Patribus conſcriptis petijt, ne quid ante de eâ re ſtatuerent, quàm ipſe Macedonum, filijque ſui cauſam inſpexiſſet: Summo deindè cum ampliſſimi ordinis, tum etiam eorum qui queſtum venerant conſenſu cognitione ſuſceptâ domi conſedit, ſoluſque vtrique parti per totum biduum vacauit, ac tertio pleniſſimè die diligentiſſimèque auditis teſtibus, ita pronunciauit: Cùm Silanum filium meum pecunias à ſocijs accepiſſe mihi probatum ſit, & republicâ eum, & domo meâ indignum iudico, protinuſque è conſpectu meo abire iubeo. Tam triſti patris ſententia perculſus Silanus lucem vlteriùs intueri non ſuſtinuit, ſuſpendioque ſe proximâ nocte conſumpſit. Pergerat iam Torquatus ſeueri & religioſi iudicis partes, ſatisfactum erat reipublicæ, habebat vltionem Macedonia, potuit tam verecundo obitu filij patris inflecti rigor, at ille neque adoleſcentis exequijs interfuit, & cùm maximè funus eius duceretur, conſulere ſe volentibus, vacuas aures accomodauit. *Val. Max.*

ANNO M. 3865.

MATIENVS Conſul duumuir naualis creatur, cuius ad Gallicum ſinum prouincia erat: accuſatus apud tribunos plebis, quòd exercitum in Hiſpaniâ deſeruiſſet, damnatuſque ſub furcâ, diù virgis cæſus eſt, & ſeſtertio nummo venijt. *Liuius.*

ANNO M. 3866.

TRYPHON, alio nomine *Diodotus*, olim Dux militiæ apud *Alexandrum Balam* XI. Syriæ Regem fuit: Poſtea verò Rex Syriæ XIV. factus eſt. Hic Tryphon fuit Apamienſis, in Caſiano Caſtello natus, vti *Strabo* ſcribit. Ex Antiochi Enthei Regis Syriæ, tutore, regni raptor extitit, & dominandi libidine flagrans, Antiochum adoleſcentem è medio ſuſtulit. Indè Rex proclamatus, regiâque dignitate ornatus, magnam in ſubditos atque milites crudelitatem exercuit, ſemper ſui ſimilis blanda loquens, ſcelerata perpetrans, nulli fidus, niſi ſuæ vtilitatis gratiâ.

tiâ. Tandem ab *Antiocho Sideto* in caſtro Doræ munitiſſimo obſeſſus, rebus deſperatis aufugit, atque Apameam venit, vbi vrbe vi captâ, interfectus eſt, triennio poſtquàm regnum vſurpauerat. 1. *Maccab.* 15. *Ioſeph.lib.* 13. *cap.* 12.

ANNO M. 3867.

ATTALVS vltimus Rex Pergami, qui Eumeni patruo, vel Attalo vt alij habent, cùm annos 21. regnaſſet, ſuccedit, regnum annis quinque ita adminiſtrauit, vt id cædibus amicorum, & cognatorum ſupplicijs fœdaret, nunc matrem anum, nunc Berenicem ſponſam, maleficijs eorum necatas confingens. Poſt hanc ſceleſtam violentiæ rabiem, ſqualidam veſtem ſumit, barbam, capillumque in modum reorum ſummittit: non in publicum prodire, non populo ſe oſtendere, non domi lætiora conuiuia inire, aut aliquod ſignum ſani hominis habere, prorſus vt pœnas pendere manibus interfectorum videretur. Ommiſſa deindè regni adminiſtratione, hortos fodiebat, gramina ſeminabat, & noxia innoxiis permiſcebat, eaque omnia veneni ſuco infecta, velut peculiare munus amicis mittebat. Ab hoc ſtudio ærariæ artis fabricæ ſe tradidit, cæteriſque fingendis, & ære fundendo, procudendoque oblectatur. Matri deindè ſepulchrum facere inſtituit: cui operi intentus, morbum ex ſolis ardore contraxit, & ſeptima die deceſſit. *Iuſtin.*

ANNO M. 3781.

SIMON ETNARCHES ſummus Sacerdos, & Iudæorum Princeps, cùm annos octo principatum, & ſummum Sacerdotium adminiſtraſſet, dolo generi ſui Ptolomæi, cum filijs duobus Iudâ, & Matathiâ occiditur. *Hyrcanus* Rex euadit, qui ſtatim collectis copijs arcem Dagon obſidet, vt matrem, quæ captiua tenebatur à Ptolomæo, liberaret, at ille parricida, quando Hyrcanus oppugnationem inſtituerat, ſtatim productam matrem tormentis excruciabat. Quapropter filius pietate victus, tandem oppugnationem omiſit. *Ioſeph.lib.* 13. *cap.* 15.

AN-

ANNO M. 3870.

EVNVS Syrus à Siculis coniuratis, & latrocinijs aſſuefactis, Rex Siciliæ creatur. Illi cum Hypſæum prætorem viciſſent, eorum numerus auctus eſt adeò vt eſſent ad ducenta millia. At *Rupilius* Conſul in Siciliâ Tauromeniam, & Aetnam firmiſſima fugitiuorum receptacula, bello recipit, vbi multa millia ſeruorum trucidata, Aetnam proditione capit, Eunum Regem, qui ſe Antiochum nominauerat, in prærupta loca fugientem, & in ſpelunca delitеſcentem, extraxit, & in vincula compegit, vbi mortuus eſt. Reliqui ſerui fugitiui re deſperatâ, ſe ipſos inter ſe trucidarunt. Indè inſulam ab omnibus latrocinij s repurgauit *Diod.Sic.*

ANNO M. 3871.

CRASSVS MVCIANVS Conſul, cùm Pontifex maximus eſſet, primus Pontificum extra Italiam contra *Ariſtonicum* cùm exercitu mittitur, qui cùm plurima à Regibus Aſiæ accepiſſet auxilia, tamen ab Ariſtonico vincitur, & in fugâ capitur: captus vt ignominiam effugeret, virgam, quâ regnum regebat oculis Thracij militis, à quo vinctus trahebatur, inflixit, eumque exoculauit. Quare iratus Craſſum occidit. *Iuſtin.*

ANNO M. 3872.

ANTIOCHVS SIDETES PIVS, vel SOTER Rex Syriæ XV. Demetrij primi Soteris filius, & Demetrij II. cognomento *Nicanoris*, apud Parthos captiui, frater. In regni adminiſtratione homo perfidus, & fœdifragus fuit. Cùm audiſſet Parthorum Regem, Syriæ regnum affectare, occupandum bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis indurauerat, aduerſus Parthos ducit. Sed luxuriæ, vt *Iuſtin.* refert, non minus apparatus, quâm militiæ fuit. Quippè octingenta millia armatorum ſequuta ſunt trecenta millia lixarum: ex quibus coquorum, piſtorum, ſcenicorumque maior numerus fuit. Argenti certè, aurique tantum, vt etiam gregarij milites caligas auro fin-

fingerent; proculcarentque materiam, cuius amore populi ferro dimicant. Culinarum quoque argentea inſtrumenta fuêre, prorſus quaſi ad epulas, non ad bella pergerent. Aduenienti Antiocho multi orientales Reges occurrêre, tradentes ſe, regnaque ſua cùm execratione ſuperbiæ Parthicæ. Nec mora congreſſioni fuit. Antiochus tribus prælijs victor Babyloniam cùm occupaſſet, magnus haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum deficientibus populis, nihil Parthis relictum præter patrios fines fuit. Tunc *Phraartes* Parthorum Rex Demetrium fratrem Antiochi, quem captiuum tenebat, in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico præſidio mittit, vt eo pacto Antiochus ad ſua tuenda à Parthiâ reuocaretur. Interim quoniam viribus non poterat, inſidijs Antiochum vbique tentabat. Propter multitudinem hominum omnem exercitum ſuum Antiochus per ciuitates in hyberna diuiſerat: quæ res exitij cauſa fuit. Nam cùm grauari ſe copiarum præbitione, & iniurijs militum, ciuitates viderent, ad Parthos deficiunt, & die ſtatutâ omnes apud ſe diuiſum exercitum per inſidias, ne inuicem ferre auxilia poſſent, aggrediuntur. Quæ cùm nunciata Antiocho eſſent, auxilium proximis laturus, cum eâ manu, quæ ſecum hyemabat, progreditur. In itinere obuium Regem Parthorum habuit, aduerſus quem fortiùs quàm exercitus eius dimicauit. Ad poſtremum tamen cùm virtute hoſtes vincerent, metu ſuorum deſertus, occiditur, cui Phraartes exequias regio more fecit, filiamque Demetrij, quam ſecum Antiochus adduxerat, captus amore virginis, vxorem duxit. Pœnitere deindè dimiſſi Demetrij cœpit: ad quem retrahendũ cùm turmas equitum feſtinanter miſiſſet, Demetrium hoc ipſum metuentem iam in regno miſſi inuenerunt, fruſtraque omnia conati, ad Regem ſuum reuerſi ſunt. *Iuſtin. Oroſ. Appian. de bellis Syr.*

ANNO M. 3873.

PTOLOMÆVS PHYSCON, vel Euergetes VII. Rex *Ægypti, filius* Ptolomæi Epiphanis V. Regis *Ægypti*. Mater eius fuit Cleopatra, Antiochi Magni Regis Syriæ filia. Frater

ter eius erat Ptolomæus Philometor VI. Rex Aegypti, cui mortuo in regno ſucceſſit. Dictus fuit cognomento 1. *Phyſcon* à deformitate corporis, ſiuè à ſaginâ ventris ad inſtar farciminis. 2. *Euergetes* dictus per antiphraſim, quia non beneficus, ſed homo maleficus, & crudeliſſimus fuit; ob nimiam enim crudelitatem omnibus inuiſus, cùm populus regiam accendiſſet, metuens inſidias, clàm in Cyprum profugit; repudiauerat hic ſororem Cleopatram, quam vxorem duxerat, & eius filiam, ſuam priuignam prius à ſe ſtupratam in thalamum aſſumpſerat. Cùm verò intelligeret repudiatæ vxoris ſuæ regnum à populo deferri, ſuum, quem ex ſorore genuerat filium *Memphitem* occidi iuſſit. Tandem interfecti caput, manus, & pedes amputatos, & ciſtæ incluſos, matri epulanti pro munere natalitio miſit, eique bellum denunciauit. Poſtremò reconciliatâ gratiâ cum Cleopatrâ ſorore, & vxore, in regnum redijt, regnauitque annos 29. & mortuus eſt. Reliquit duos filios ex Cleopatrâ, nempè Ptolomæum Lathurum, & Ptolomæum Alexandrum. *Iuſtin. Epit. Liu. & Ioſeph.*

ANNO M. 3875.

DEMETRIVS NICANOR XVI. Rex Syriæ frater Antiochi Sidetis. Hic anteà fuit Rex Syriæ XII. ſed regno pulſus. à Græcis contra Mithridatem Parthorum Regem, qui tum medis atque Perſis imperabat, accerſitus eſt, eumque aliquoties vicit. Poſteà cùm Antiochus Sidetes eius frater, Parthorum regnum infeliciter inuaſiſſet, dimiſſus in Syriam redijt, auxilijs, & copijs Parthorum inſtructus regnum amiſſum recepit. Recuperato paterno regno, vitijs adoleſcentiæ corruptus, in ſegnitiem labitur: tantumque contemptum apud omnes ex inertiâ, quantum odium ex ſuperbiâ Pater habuerat, contraxit. Ideò anno à reditu in regnum ſuum quarto, odia Syrorum adeò aduerſus eum creuerunt, vt coacti ſint legatos mittere ad Ptolomæum Phyſconem VII. Regem Ægypti, vt aliquem è Seleuci genere daret ijs, quem poſſent ſibi Regem conſtituere. Cùmque is miſiſſet *Alexandrum Zebennam, vel Zebinam*, is pro Re-

ge

ge à Syris receptus eſt,& commiſſo prælio aduerſus Demetrium, à ſuis derelictum, facilè eum vicit, fugauitque. Demetrius igitur victus, cùm vndique circumſtantibus malis premeretur, ab omnibus deſeritur, ab vxore etiam & liberis, qui portas ipſi claudunt. Cùmque nuſpiam locum inueniret vbi conſiſteret, Tyrum fugit in templum, loci religione ſe defenſurus, ſed extractus indè, & miſerè vexatus, tandem interficitur. *Ioſeph lib. 13. cap.17.*

ANNO M. 3876.

CÆſo *Demetrio* Syriæ Rege XVI. Seleucus filius ſumit ſibi diadema, & pro parente regnat; mater Cleopatrâ irata ipſi, quòd ſe inſciente Rex factus eſſet, ſagittâ ſuâ manu emiſsâ, confixit. Indè frater *Antiochus*, cui propter naſi magnitudinem *Grypo* cognomen fuit, Rex à matre hactenus conſtituitur, vt nomen Regis penes filium, ius autem omnis imperij penes matrem eſſet. Hic collecto exercitu contrà *Alexandrum Zebinam*, vt parentis mortem vlciſcatur, progreditur. *Ioſeph lib. 13. eodem capite.*

ANNO M. 3877.

ALEXANDER ZEBENNA, vel ZEBINA *XVII.* Rex Syriæ, Ægyptius, Protarchi negotiatoris filius. Hic occupato Syriæ regno, tumens ſucceſſu rerum, ſpernere iam ipſum Ptolomæum, à quo fuerat ſubrogatus in regnum, ſuperbâ inſolentiâ cœpit. Itaque Ptolomęus reconciliatâ ſororis gratiâ, deſtruere Alexandri regnum, quod odio Demetrij, viribus ſuis acquiſierat, ſummis opibus inſtituit. Mittit ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphenam Grypo nupturam, vt populos in auxilium nepotis, non ſocietate tantum belli, verùm & affinitate ſuâ ſollicitaret. Nec res fruſtrà fuit: nam cùm omnes Grypum inſtructum Ægyptij viribus viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœpêre. Fit denique inter Reges prælium, quo victus Alexander, Antiochiam profugit: ibi inops pecuniæ, cùm ſtipendia militibus deeſſent, templo Iouis ſolidum ex auro victoriæ ſi-

gnum tolli iubet, facetis iocis ſacrilegium circumſcribens : nam *victoriam commodatam ſibi à Ioue eſſe*, dicebat. Interiectis deindè diebus, cùm ipſius Iouis aureum ſimulacrum infiniti ponderis tacitè euelli iuſſiſſet, deprehenſuſque in ſacrilegio, concurſu multitudinis eſſet in fugam verſus, magnâ vi tempeſtatis oppreſſus, ac deſertus à ſuis, à latronibus capitur, perductuſque ad Grypum, interficitur. *Iuſtin. lib.* 39.

ANNO M. 3880.

C. GRACCHVS tribunus plebis inter cæteras leges Agrariam quoque tulit, ob quam frater Tiberius occiſus fuerat. Sed Lucius Opimius in conſulatu ſuo pluribus Gracchi legibus derogauit, renitentibus Graccho, & amico eius tunc Conſule Marco Fuluio : Hinc ortâ ſeditione, Fuluius Auentinum occupat, quem Gracchus ſequitur triſtis, & paruo dumtaxat gladio accinctus : vndè iuniorem filium Fuluij cum caduceo ad Senatum, & Conſulem de concordiâ miſit: qui retulit Conſulem decreuiſſe, ſi concordiam peterent, Auentinum deſererent: quo audito voluit Gracchus ad Senatum proficiſci: ſed cæteris id non probantibus, filius remiſſus in carcerem coniectus eſt à Conſule auido pugnæ. Nam ſtatim cum magnâ manu in Auentinum irrumpit : aduerſarios in fugam vertit, vndè Fuluius ſe in quoddam balneum coniecit, ac paulò poſt cum maiore filio deprehenſus occiditur. Gracchus in ædem Dianæ profugit : vbi cùm ſibi vim inferre vellet, à Licinio, & Pomponio fideliſſimis familiaribus prohibitus, cùm aufugere vellet, ab aduerſarijs in ponte ligneo deprehenſus fuiſſet, niſi familiares illi ſe pro illo morti oppoſuiſſent. Quibus cadentibus in ſacrum Dearum nemus profugit, ibique à Philocrate ſeruo, qui cum illo aufugerat, id expoſtulans, occiſus eſt, qui occiſo Domino ſuperuiuere nolens, ſe quoque interemit. *Plut. Saluſt.*

ANNO M. 3883.

BITVITVS Aruernorum Rex, cùm ingentē exercitum contraxiſſet hominum centum & octoginta millium, pugnaturus

turus cum Q. Fabio Maximo proconſule, qui paucos milites habebat, dixit; *Exercitum Romanum vis ad eſcam canibus ſuis eſſe*, ſed conſertâ pugnâ vincitur, & ad centum, & viginti millia hominum ammittit; & cùm ipſe ad ſatisfaciendum ſenatui Romam profectus eſſet, Albæ cuſtodiendus datus eſt, quia contrà pacem videbatur, vt in Galliam remitteretur. Decretum quoque eſt, vt *Congentiatus* filius eius, comprehenſus Romam mitteretur. *Epit. Liu.*

ANNO M. 3888.

MICIPSA Numidarum Rex moriens, regnum tribus filijs reliquit, nempè *Adherbali*, *Hyempſali*, & *Iugurthæ* fratris filio, quem in filium adoptauit. *Iugurtha* in Numidia, vt ſolus regno potiretur, fratribus inſidias ſtruit, & *Hiempſalem* fratrem inſidijs petit, & occidit. Fama tanti facinoris per omnem Africam breui diuulgatur; *Adherbalem* verò alium fratrem bello petit, & victum regno expellit. Tum *Iugurtha* poſtquàm omni Numidiâ potiebatur, in otio facinus ſuum cum animo reputans, timere populum Romanum, neque aduerſus iram eius vſquam, niſi in auaritiâ nobilitatis, & pecuniâ ſuâ, ſpem habere. Itaque paucis diebus, cum auro, argentoque multo legatos Romam mittit, quibus præcipit, vti primùm veteres amicos muneribus expleant: deindè nouos acquirant: poſtremò quemcumque poſſint largiundo parare nè cunctentur. Sed vbi Romã legati venêre, & ex præcepto Regis hoſpitibus, alijſque quorum eâ tempeſtate in ſenatu auctoritas pollebat, magna munera misêre: tanta commutatio inceſſit, vt ex maximâ inuidiâ in gratiam, & fauorem nobilitatis Iugurtha veniret. Ideò *Adherbal* iuſſus eſt regnum cum Iugurthâ diuidere, præſentibus legatis Romanis, quorum princeps fuit L. Opimius, qui muneribus corrupti Iugurthæ potiſſimam regni partem dederunt. *Saluſt.*

Iugurtha diuiſo regno, certum ratus quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romæ venalia eſſe; ſimul & illorum pollicitationibus accenſus, quos paulò ante muneribus expleuerat, in regnum Adherbalis animum intendit. Ipſe acer, bel-

Digitized by Google

bellicoſus: at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus iniurię, metuens magis, quàm metuendus. Igitur ex improuiſo fines eius cum magnâ manu inuadit: multos homines, atque aliâ prędâ capit: ædificia incendit: pleraque hoſtiliter loca cum equitatu accedit. Adherbalem fuſum, fugatumque in Cirthâ vrbe obſidet, legatos Romanos de ſoluendâ obſidione eludit,& Cirthâ potitus,Adherbalem tormentis ſingularibus necat: deindè omnes puberes Numidas, atque negotiatores promiſcue, vti quiſque armatus obuius fuerat, interfecit. *Saluſt.*

ANNO M. 3898.

IVGVRTHA occiſis duobus fratribus Hyempſale, & Adherbale, Numidiæ diadema ſolus gerit, ſed à *Mario* Conſule expugnatus, cum duobus filijs in triumphum ductus eſt, teſte *Plutarcho*: atque Iugurtha in carcerem poſt triumphum tractus, nuduſque in baratrum conditus eſt, ibique ſex dierum fame contabuit, ſuſpenſum ſemper ſpe vitæ ſpiritum trahens. *Saluſt.*

HYRCANVS Dux Iudæorum, & Pontifex, elapſo anno 31. principatus ſui moritur; ſuccedit ipſi filius natu maximus *Ariſtobolus*, qui principatum, & ethnarchiam in regni formam vertens, diadema ſibi primus, poſt captiuitatem Babylonicam imponit. Tres fratres minores in carcerem conijcit cum matre, quam inediâ ſuffocat, Antigonum verò quartum fratrem participem regni facit. *Ioſeph. lib.* 13.

ANNO M. 3899.

LVSIVS tribunus militum, nepos Marij Conſulis, pudicitiam Trebonij militis tentat, & vim ipſi afferre conatur, ob quam rem à Trebonio interficitur: Re delatâ ad Marium, non ſolum cædem approbauit, ſed inſuper Trebonium coronauit, quòd pulcherrimum facinus tempore illo periculoſo edidiſſet, hocque factum *Mario* tertium conſulatum peperit. *Plutarch.*

ARISTOBVLVS Iudæorum Rex audiens Antiochum fratrem ſe in bello præclarè geri, & Ituræos, vt ritus Iudaicos

ces aſſumerent, coegiſſe; inuidiâ accenſus, & à calumniatoribus inſtigatus, fratrem in feſto Scenopegias occidit: Poſteà pœnitens facti, cùm ſanguinem vomeret, & ſenſiſſet puerum, qui ſanguinem efferebat, eo ipſo in loco, vbi Antigonus interfectus erat, cecidiſſe, ſtatim animam efflauit, cùm annum tantùm vnum regnaſſet. Succedit ipſi frater *Alexander*, qui ad annum vigeſimum vſque regnauit. *Ioſeph.*

ANNO. M. 3900.

QFABIVS MAXIMVS Eburnus Conſul, filium ſuum adoleſcentem ruri per ſeruos manu mittit, nè tormentis ſubijci poſſent, ſed accuſatus à C. Pompeio damnatur. *Oroſ.*

ANNO M. 3902.

ATHENIO Rex Siciliæ occiditur à *Manlio Aquillio* Conſule, qui inſigni prælio in Siciliâ omnes partim vi, partim deditione in poteſtatem redigit. Hi Romam deducti, beſtijs obiecti ſunt, qui tamen cum beſtijs decertare noluerunt, ſed ſe ipſos inter ſe confecerunt, & Dux vltimo loco ſibi manus intulit. *Aquillius* poſteà triumphauit. *Diod. Sic. lib.* 26.

ANNO M. 3903.

LVCIVS APPVLEIVS SATVRNINVS, Tribunus plebis ſeditioſus, *Aulum Nonium* competitorem ſuum interfecit. Idem *Memmium* virum acrem & integrum, fieri Conſulem timens, in campo Martio necandum curauit, & Glauciam Conſulem facere conatur. Fremente pro tantis reipublicæ malis Senatu, populoque Romano, *Marius* Conſul armatus, turbatores pacis Glauciam, & Saturninum bello perſequitur, & in Capitolium fugat, vbi in maximo æſtu inciſis aquarum fiſtulis, cùm potu carerent, ad deditionem eos cogit, vbi quidem omnia conatus eſt, vt cædi eriperentur, ſed populo id perſuadere non potuit, qui Glauciæ ceruicem frangi iuſſit: Appuleius verò cùm in Curiam fugiſſet, lapidibus, & tegulis deſuper interfectus eſt.

Ca-

Caput eius *Rabirius* quidam Senator per conuiuia in ludibrium circumtulit. *Oroſ. Aurel.*

ANNO M. 3907.

ANTIOCHVS GRYPVS, ſic à naſi magnitudine dictus, Syriæ Rex XVIII. filius Demetrij Nicanoris, & Cleopatræ Ptolemæi Philometoris VI. Regis Ægypti filię. Hęc Cleopatra ambitioſa, & tyrannica fœmina fuit, quæ à patre ſuo initio elocata Alexandro Balæ XI. Regi Syriæ; poſteà eidem rurſus erepta, Demetrio Nicanori matrimonio iuncta fuit. Grypus recuperato patrio regno, externiſque periculis liberatus, inſidijs matris appetitur. Quę cùm cupiditate dominationis, prodito marito Demetrio, & altero filio interfecto, huius quoque victoriâ inferiorem dignitatem ſuam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed Grypus prædictis ſibi iam ante inſidijs, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipſam iubet, abnuenti inſtat. Poſtremo prolato indice eam arguit, *ſolam defenſionem ſceleris ſupereſſe* affirmans, *ſi bibat quod filio obtulit*. Sic victa Regina ſcelere in ſe verſo, veneno quod alij parauerat, extinguitur. Partâ igitur regni ſecuritate, Grypus octo annis quietem & ipſe habuit, & regno præſtitit. Natus deindè illi eſt æmulus regni, frater ipſius Cyzicenus, eadem matre genitus, ſed ex Antiocho patruo ſuſceptus, quem cùm veneno tollere voluiſſet, vt maturiùs armis cum eo de regno contenderet, excitauit. *Antiochus Cyzicenus* Cleopatram Ptolemæi Phyſconis Ægypti Regis demortui viduam, in vxorem duxerat; à quâ egregio exercitu inſtructus, cum fratre Grypo prælio congreditur, & vincitur, Antiochiamque venit. Tunc Antiochiam Grypus, in qua erat Cyziceni vxor Cleopatra, obſidere cœpit: quâ captâ, *Tryphena* vxor Grypi nihil antiquiùs, quàm ſororem Cleopatram requiri iuſſit: non vt captiuæ opem ferret, ſed nè effugere captiuitatis mala poſſet, quæ ſui æmulatione in hoc potiſſimum regnum inuaſerit, hoſtique ſororis nubendo hoſtem ſe eius effecerit. Captâ Cleopatrâ, Tryphenæ iuſſu à militibus attrociſſimè interficitur in templo, quo confu-

ge-

Digitized by Google

gerat, Grypo multum repugnante. Nec multò poſt repetita prælij congreſſione, victor Cyzicenus vxorem Grypi Tryphenam, quæ paulò ante ſororem interfecerat, capit, & ſupplicio eius viciſſim ſuæ vxori parentat. Tandem *Antiochus Grypus* Heracleonis inſidijs trucidatur anno ætatis 45. regni verò 29. Ex vxore Tryphenâ quatuor ei filij fuêre, nempè *Seleucus*, *Philippus*, *Antiochus*, & *Demetrius*. Succedit *Seleucus*, qui cum Antiocho Cyziceno bellum continuat. *Iuſtin. Ioſeph.*

ANNO M. 3908.

ANTIOCHVS Cyzicenus filius Antiochi Sidetis, & Cleopatrę Ptolemæi Philometoris VI. Regis Ægypti filiæ; frater vterinus Antiochi Grypi: occiſo ab Heracleone Grypo, filium eius nomine *Seleucum* bello aggreſſus eſt, ſed infelici ſucceſſu. Nam prælio captus, trucidatuſque, ambitionis ſuæ pœnas luit. Cui ſuccedit filius eius *Antiochus* cognomento *Euſebes*. *Ioſeph. lib.* 13.

ANNO M. 3909.

ANTIOCHVS EVSEBES, Antiochi Cyziceni filius, mortem patris vindicaturus, *Seleucum* patruelem ſuum, primum Grypi filium bello inuadit, & vno prælio victum è tota Syriâ expellit. Illâ fugâ delatus in Ciliciam, & à Mopſeatis receptus, cùm tributa exigeret, ab ijſdem cum Regiâ, & amicis viuus crematus eſt. *Ioſeph. lib.* 13. *cap.* 22.

ANNO M. 3910.

ANTIOCHVS frater Seleuci, Antiochum Cyziceni filium, vt fratrem vlciſceretur, bello inuadit; ſed victus, & vitam, & exercitum ſimul ammittit, poſt quem *Philippus* tertius frater, aſſumpto diademate in parte Syriæ regnat. *Ioſeph.*

ANNO M. 3912.

DEMETRIVS VI. Seleuci frater à Ptolemæo Lathuro Aegypti Rege ad Damaſcum conſtituitur Rex, qui cum fra-

fratre Philippo iunctus Antiochum Cyziceni filium acriter perſequuntur, ſed is fortiter reſiſtit, regnumque defendit annis nouem, donec cum Parthis bellum gerens trucidaretur. *Ioſeph.*

MARCVS LIVIVS DRVSVS genere & eloquentiâ magnus, ſed ambitioſus, & ſuperbus. Primò in Aſiâ Quæſtor, deindè plebis Tribunus efficitur. Nimiæ liberalitatis fuit: ipſe etiam profeſſus, nemini ſe ad largiendum præter cœlum, & cœnum reliquiſſe: ideòque cùm pecunia egeret, multa contrà dignitatem fecit. *Magulſam* Mauritaniæ Principem ob Regis ſimultatem profugum, acceptâ pecuniâ Boccho Mauritaniæ Regi prodidit: quem in elephanto obiecit. *Adherbalem* filium Regis Numidarum obſidem domi ſuæ ſuppreſſit, redemptionem eius occultam à patre ſperans. Cœpionem inimicum actionibus ſuis reſiſtentem, ait ſe de ſaxo Tarpeio præcipitaturum. *Philippo* Conſuli legibus Agrarijs reſiſtenti, ita collum in comitio obtorſit, vt multus ſanguis efflueret è naribus. Tandem *Druſus* in Senatu accuſatus, cùm domum ſe reciperet, circà veſperam multitudinem emitteret, ſubitò ſe percuſſum eſſe conclamauit, vixque finito clamore in terram decidit, repertus deindè ſutoris gladius femori eius infixus, eoque modo & ipſe occiſus eſt. *Cicer. lib. 1. & 3. de orat. Aurel. Vict. Appian. Tit. Liu.*

ANNO M. 3913.

SERVILIVS Prætor, & *Fonteius* legatus, ab Aſculanis occiduntur. *Appian.*

CLEOPATRA Regina Aegypti cùm occultis inſidijs Alexandro filio ſuo exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur, ſpiritumque non facto, ſed parricidio dedit: digna prorſus hac mortis infamiâ, quę etiam matrem thoro expulit, & duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit, & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitium per inſidias machinata eſt. Aegyptij verò cùm ſenſiſſent, Cleopatram ab Alexandro filio interfectam, eum in exilium pellunt, & Ptolemæum Lathurum, qui hactenus in Cypro exulauerat, reuocant. *Iuſtin.*

AN-

ANNO M. 3914.

CATO Conſul,rebus proſperè geſtis aduerſus Marſos, dum caſtra eorum oppugnat, cadit, & ita hoſtibus victoriam concedit. *Liu.*

ANNO M. 3915.

L. CORNELIVS SVLLA Conſul, vir qui neque ad finem victoriæ ſatis laudari, neque poſt victoriam abundè vituperari poteſt: Hic natus familiâ nobili, ſextus à Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat Duces, cùm familiæ eius claritudo intermiſſa eſſet, diu ita ſe geſſit,vt nullam petendi conſulatum cogitationem habere videretur; deindè poſt præturam illuſtratus bello Italico, & ante in Gallicâ legatione ſub Mario, quâ vt *Velleius* loquitur, eminentiſſimos duces hoſtium fuderat, ex ſucceſſu animum ſumpſit; petenſque conſulatum, pene omnium ciuium ſuffragijs nactus eſt. Interim *Sulpitius* Tribunus plebis, autore *Mario* pernicioſas leges fert, vt exules reuocentur, & vt Marius aduerſus Mithridatem Regem Ponticum, Dux creetur, & aduerſantibus Conſulibus vim affert, Pompeique alterius Conſulis filium, Sullæ generum occidit. Tum Sulla contracto exercitu ad vrbem redijt, eamque armis occupauit: duodecim auctores nouarum, peſſimarumque rerum, inter quos Marium cum filio, & Sulpicio Tribuno, vrbe exturbauit, ac lege latâ exules fecit. Sulpitium etiam aſſecuti equites, in Laurentinis paludibus iugulauêre: caputque eius erectum, & oſtentatum pro Roſtris velut omen imminentis proſcriptionis fuit. Marius poſt ſextum Conſulatum, annoque ætatis ſeptuageſimo, nudus, ac limo obrutus,oculis tantummodò, ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quâ ſe, fugiens conſectantes Sullæ equites, abdiderant, iniecto in collum loro in carcere Minturnenſium iuſſu duumuirali perductus eſt, ad quem interficiendum Gallus quidam cum gladio mittitur. Fertur hominem per tenebras ad eius lectulum accedentem expauiſſe, quaſi ſplendore ignis emi-

cante ex eius oculis: vt verò ipſe aſſurgens exclamauit: *Tu ne audes occidere Marium*? Gallus effusè fugit è cubiculo ſimilis inſano, vociferans, & negans ſe poſſe inferre necem Mario. Hinc Minturnenſes rati diuinitus Gallum perterritum, continuò Marium extrà oppidum in loca tutiora deducunt. *Vellei. Appian. Plutarch.*

ANNO M. 3916.

CINNA Conſul, abſente *Sulla*, vt ſibi potentiam adſtrueret, Italiæ Ciues in omnes Tribus diſpertit, quâ ratione Italicis plus poteſtatis dabat in Comitijs, quam Romanis. Ideò ab *Octauio* Conſule Româ pellitur, & Conſulatus ei abrogatur. Paulò poſt commiſſo prælio Cinna vrbem intrat, Mariumque reuocat ab exilio. Ibi Conſul Octauius iuſſu Cinnæ occiditur. *Merula* alter Conſul Magiſtratu ſe abdicauerat, ſed iuſſus mori, inciſis venis, ſuperfuſo altaribus ſanguine, multâ cum execratione Cinnæ, ſpiritum exhalat. *M. Antonius* Orator trucidatur. *Q. Catulus*, qui cum Mario de Cimbris triumphauerat, in domum nuper incruſtatam ſe inclusit, ibi cùm calcis euaporationem igne, fumoque adauxiſſet, ſuffocatus eſt. Multa præterea ſæuitiæ exempla Cinna exhibuit, hoſtiſque ipſi erat, qui paululum eſſet locupletior. *Vellei.*

ANNO M. 3917.

ANTIOCHVS cognomento *Dionyſius* Rex Damaſci, *Alexandrum* Regem Iudæorum inuadit: at hic munitionibus ſe tenens ijs eijcitur, & vincitur. *Antiochus* verò in Arabiâ præliatus, cùm iam ſuam victoriam eſſe videret, & alterum aciei cornu, quod laborabat, vellet in integrum reſtituere, trucidatur. *Ioſeph. lib. 13. cap. 23.*

ANNO M. 3918.

VALERIVS FLACCVS Conſul collega *Cinnæ* miſſus vt Sullæ ſuccederet, propter auaritiam inuiſus exercitui ſuo, ab *C. Fimbria* legato ipſius vltimæ audaciæ homine, occiſus

eſt

eſt : & imperium ad Fimbriam tranſlatum. *Epit.Liu.*

ANNO M. 3919.

CINNA Conſul, ab exercitu ſuo, quem inuitum cogebat naues conſcendere, & aduerſus *Sullam* proficiſci, interemptus eſt. *Epit.Liu.*

ANNO M. 3920.

C. FIMBRIA Conſul, deſertus ab exercitu, qui ad *Sullam* tranſierat, & ingreſſus templum Aeſculapij, traiecit ſe gladio, & quia vulnus lethale non erat, impetrauit à ſeruo ſuo, præbens ceruicem vt ſe interficeret, qui primò dominum, mox ſe ipſum interfecit. *Epit.Liu. Appian.*

ANNO M. 3921.

DAMASIPPVS Prætor, Domitium, Scæuolam etiam pontificem maximum, & diuini (vt ait *Velleius*) humanique iuris auctorem celeberrimum, & *C.Carbonem* prætorium, Conſulis fratrem, & Antiſtium ędilicium, aliosque nobiliſſimos viros, velut fauentibus *Sullæ* partibus, in curiâ hoſtiliâ trucidauit. *Calpurnia* verò *Antiſtij*, ſentiens virum iugulatum, gladio ſe ipſam transfixit. *Vellei.*

SVLLA, recuperatâ Republicâ, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinauit. Octo millia deditorum in villâ publicâ, (qui locus ſecundùm *Auguſt.de Ciuit.lib.3.cap.28.* fuit in campo Martio) trucidauit: tabulam proſcriptionis poſuit: vrbem, ac totam Italiam cædibus repleuit, inter quas omnes Præneſtinos inermes concidi iuſſit: *Marium* Senatorij ordinis virum, cruribus, brachijſque fractis, & oculis effoſſis necauit. C. *Marius* Præneſte obſeſſus à *Lucretio Ofella*, Sullanarum partium viro, cùm per cuniculos, qui miro ordine fabricati in diuerſas agrorũ partes ferunt, conatus erumpere, ſeptus ab exercitu, interfectus eſt: ſunt qui ſuâ manu, ſunt qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Teleſino, vnâ obſeſſo, & erumpente, occubuiſſe prodiderint, vt cumque cecidit. *Epit.Liu.Vellei.* P 2 Cn.

Digitized by Google

CN. POMPEIVS Pompei filius in Siciliā cum imperio à Senatu miſſus, *Cn. Carbonem* Conſulem captum, & muliebritèr mortem deprecantem, interfecit. Item anno ætatis vigeſimo quinto Africam prouinciam ſortitur, eamque ſubigit, & *Cn. Domitium* proſcriptum, & *Hiarbam* Regem Numidiæ, bellum molientes, victos interemit. Indè aliquot dies venationibus in capiendis leonibus, & elephantis dedit, & in fine anni, adhuc eques Romanus, quòd nulli contigerat, ex Africâ triumphauit. *Epit.Liu.Vellei.Cic.*

ANNO M. 3924.

SVLLA ſpontè dictaturâ abit, qui vltrà centum millia hominum occiderat, *Senatores* nonaginta, *Conſules* quindecim, equeſtris ordinis duo millia, & ſexcentos. Indè Cumas ſe contulit, vbi priuatus vixit, venationibus deditus. *Plutarch.*

ANNO M. 3928.

C. AVRELIVS Conſul, cui triumphus decretus erat, moritur antè diem triumphi, cùm cicatrix vulneris, quod in prælio acceperat reſciſſa eſſet. *Aſcon.*

ANNO M. 3932.

SERTORIVS magnus Dux, & aduerſus duos Imperatores *Pompeium*, & *Metellum* ſæpè par, & frequentius victor; ad vltimum tamen deſeritur & proditur, & cùm multos Romanos, qui in ſuo exercitu erant, proditionis ſuſpectos occidiſſet, à *M. Antonio*, *M. Perperna*, & alijs coniuratis, in conuiuio interfectus eſt, octauo ſui Ducatus anno. Indè à proſcriptis imperium ad *Marcum* transfertur, quem *Pompeius* victum, captumque interemit. *Epit.Liu.*

ANNO M. 3940.

MITHRIDATES Rex Ponti, ſocer *Tigranis* Regis Armeniæ, & Syriæ: Homo crudelis, & ſanguinarius, matris, fratriſque interfector, & trium filiorum, ac filiarum totidem.

Ap-

Digitized by Google

Appian. Romanis magnam claſſem intulit, totamque Aſiam occàpauit, & 8 0000. ciuium Romanorum in Aſiâ occidit. Cùmque ad Meotin, & Boſphorum perueniſſet, totam illam regionem ſuam fecit. Erat tum dominus illorum locorum *Machares* Mithridatis huius filius, Romanorum rebus ſtudens: eum ita territum, vt nè ſub aſpectum quidem patris venire auderet, per eius familiares, ſecuritate, & pecunijs miſſis ad facinus impulſos interfecit Aduerſus illum à Senatu Romano miſſus eſt *Lucullus* cum exercitu, qui vbique contra eum feliciter pugnauit, occiſis 60000. hominum. Indè *Mithridates* ad Tigranem in Armeniam confugit. *Laodice* Mithridatis Regis ſoror atque vxor, tam impiè in adulterij amore exarſit, vt redeunti ex longâ militiâ viro, quaſi illum feſtis epulis, lætoque conuiuio exciperet, venenum miſcuerit, à quo ex conſuetudine noti antidoti vix euaſit. Dum *Pompeius* in Syriâ res gerit; *Mithridates* noua conſilia agitat, & per Scythiam, circumeundo Pontum Euxinum, ad Iſtrum tranſire, & indè in Italiam irrumpere conatur. In hoc rerum ſtatu *Pharnaces*, filiorum chariſſimus, & ſæpè regni hæres deſignatus ab eo, ſiue quòd periculoſa ſibi videretur talis expeditio, ſperanti etiam tum à Romanis veniam, quæ omninò nulla contingere poterat, ſi pater vexaret Italiam, ſiue ob alias cauſas, cupiditateſue, patri ſtruxit inſidias. Cùmque ad defectionem exercitum Mithridatis ſollicitaſſet, ſe ipſum Regem appellari iuſſit. Tunc quidam membranam chartaceam longam, latamque è templo depromptam, vice diadematis circumdedit eius capiti. Id conſpicatus pater è ſuperiore porticu, alios poſt alios mittebat ad Pharnacem, qui tutum abitum peterent: ſed cùm nemo rediret, veritus nè Romanis dederetur, ſatellites, & amicos qui adhuc apud eum permanebant, laudatos miſit ad nouum Regem, quorum aliquot in viâ præter opinionem occidit exercitus. Ipſe exempto ex inuolucro veneno quo ſemper accingebatur, vnà cum gladio, id miſcebat: duæ verò filiæ virgines, quæ apud eum educabantur, Mithridatis, & Hyſſa Ægypti, Cyprique deſponſæ Regibus enixè rogabant, vt antè illum potionem venenatam ſumerent, vetabantque bibere, donec ipſæ hau-

hauſerunt. Et has quidem veneni vis penetrauit continuò: in Mithridatem quamuis datâ operâ ambulantem concitatiùs nihil agebat propter quotidianam pharmacorum conſuetudinem, quibus ſe contra veneficos præmunire ſolebat, quæ nunc quoque vocantur *Mithridatica*: cùm conſpicatus Ducem quendam Gallorum Bituitum, *Multum*, inquit, *tua dextera mihi profuit in prælijs, ſed hoc erit meritum maximum, ſi nunc me interemeris periclitantem, nè in triumphum abſtrahar, qui tanto tempore tam amplo regno præfui, & nunc veneno necari nequeo, contra quod ſtultus me præmuniui remedijs: nec enim præuideram triſtiſſimum, & domeſticum Regibus omnibus pharmacum, liberorum, amicorum, & exercitus perfidiam, cùm omnia, quæ ad victum pertinent præcauerim*. His permotus *Bituitus* Regi officium præſtitit neceſſarium. Et ſic ſponte interijt Mithridates anno ætatis ſuæ ſexageſimo nono, & regni quinquageſimo ſeptimo. *Dio. Appian. Epit. Liu.*

ANNO M. 3941.

LVCIVS CATILINA nobili genere natus ex *Sergiorum* familiâ, cuius antiquitatem, & prestantiam ex Sergeſto Troiano, Æneæ comite originem duxiſſe creditur. Quemadmodum teſtatur *Virgil. 5. Aeneid.*

Sergeſtuſque domus, tenet à quo Sergia nomen,
Centauro inuehitur magna.

Fuit *Catilina* magnâ vi, & animi, & corporis: ſed ingenio malo, prauoque. Huic ab adoleſcentiâ bella inteſtina, cędes, rapinę, diſcordia ciuilis grata fuêre, ibique iuuentutem ſuam exercuit. Veſano amore *Aureliæ Oreſtillæ* correptus, cùm vnum impedimentum videret, quo minus nuptijs inter ſe iungerentur, filium ſuum, quem, & ſolum, & ætate iam puberem habebat, veneno ſuſtulit: protinuſque ex rogo eius maritalem facem, vt verbis *Valer. Max.* vtar, accendit. Et non aliter in patriam impius, fuerat, quam in filium, quippe quam ſceleratâ coniuratione perdere moliebatur, quâ detectâ Senatus conſultum facit, vt viderent Conſules, nè Reſpublica quid detrimenti caperet. In comi-

in iiis porrò Conſul *Cicero* loricâ indutus fuit, & ſtipatus multis amicis, & *Catilina* in petitione Conſulatus repulſam tulit. Conueniunt ergo coniurati noctu, & decernunt, vt *Cicero* per duos equites interficeretur, & vrbs deſcribitur ad incendia. Commiſſo demùm prælio, Duce Petreio, *Catilina* in agro Piſtorienſi cum exercitu cæſus eſt. Poſtquam enim, inquit *Salluſtius*, fuſas copias, ſeque cum paucis relictum videt *Catilina*, memor generis, atque priſtinæ dignitatis ſuæ, in confertiſſimos hoſtes incurrit, ibique pugnans confoditur. *Saluſt. Vellei. Epit. Liu. Val. Max.*

ANNO M. 3950.

M. LICINIVS CRASSVS Conſul, coniurationis *Catilinæ* conſcius, bellum Parthis illaturus, Euphratem fluuium tranſijt, victuſque prelio, in quo & filius eius cecidit, cùm reliquias exercitus in collem recepiſſet, euocatus in colloquium ab hoſtibus, velut de pace acturis, quorum Dux erat *Surenas*, comprehenſus, & nè quid viuus pateretur, repugnans interfectus eſt. *Epit. Liu. Vellei.*

P. CLODIVS Tribunus plebis, ciuis quo nemo pernicioſior Reipublicæ, neque bonis inimicior vixerat, à *Milone* candidato conſulatus, contractâ ex occurſu rixâ vulneratur, & occiditur; cuius corpus à ſuis Romam deportatus in curiâ Hoſtiliâ plebe tumultuante, & volente, vnà cum curiâ crematur. *Diod. Vellei. Epit. Liu.*

VERCINGETORIX ſummus Gallorum Dux, qui exercitu Cæſarem concluſerat, vincitur, ope prҿſertim Germanorum, quos Cҿſar euocarat, & Gallorum exercitum, qui aduenerat obſidionem ſoluturus, magno prælio vincit: ceciderunt ad trecenta Gallorum millia, Vercingetorigen ſe ſe dedentem in vinculis habet, & poſtea in triumpho ducit, & occidit. *Diod.*

OSACES Parthorum Dux, à *Caſſio* in Syriâ occiditur, eiuſque exercitus fugatur, & Syria ab immani eorum impetu liberatur. *Cic.*

AN-

ANNO M. 3954.

ARISTOBVLVS Alexandri Iamnæi filius, vir magnificus, & magnanimus, poſtquam regno, & Pontificatu Iudęorum potitus eſt annis tribus cum dimidio: bis Romę in vinculis habitus tandem à Pompeianis veneno ſublatus, & à Cæſarianis funeratus eſt. Corpus autem eius diù melle curatum iacuit, donec Antonius id in Iudęam remiſſum mandauit reponi in Regum conditorijs. *Scipio* verò iuſſu Pompeij ſecuri percuſſit *Alexandrum* Ariſtobuli filium, eo quòd aliquando contra Romanos rebellauerat. *Ioſeph.*

ANNO M. 3955.

CN. POMPEIVS magnus Agamemnon, & Rex Regum appellatus, cui totius terrarum orbis imperium à S. C. delatum eſt, annos tres & viginti natus: nondum Senator contra legem triumphat: ſępiſſimè victor, nunquam victus, niſi à *Cæſare*, qui cùm ſuæ copiæ fame conflictarentur, in Theſſaliam abit, quem inſecutus eſt *Pompeius*, & in aciem educit imprudenter, cùm vel ſedendo bellum conficere potuiſſet, vbi *Pompeius* magnâ clade vincitur, & mutatâ veſte conſcendit equum, quatuor amicis comitantibus, & nullo loco curſum intermittit, donec Lariſſam veniſſet, vbi cùm non perpenderet, ſibi adhuc maximas copias eſſe ad Dyrrachium, in Africâ, & in Hiſpaniâ etiam; item, quod claſſe totum mare obtineret, planè deſperauit, & in Ægyptum fugit, memor beneficiorum, quę in patrem eius Ptolemæi, qui tum puero, quàm iuueni propior regnabat Alexandriæ, contulerat. Sed quis in aduerſis beneficiorum ſeruat memoriam? exclamat *Vellei*. Aut quis vllam calamitoſis deberi putat gratiam? Aut quando fortuna non mutat fidem? Miſſi itaque à Rege, qui venientem Cn. Pompeium (is iam à Mitilenis Corneliam vxorem receptam in nauem, fugæ comitem habere cœperat) conſilio Theodoti, & Achillæ exciperent, hortarenturque vt ex onerariâ in eam nauem, quę obuiam præceſſerat, tranſcenderet; quòd cùm feciſſet, princeps Romani nominis, imperio arbitrio-

que

que Aegyptij mancipij, ſub oculis vxoris ſuæ, liberorumque trucidatur, pridiè natalis ſui die, duodeſexageſimum annum agens, poſt tres Conſulatus, & totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, in id euectus ſuper quod aſcendi non poteſt; in tantum in illo viro à ſe diſcordante fortuna, vt cui modo ad victoriam terra defuerat, deeſſet ad ſepulturam. *Vellei*. *Plutarch.*, *& Diod.* Hæc ipſa autem *Cato* de Pompeio iam mortuo apud Lucan 9.

.... inuaſit ferrum, ſed ponere norat.
Prætulit arma togæ, ſed pacem armatus amauit.
Iuuit ſumpta ducem, iuuit dimiſſa poteſtas.

Ipſius caput ab *Acchilla* Ptolemæi ſatellite, Aegyptio velamine inuolutum, cum anulo Cæſari præſentatum eſt: Qui non continens lacrymas, illud plurimis, & pretioſiſſimis odoribus cremandum curauit, de quo *Lucanus* cecinit:

.... Vos condite buſto
Tanti colla ducis, ſed non vt crimina tantum
Veſtra tegat tellus: iuſto date thura ſepulchro,
Et placate caput, cinereſque in littore fuſos
Colligite, atque vnam ſparſi date manibus vrnam.

Alter ſequens Elogium ſcripſit:

HIC EST POMPEIVS MAGNVS
Nomen venerationi gentium
Memoria temporum
Tua, quiſquis iſta legis, diſciplina
Sacrum:
Cuius immenſas cogitationes non capit orbis,
Illum acta Niliaca
Rudi & tumultuario ceſpite
Concludit.
Ita conditur, qui Romanis orbem vicit.
Quod nemini hominum contigerat
Nulla pars orbis fuit,

Digitized by Google

De qua non triumpharet
POMPEIVS
Verè & merito è conſenſu
MAGNVS.
O rerum vices!
Cuius virtute Roma caput extulerat ſuper populos,
Illius caput non hoſtis, non amicus,
Non moles, non vir,
Sed caſtratum Regis pueri mancipium
Ipſeque Rex mancipij mancipium
Ceruice reuellunt.
Cæſari donum,
Sibi piaculum,
Generi humano abominationem
Per vltimum ſcelus meditantes.
Tales Ægyptus ſuo patrono,
Filius paterno amico & ſeruatori
Gratiam rependunt.
Ita qui Romanas vires in immenſum auxerat,
Romanis armis in cladem;
Qui Aegyptum totam ſuis beneficijs pignerauerat,
Aegyptio ſcelere in exilium detruditur.
Nuſquam infelix aut intuitus, niſi
Inter amicos, & clientes, & generos.
Cecidit autem
Non ſibi magis quàm auctoribus
Infauſto exitu.
Manebit enim gloria terrarum, ſtupor populorum,
Vtriuſque fortunæ, vtrobique memorabile miraculum
POMPEIVS.

At verò iam iam vigilat
Vltricis Prouidentiæ oculus
In ſceleratorum capita
Quæ paulò poſt ſanguine madebunt.
Age Cæſar.
Vindica generi manes tantiſper in Aegyptum;
Cæde, vre, vaſta,
Melius vteris gaudio in perfidos,
Quàm in ciues.
Quorum ſanguinem paulò poſt tua lues,
Cùm idem des, quòd POMPEIVS.

ANNO M. 3916.

IVBA Rex Numidiæ cum ſuo exercitu fugatus à *Cæſare*, in tantum terrorem metumque peruenit, vt neque congredi prçlio, neque cuſtodire caſtra curaret. Itaque fugâ domum properatò cùm perueniſſet, & à nemine ſuorum reciperetur, cum Petreio Pompeij legato, qui ipſe quoque veniç nullam ſpem habebat, ſingulari certamine congreſſus, cum eo vita functus eſt. Scipio ex pugnâ profugus, nauim nactus, eâ conſcensâ in Hiſpaniâ curſum inſtituit: ſed eiectus in Mauritaniam, *Sittium* metuens, necem ſibi manu propriâ intulit. *Cato* demùm cùm reſiſtere Cçſari non poſſet, nè dedere quidem ſe ei ſtatuit: non quòd periculum aliquod metueret, ſed quia libertatis vehementi amore tenebatur, neque cuiquam quicquam concedere volebat, miſericordiamque Cæſaris morte ſibi longè grauiorem exiſtimabat eſſe. Itaque ciuibus ſuis, qui Vticæ aderant, conuocatis; percontatus, quorſum vnuſquiſque eorum iter inſtituiſſet, viatico ſingulos inſtructos dimiſit: filium ad Cæſarem proficiſci iuſſit eique, cur non ipſe idem hoc faceret, interroganti, ita reſpondit: *Ego quidem in libertate vita, dicendique educatus, non poſſum nunc, immutata vita ratione, ſenex ſeruituti me adſuefacere: te verò, qui in huiuſmodi rerum ſtatu, & natus es, & edu-*

catus, eam fortunam, quæ tibi obtigit, amplecti decet. His actis, rationes Vticenſibus ſuæ adminiſtrationis exhibuit, reliquoque pecuniæ eorum, quod apud ſe habebat, reſtituto: moriendum ſibi ante Cæſaris aduentum decreuit. Cùmque adueſperaſſet, pugione furtim ſub puluinari repoſito, Platonis librum de animo (cui Phædoni titulus eſt) popoſcit, ſiue eo conſilio, vt præſentes quàm longiſſimè à ſuſpicione inferendę ſibi mortis abduceret, ac quã minimè ab eis obſeruaretur: ſiue vt eius libri lectione nonnihil conſolationis ad mortem obeundam quæreret. Libro lecto, mediâ iam nocte, pugione arrepto vulnus ſibi in vtero ingeſſit: ex eoque ictu exanguis factus, animam ſtatim egiſſet, niſi è grabato delapſus, ſtrepitu edito, eos, qui ante in conclaue dormiebant excitaſſet. Tum intrò ſe conijcientes filius, cæterique, repoſitis in ventrem inteſtinis, medicinâque adhibitâ, ſublato pugione, ianuas clauſerunt, vt ſomnum *Cato* caperet; neque enim ex hoc vulnere deceſſurum putabant. Sed *Cato*, iniectis vulneri manibus, diruptiſque ſuturis expirauit. *Dio.*

ANNO M. 3958.

CN. POMPEIVS Magni filius adoleſcens impetus ad bella maximi, ingentem ac terribilem conflauerat exercitum, vndique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem ſequentium, ex toto orbe terrarum auxilijs confluentibus. Sua Cæſarem in Hiſpaniam comitata fortuna eſt; ſed nullum vnquam atrociùs, periculoſiùſque ab eo initum prælium, adeòut pluſquam dubio marte, deſcenderet equo, conſiſtenſque ante recedentem ſuorum aciem increpitâ prius fortunâ, quòd ſe in eum ſeruaſſet exitum, denunciaret militibus, veſtigio ſe non receſſurum: proindè viderent quem, & quo loco Imperatorem deſerturi forent, verecundiâ magis, quàm virtute acies reſtitutę ſunt à Duce quam à milite fortius. *Cn. Pompeius*, grauis vulnere inuentus, cùm claudicaret ex intorto talo, inter ſolitudines auias interemptus eſt. *Cæſar* omnium victor regreſſus in vrbem, quòd humanam excedat fidẽ, omnibus, qui contra ſe arma tulerant, ignouit, magnificentiſſimiſque gladiatorij muneris,

nau-

Digitized by Google

naumachiæ, & equitum, peditumque, ſimul elephantorum certaminis ſpectaculis, epuliſque per multos dies dati celebratione repleuit eam. *Vellei.*

SEXTVS CÆSAR Præſes Syriæ, per inſidias interficitur à *Cecilio Baſſo* vno è Pompeianis, qui poſtea occupauit Prouinciam cum legionibus. Quo facto magnum bellum exortum eſt circa Apamiam, Cæſarianis Ducibus contra eum venientibus cum equeſtribus, ac pedeſtribus copijs: ad quos & Antipater miſit auxilia cum filijs, memor beneficiorum acceptorum à Cęſare, ideòque repetendas pœnas ab eius interfectore iuſtum exiſtimans. *Ioſeph.*

ANNO M. 3959.

CAIVS IVLIVS CAESAR filius Caij Iulij Cæſaris Pretorij, & Aureliæ C. Aurelij Cottæ filiæ nobilis mulieris Romanæ; veneratione rerum geſtarum *Diuus* nuncupatus. Dictator in perpetuum factus à Senatu, & à pugnâ Pharſalicâ,& morte Pompeij Imperator dictus anno ætatis 52. Primus Imperator Romanus fuit, à quo omnęs eius ſucceſſores Imperatores dicti ſunt in hodiernum vſque diem. Heroicus bellator fuit, qui quinquagies bis conſertâ manu cum hoſtibus conflixit, quibus in prælijs circiter vndecies centena, & nonaginta duo millia hominum periſſe ſcribuntur. Poſt tot claras ab hoſtibus reportatas victorias, quinquies Romæ triumphauit menſe Iulio. Initio modeſtus erat, ſed ad dignitates ſummas euectus, ſuperbus eſt factus, iuxtà adagium illud vulgatum: *Honores mutant mores, ſed rarò in meliores.* Nam non modò in Conſulatu, ſed etiam in dictaturâ Senatus conſilio nunquam vtebatur; Ac nè Senatui quidem vniuerſo (conſtabat enim mille circiter Senatoribus)ad ſe venienti adſurgebat; & cùm aliquando aſſurgere vellet à *Cornelio Balbo* adulatore, conſiliorumque omnium participe, quo minus id faceret, prohibitus eſt. Tanta in eo regnandi libido fuit, vt ſemper in ore haberet verſum Euripidis in Phæniſſis vt *Cic. lib.* 3.*Offic.* refert.

Εἶπες γ̃ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν, τἆλλα δ' εὐσεβεῖν χρεὼν;

Nam

Nam ſi violandum eſt ius, imperij gratia violandum eſt; alijs rebus pietatem colas.

Sed magnum ſolœciſmum politicum commiſit *Cæſar*, vt qui Principatum quæſitum, & occupatum armis habuit, ne monitus quidem, armis retinere voluit, & cùm inſidiæ vndique imminere viderentur, atque admoneretur, vt ſibi caueret, & ſtipatoribus ſe cingeret, non ſuſtinuit, ſed reſpondit hoc ſymbolo, quo ſemper vſus eſt: *Satiùs eſt ſubire ſemel, quàm ſemper cauere*; ſignificans eum non viuere, qui in perpetuo mortis metu viueret: Mortem enim ſemper metuere, non ſemel eſt, ſed ſemper mori. Conſpirauerunt autem in eum amplius ſexaginta, Principeſque coniurationis fuêre, *M. Brutus*, *C. Trebonius*, *Caſſius*, & *Decius Brutus*, quibus ferè omnibus Cæſar vitam ex gratiâ donauerat, eoſque ad ſummos dignitatum, & honorum gradus euexerat. Hi primùm cunctati, an illum in campo per comitia tribus ad ſuffragia vocantem, partibus diuiſis, è ponte deijcerent, atque exceptum trucidarent, an in ſacrâ viâ, vel in aditu theatri adorirentur, poſtquàm Senatus idibus Martij in Pompeij curiam edictus eſt, facilè tempus & locum prætulerunt. Cuius cædem ita *Suetonius*, §. 82. deſcribit. Aſſidentem conſpirati ſpecie officij circumſteterunt: Illicò *Cimber Tullius*, qui primas partes ſuſceperat, quaſi aliquid rogaturus propiùs acceſſit, renuentique, & geſtu in aliud tempus differenti ab vtroque humero togam apprehendit. Deindè clamantem, iſta quidem vis eſt: alter *Caſſius* aduerſum, vulnerat paulò infrà iugulum: *Cæſar* Caſſij brachium abreptum graphio traiecit, conatuſque proſilire, alio vulnere tardatus eſt; vtque animaduertit, vndique ſe ſtrictis pugionibus peti, togâ caput inuoluit, ſimul, ſimul ſinixtrâ manu ſinum ad ima crura deduxit, quò honeſtius caderet, etiam interiore corporis parte velatâ; atque ita tribus, & viginti vulneribus confoſſus eſt, vno tantùm ad primum ictum gemitu ſinè voce edito. Quidam etiam tradiderunt, *M. Bruto* eum irruenti, dixiſſe: Καὶ σὺ τέκνον. *Et tu Fili mi*. Exanimis diffugientibus cunctis, aliquandiu iacuit, donec lecticæ impoſitum, dependente brachio, tres ſeruuli domum retulerunt. Anno ætatis ſuę 56.

De conſig. Auſonius.

Impe-

Digitized by Google

Imperium, binis fuerat ſolemne quod olim
Conſulibus, Cæſar Iulius obtinuit.
Sed breue ius regni, ſola trieteride geſtum,
Perculit armata factio ſæua toga.

ANNO M. 3960.

S TREBONIVS vnus ex interfectoribus Cæſaris à *Publ.* A *Dolabella* Tribuno plebis, Smyrnæ, verberibus, & tormentis quæſtione habitâ, trucidatur. Indè *Caſſius* Dolabellam Laodiceæ obſedit, & cùm nullus fugæ locus eſſet, eum ad mortem coegit. *Epit. Liu. Diod.*

MARCVS TVLLIVS CICERO, genere Arpinas, patre Equite Romano natus. *Euſebius in Chronicis, & Plutarch. in vita Cicer.* genus ad Volſcorum Regem retulêre. Quæſtor factus Siciliam hâbuit, quo tempore inquit *Plutarch.* quia regnabat auaritia, Duces, & præſides, qui in prouincias mittebantur, quaſi furari res eſſet probroſa, ad capiendum ſe conuertebant, non capere dicebatur turpe, ſed qui mediocriter caperet, laudabatur, clarè oſtendit *Cicero* contemnere ſe pecuniam, multaq. argumenta dedit humanitatis, & facilitatis. Prætor Ciliciam latrocinijs liberauit. Conſul coniuratos capite puniuit. Et cùm Triumuiros ſe feciſſent, Octauianus, Cæſar, Lepidus, Antoniuſque, concordia non aliter viſa eſt inter eos iungi poſſe, niſi *Tullius* necaretur: qui immiſſis ab *Antonio* percuſſoribus, cùm fortè in villâ Caietanâ quieſceret, imminens exitium corui auſpicio didicit; Coruus enim in conſpectu eius horologij ferrum loco motum excuſſit, & protinus ad ipſum tetendit, ac laciniam togæ eouſque morſu tenuit, donec ſeruus ad eum occidendum milites veniſſe nuntiaret; & fugiens occiſus eſt à *Popilio* Centurione, quem in cauſâ capitis olim *Cicero* defenderat, & conſeruauerat. Huic *Popilio*, iugulum eius poſcenti, cùm barbam dexterâ prius diuulſiſſet, fortis, & intrepidus porrexit. *Iuuenalis* tamen dicit non caput ſolum, ſed etiam manum abſciſſam fuiſſe Ciceroni. Dicit enim in Satyra.

Ingenio manus eſt, & ceruix caſa, nec vnquam

San-

Sanguine cauſidici maduerunt roſtra puſilli

Eâque ſarcinâ tanquam opimis ſpolijs, alacer in vrbem reuerſus eſt. Neque ei ſceleſtum portanti onus ſuccurrit (inquit *Valer. Max.*) illud ſe caput ferre, quod pro capite eius quondam perorauerat. Inualidum ad hoc monſtrum ſugillandum literæ: quoniam qui talis Ciceronis caſum ſatis dignè deplorare poſſit, alius Cicero non extat. *Antonius* pro nauatâ operâ dedit *Popilio* ſeſtertium hoc eſt 44. aureorum millia. Vixit Cicero annos 63. menſes 11. dies 5. *Quintus Cicero* frater paucis diebus antea, à ſeruis proditus, vnâ cum filio interfectus eſt. *Diod. Appian Valer. Max. Plutar. Aurel. Vict.*

Euphorbus Scholaſticus tale Epitaphium poſuit.

Hic iacet Arpinas *manibus tumulatus amicis*,
Qui fuit Orator ſummus, & eximius.
Quem nece crudeli mactauit ciuis, & hoſtis?
Nil agis, Antoni, *ſcripta diſerta manent*.
Vulnere nempe vno Ciceronem *conficis: at te*
Tullius *æternis vulneribus lacerat*.

ANTIPATER Procurator Iudçæ imprudens ſeruauit *Malichum* vt ſe perderet. Hic vir callidus, & inſidioſus tum maximè timens Antipatrum, decreuit è medio tollere, corruptoque pincernâ Hyrcani, apud quem ambo epulabantur, veneno necauit hominem, & aſſumptâ armatorum manu ſuſcepit ciuitatis gubernacula. Cæterùm poſtquam Herodi, ac Phaſaelo innotuerunt ſtructæ in parentem inſidiæ, indignantibus illis *Malichus* ſtrenuè pernegauit omnia: atque hic fuit finis Antipatri, viri iuſti, ac pij, & patriæ amantiſſimi. Ex filijs autem alter *Herodes* confeſtim volebat patris mortem vlciſci, & cum exercitu aggredi *Malichum*: ſed *Phaſaelo* grandiori magis placuit dolo circumuenire hominem, ne videretur ciuile bellum incipere: itaque acceptâ Malichi ſatisfactione ſimulauit ſe credere, non eſſe illum paternæ necis conſcium: ſeque vertit ad excolendum monumentum quod patri ſtruxerat. Attamen *Herodes* de patris obitu *Caſſio* ſignificauit per litteras: & ille qui non ignorabat mores Malichi, reſcripſit vt vlciſceretur parentis iniuriam: clàm

etiam mandauit Tribunis apud Tyrum agentibus, vt adeſſent Herodis iuſtis conatibus. Cùmque captâ à Caſſio Laodiceâ, ſimul ad eum iter facerent afferentes coronas & pecuniam, Herodes expectabat daturum eſſe illic pœnas Malichum; at ille circa Tyrum Phœnices ſuſpicione conceptâ, maiora moliri cogitauit: & quia filius eius obſes in eâ vrbe ſeruabatur, decreuit eam ingredi, & furtim illum in Iudæam abducere; & occupato contra Antonium Caſſio, gente ad defectionem concitatâ, ſibi ipſi principatum eius acquirere. Sed conſilijs eius fortuna aſpirare noluit, & *Herodes* homo callidus intellecto eius propoſito, præmiſſo famulo quaſi ad parandam cœnam, quia comites omnes inuitauerat, re autem verâ ad Tribunos, iuſſit eos Malicho cum pugionibus occurrere. Illi verò egreſſi, & nacti, eum propè vrbem in littore confoderunt hominem, quo facto *Hyrcanus* adeò eſt attonitus, vt obmutuerit; tandem ægrè ad ſe reuerſus percontabatur Herodem quid hoc rei eſſet, & quis interfeciſſet Malichum, & audito factum eſſe iuſſu Caſſij, laudauit facinus, malum enim virum fuiſſe, & inſidiatorem patriæ, atque ita *Malichus* pro oppreſſo Antipatro pœnam perſoluit debitam. *Ioſeph.*

ANNO M. 3961.

C. CASSIVS LONGINVS, vnus ex interfectoribus Cæſaris. Quæſtor Craſſi in Syriâ factus, poſt eius cædem, collectis reliquijs in Syriam redijt. Victus ab Antonio, cùm videret Brutum reuertentem, & hoſtes victores eſſe putaret, eodem ſe pugione, quo Cæſarem percuſſerat, transfixit. *Dio.*

MARCVS BRVTVS poſt veniam à Cæſare acceptã, cum alijs coniuratis in curiâ *Cæſarem* occidit: Cùmque noctu ſolus in conclaui moraretur, apparuit ei prægrandi viri horrenda imago: interrogante Bruto, Quis eſſet! Quidue ſibi vellet! Reſpondit: Tuus ſum, inquit, Brute malus genius, in Philippis me videbis, ad quæ Brutus animo præſtanti, videbo ergo: & ſimul imago iſta euanuit. In prælio deindè aduerſus Augustum, & Antonium ad Philippos geſto, victis, fugatiſque ſuis copijs, impetrauit à Stratone Ægeate familiari ſuo, vt manum

R mo-

morituro commodaret ſibi: reiectoque læuo ſuper caput brachio, cum mucronem gladij eius dexterâ tenens, ſiniſtræ admouiſſet mammillæ, ad eum ipſum locum, quà cor emicat, impellens ſe in vulnus, vno ictu transfixus expirauit, annum agens trigeſimum ſeptimum. *Dio.Sext. Aurel.Vellei.* Coniux eius, cùm ardentem carbonem deglutijſſet, perijt. Nec multò poſt *Decius Brutus* conſiliarius coniurationis in Cæſarem ab Antonianis iugulatur. Et ſic Percuſſorum Iulij Cæſaris exitus tragicus fuit, de quibus *Suetonius* ſcribit: Percuſſorum ferè neque triennio quiſquam amplius vixit, neque ſuâ morte defunctus eſt: damnati omnes, alius alio caſu perijt, pars naufragio, pars prælio, nonnulli ſemet eodem pugione, quo Cæſarem violauerant, interemerunt. Hæc *Sueton. in Cæſar.*

ANNO M. 3962.

PARTHI poſtquàm apud Hieroſolymam prædâ potiti ſunt, ad hoc iniuriæ proceſſerunt, vt omnem terram illam bello implacato replerent: Mariſâ quoque Ciuitate vaſtatâ: nec ſolum *Antigonum* Regem conſtituerent, verùm etiam *Phaſaelum* Antipatri filium, & *Hyrcanum* vinctos ei traderent verberandos. At Antigonus *Hyrcani* quidem auriculas dentibus truncat, vt nè ſolutus quidem mutatis rebus vnquàm Pontificatum recipiat: *Phaſaeli* verò virtute præuentus eſt Antigonus. Qui cùm nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, ad ſaxum fracto capite interijt. Fertur tamen, quòd ex illâ quidem plagâ reſipuerit, ſed veluti curandi eius causâ, miſſus ab Antigono medicus, venenis malis vulnus expleuerit, eoque illum pacto peremerit. *Ioſeph.*

ANNO M. 3965.

TEDIVS Afer Conſul deſignatus, vt ſufficeretur *Claudio*, minis Auguſti territus, priuſquam Magiſtratum iniret, ſe de ſaxo præcipitauit. *Suet.*

PACORVS Rex Parthorum Iudæâ potitus, à *P. Ventidio*, funditoribus egregijs inſtructo vincitur, & interficitur, hoc ſtra-

Digitized by Google

ſtrat agemate: Cùm *Pub.Ventidius*, Pacorum exercitum colligere, & in Syriam proficiſci, audiſſet; in metum peruenit, cùm neque vrbes eſſent adhuc conſtitutæ, & exercitus in hybernis etiamnùm diſperſi: vtque & moram Pacoro inijceret, & tarditati ſuarum copiarū mederetur vocauit Regulū quendam *Chaunæum* notum quidem ſibi familiaritèr, ſed quem certò ſciebat Parthis magis cupere, cùm alioquin tanquàm fidiſſimum ſibi in honore habuit, tum conſilium quoque nonullis in rebus ab eo petijt, ita vt citrà ſuum tamen detrimentum hanc ei de ſe opinionem præberet, quaſi conſcium eum ſuorum arcaniſſimorum conſiliorum faceret: eo re deductâ, ſimulauit ſe metuere, ne barbari, conſueto ſuo Euphratis tranſitu, qui eſt apud Vrbem Zeugma, ommiſſo, aliâ viâ infrà eum locnm flumen tranſirent, quòd hìc campi Parthis, ibi verò colles ſibi commodi eſſent: idque perſuaſit *Chaunæo*, & per eum etiam Pacorum decepit, ita vt Campeſtri itinere (quo *Vintidius* finxerat ſe eum nolle venire) prolixiori delecto, ſpatium copias ſuas cogendi Ventidio daret. Porrò *Ventidius* ita paratus, Pacorum in Syriâ Cyrrheſtica prælio vicit. *Diod. Cornel. Tacit.*

ANNO. M. 3966.

ANTIGONVS Ariſtobuli filius, expugnatis à Soſio, & Herode Hieroſolymis, mandante *Antonio* apud Antiochiam ſecuri percutitur. *Herodes* verò quadraginta quinque *Primates* ex factione Antigoni interfecit, appoſitis ad portas cuſtodibus, qui etiam cadauera ſcrutabantur, ne quis eorum efferretur pro mortuo. Atque ita Aſſamonæi principatus deſijt poſt annum centeſimum vigeſimum ſextum: quæ domus, inquit, *Ioſephus* illuſtris fuit, & celebrata propter continuatum in eâ gente honorem ſacerdotij, facinoraque maiorum egregia, quibus propugnauerunt Iudæorum rempublicam. Verùm hæc familia inteſtinis ſeditionibus agitata amiſit imperium. Adminiſtratio autem rerum peruenit ad *Herodem* Antipatri filium, plebeio natum genere, & ſubiecto Regibus. *Ioſeph.*

Digitized by Google

ANNO M. 3968.

CAptâ Hieroſolymâ, cauens HÆRODES, ne quis illuſtrium crearetur Pontifex, accito Babylone obſcuri generis Sacerdote, iam dudum ſibi noto familiariter, ex genere quidem Pontificio, ſed ex Iudæis olim vltrà Euphratem traductis oriundo, Ananelo, ſiue Hananeele dicto; ſummum ei Sacerdotium donauit. In feſto autem Tabernaculorum *Ariſtobulus* nepos Hyrcani ex filiâ, ab Herode vxoris impulſu, nouus Pontifex creatur, 17. annos natus; ideò ad Altare, Pontificali ornatu, ſacris iuxtà legem operaturus acceſſit. Sed cùm is populo acceptiſſimus eſſet, cœpit Herodes ſibi ab eo timere, ideò eum euocatum Hiericuntem ad conuiuium, & ad luſus, vt animi causâ in piſcinis nataret, per eos qui ſubornati fuerant, in aquâ ſuffocauit: Cuius mors non tantùm Regiam, ſed ciuitatem, tum mulieres maximè turbauit. *Herodes* verò modis omnibus curabat fidem facere, ſe inſcio caſum hunc contigiſſe, non luctum ſolum fingens, ſed & lacrymas, & mæſtitiam veræ ſimillimam. Et quo maius miſeris mulieribus afferret ſolatium, magnificentiſſimo funeris apparatu cadauer extulit: nihil ſibi ad ſummam liberalitatem faciens reliquum, tam in exornando conditorio, quàm in congerendis aromatibus, alijſque rebus pretioſiſſimis. *Ioſeph.*

ANNO M. 3969.

SEXTVS POMPEIVS Pompei Magni filius in Hiſpaniâ apud Mundam victus, amiſſo fratre, reliquijs exercitus collectis Siciliam petijt: vbi ruptis ergaſtulis mare obſedit. Verùm deſperatâ à mari ſalute, apparatu grauiori in naues coniecto, ijſque accenſis, in mediterranea contendit: quem inſecuti *Titius*, ac *Furnius*, Midaij (Phrygiæ oppidum eſt) deprehenderunt, circumdatumque, in ſuam poteſtatem viuum redegerunt. *Antonius* certior de eâ re factus, irâ permotus, confeſtim eis per litteras mandauit, vt interficerent Pompeium: paulò poſt pœnitentiâ captus, ſalute eum donari iuſſit. Atqui cùm priorem Tabel-

bellarium poſterior præueniſſet, Titio poſteriores ei litterę ſunt redditæ, quibus necare Pompeium iubebatur, eaſque vel ſcrip-ptas omninò poſterius eſſe ratus, vel cognitâ quidem rei veritate, fidem tamen habere nolens; ordinem litterarum, vt ſibi redditæ erant, non ſenſum ſecutus eſt. Ita *Sextus Pompeius* occiſus eſt. *Diod. Sext. Aurel Vict.*

ANNO M. 3972.

BOGVD Rex Mauritaniæ, in Hiſpaniam, ſiue Antonij iuſſu, ſiue ſuâpte voluntate, nauigauit, eique & dedit multum mali, & viciſſim accepit: Interimque deficientibus ab eo Tingitanis, ex Hiſpaniâ receſſit, neque ſuum regnum recepit. Quippe qui in Hiſpaniâ Cæſari fauebant, ij Bocchi auxilio Bogudem vicerunt. *Bogud* ad Antonium ſe contulit, *Bocchus* regnum eius occupauit; idque Cæſar ei confirmauit. Tandem *Agrippa* Methonam in Africe expugnat, occiditque Bogudem. *Dio.*

HYRCANVS Alexandri Iannæi filius, ad Arabes ſuaſu filiæ Alexandræ, inquietiſſimæ mulieris, fugere conatur; ideò iratus Herodes eum occidit, ætatis anno octuageſimo, quadrageſimo verò quarto, poſtquàm mortuo parente Pontifex factus eſſet. *Ioſeph.*

ANNO M. 3973.

CLEOPATRA Ptolemæi Regis Ægyptiorum filia, blandiendi magiſtra, à fratre ſuo Ptolemæo eodemque marito, quem fraudare regno voluerat pulſa, ad *Cæſarem* bello ciuili in Alexandriam venit: ab eo ſpecie ſuâ & concubitu, regnum Ptolemæi & necem impetrauit. Hæc tantæ libidinis fuit, vt ſæpè ſe proſtituerit: tantæ pulchritudinis, vt multi noctem illius morte emerint. Poſteà inſano amore *Antonio* iuncta, eo inſcio multa Auguſto munera mittit; Auguſtus contra ipſi, ſi Antonium interficiat regnum promittit. Auguſtus in Ægyptum veniens, Peluſium proditione Cleopatræ cæpit: *Antonius* verò Alexandriam tendens, equitatu Auguſtum propè Alexandriam vincit. Indè calendis ſextilibus Auguſtus viciſſim equitatu vincit.

Digitized by Google

cit. Eodem die cùm claſſis contra Auguſtum inſtrueretur, tota claſſis ad Auguſtum tranſijt. Cùm nihil procederet, in Hiſpaniam tranſire parat; ſed & cùm hoc fruſtra tentaſſet, Cleopatra primùm, quaſi mortis ſibi conſciſcendæ cauſa, in monumentum inſiluit, quòd verè putans *Antonius*, ſibi ipſi vim infert, & in ſinu Cleopatræ mori voluit: quòd Cleopatra ad Auguſtum nunciauit, ſed & regnum dedidit, & cùm metueret, nè in triumpho duceretur, aſpidis morſu perijt. *Dio. Aur. Vict.* Hoc Cleopatræ Antonijque miſerabile ſpectaculum, ſic graphicè deſcribit. *Plutarch. in M. Ant.* Peditatu fuſo, recepit ſe *Antonius* in vrbe, proditum ſe à Cleopatrâ vociferans ijs in quos illius causâ ſumpſerat arma. Quæ cùm iram eius & deſperationem formidaret, confugit ad monumentum, cataractaſque dimiſit clauſtris, & repagulis firmatas, ac miſit ad Antonium nunciatum defunctam ſe eſſe. Id credens ille, & ſecum loquutus, Quid vltrà moraris Antoni? vnicam fortuna, & reliquam eripuit tibi trahendi ſpiritus cauſam: cubiculum ingreditur, laxanſque, & aperiens loricam, *Non crucior*, inquit, *Cleopatra, quia te ſum orbatus (mox enim iſtuc adero) ſed quòd tantus Imperator ſuperari animi celſitudine deprehenſus ſim à fœmina*. Erat ſeruus ei fidus *Eros* nomine. Hunc iam pridem orauerat, ſi res poſtularet vt interficeret ipſum. Tunc exegit promiſſa. Ille diſtrictum enſem extulit, quaſi illum icturus: verùm auerſo vultu interemit ſemetipſum. Quo ad pedes ſuos collapſo: Antonius, Macte Eros, inquit, qui, quod non ſuſtinuiſti mihi id facere, quid faciendum ſit doces. Ita ventrem fodit, atque in lectulum dimittit ſe. Ictus non fuit is, qui maturaret mortem. Vndè curſu ſanguinis, poſtquam decubuit, inhibito, refocillatus, orauit aſſiſtentes vt ſe confoderent: illi eiecerunt ſe ex cubiculo, vociferante, & diſcruciante ſe Antonio, dum *Diomedes* ſcriba venit ad Cleopatram, iuſſus eum in monumentum ad illam deportare. Quam vt cognouit viuere, ſeruis imperauit ardenter, vt tollerent ſe, ac manibus ad ianuam ædificij eſt geſtatus. Non reſerauit Cleopatra fores, ſed ex feneſtris ſpectans reſtes & funicolos demiſit: his annexum Antonium traxit in altum ipſa, &

duæ

Digitized by Google

duę mulieres, quas in monumentum ſolas ſecum duxerat. Nil aiunt fuiſſe illo ſpectaculo, qui adfuêre lamentabiliùs. Quippè ſanguine oppletus, & animam agens trahebatur, manuſque verſus illam porrigebat, & annitebatur ſuſtollere ſe. Neque enim id mulieribus factu procliue erat; ſed magno labore Cleopatra manibus incumbens, & pronâ facie, apprehendit vinculum, excitantibus eam, qui infrà ſtabant, & vicem eius anxijs. Vt eum hoc modo accepit, & depoſuit in lectum, peplâ eum lamentans dilacerauit, pectuſque ſuum percutiens, & lanians manibus, cruoremque facie abſtergens, Dominum, Virum, Imperatorem appellauit, ac ſuorum penè malorum eſt illius miſeratione oblita. Lenito Antonij eius dolore, vini hauſtum popoſcit: vel quod ſitiret, vel quòd celeriùs ita expiraturum ſe ſperaret. Poſtquam bibit, monuit eam vt rerum ſuarum, ſi abſque turpitudine liceret, conſuleret incolumitati, ac præcipuè inter amicos Cæſaris fidem adiungeret Proculeio; ſe verò ob nouiſſimarum rerum conuerſionem nè lamentaretur: ſed gratularetur ob bona, quæ fuerat conſequutus, quòd omnium hominum fuiſſet clariſſimus, & plurimum potuiſſet, atque eo tempore non ignauitèr eſſet Romanus à Romano ſuperatus. Iam efflabat animam, cùm à Cæſare adfuit Proculeius. Cùm enim ſemetipſum *Antonius* percuſſiſſet, & ferretur ad Cleopatram, *Dercetaus* quidam eius ſatelles rapto Antonij pugione reconditoque, ſubduxit ſe, currenſque ad Cæſarem exitum Antonij primus nuntiauit ei, atque enſem oſtendit cruentum. Et hic fuit Tragicus finis *M. Antonij*, poſtquàm vixiſſet annos quinquaginta ſex.

Cleopatra verò cùm Cęſarem oraſſet, vt ſibi inferias dare permitteret Antonio, annuit ille, & vbi ad monumentum eſt perlata, incumbens cum familiaribus mulieribus in tumulum, *Nuper te*, inquit, *liberis adhuc manibus, chare Antoni, funeraui, nunc parento captiua, & cuſtodita, ne planctibus, & lamentationibus ſuggillem ſeruile hoc corpus, quod ad triumphum de te ſeruatur. Alios honores vel iuſta nè expectaueris, verùm hæc tibi à Cleopatra, quæ abducitur, ſunt nouiſſima. Viuos nos nihil diſtraxit, nunc verò morte videmur commutari loca: tu vt Romanus hic iaceas, infe-*

lix

lix ego hìc in Italia, hactenus modò patriæ particeps tuæ. At ſi quid iſtic Numina valent, & poſſunt (nam noſtrates nos dij prodidere) noli deſerere viuam tuam coniugem, neque in me permittere triumphum duci de te, ſed hìc me tecum abde, & conde; nam mihi ex infinitis malis nihil tam graue, vel acerbum eſt, quàm breue hoc tempus, quod te ſine vixi. His editis lamentatis, poſtquam coronas, & oſcula tulit, pręcepit ſibi parari balneum. Lota accubuit, & ſplendidè eſt epulata. Tum ciſtam quidam rure veniens attulit. Percuntantibus quid ferret ſatellitibus, aperiens, & auferens folia cophinum plenum ficorum oſtendit. Mirantes ſpeciem, & magnitudinem, arridens, inuitauit vt ſumerent. Illi nihil ſuſpicati, iuſſerunt ficos eum intrò ferre. Sub prandium tabulas, quas ſcriptas, & conſignatas habebat, miſit Cleopatra ad Cæſarem; tum omnibus eiectis reliquis præter duas illas fœminas obdidit fores. Solutis tabulis Cęſar vt obſecrationes, & queſtus legit precantis, vt apud Antonium conderetur: intellexit illicò quid geſtum eſſet. Ac primùm inſtitit illuc ipſe accurrere, deindè ſpectatum properè miſit, quid rei eſſet; verùm momento tranſactum cum illa fuerat. Nam curſu illuc profecti, & ſtationem nihil offendentes ſenſiſſe, reſeratâ ianuâ defunctam inuenerunt, & in aureo iacentem lecto, regio cultu exornatam. Ex mulieribus eius, *Iras* nomine ad pedes eius expirauerat, *Charmium* iam lapſabunda, & capite grauata componebat diadema, quo redimitum erat caput eius. Ibi cùm quidam fremens dixiſſet, *Hæccine pulchra Charmium? Pulcherrima ſanè*, inquit *decentiaque Regum propaginem tam multorum*. Nihil amplius loquuta iuxtà lectum ibi concidit. Perhibent aſpidem, inter ficos illas illatam folijſque fuiſſe intectam. Ita enim iuſſiſſe Cleopatram, vt ignorantis corpus beſtia inuaderet: vt tollens de ficis conſpexit eam, dixiſſe Cleopatram, nempè hic illa eſt, brachiumque nudatum morſui prębuiſſe. Alij incluſam hydriæ aſpidem, atque ita fuiſſe autumant aſſeruatam, fuſoque aureo ipſam laceſſentis, & ſtimulantis arripuiſſe Cleopatræ brachium. Sed veritatem nouit nemo: quando venenum quoque geſtaſſe proditum eſt eam in nouaculâ cauâ, eamque recondiſſe comâ

ſuâ.

Digitized by Google

ſua. Verùm nec macula in corpore exſtitit, neque aliud veneni veſtigium. Neque verò beſtia illa intus comparuit. Tractus aliquot eius tantùm iuxta mare, quod cubiculum ſpectabat, & feneſtræ erant, aiunt deprehenſos. Nonnullis brachium quoque Cleopatræ notas duas ex punctione viſum eſt habere tenues & exiles: quibus crediſſe Cæſar videtur. Siquidem in triumpho eius immago translata eſt ipſius Cleopatræ, & aſpidis mordicus brachio affixę. Hæc eo modo feruntur geſta. Exceſſit Cleopatra annos nata vndequadraginta, quorum duos & viginti regnauit, imperauit cum Antonio amplius quatuordecim. *Hactenus Plutarch. in M. Antonio.*

ANNO M. 3974.

DELDO Baſtarnarum Rex vincitur, & interficitur à *Craſſo* in Macedoniam contrà Dacos & Baſtarnas miſſo. Cùm enim Craſſus victis Miſijs aduerſum Baſtarnas quoque iret, miſſis legatis, ne ſe inſequeretur interdixerunt, neque enim ſe vllam Romanis iniuriam feciſſe. *Craſſus* legatos retentos, tanquam poſtridiè reſponſurus humaniter tractauit, vinoque inebriauit (quod immodicè ſcythica omnis natio ingurgitare ſolet, facileque eo repletur) hacque arte omnia eorum conſilia expiſcatus eſt. Interim in ſyluam de nocte progreſſus, ſpeculatoribus antè eam conſtitutis, exercitum quiete refecit. Baſtarnæ ſpeculatores conſpicant, cùm ſolos eos eſſe putarent, impetum in eos fecere: ijſque in loca arboribus conſita ſe recipientibus inſtantes magna, & ibi, & rurſum fugientes, clade affecti ſunt; nam & à tergo currus ipſorum obiecti fugam impediebant, & vxores ſimul, liberoſque eripere cupientes, vnà peribant, Regēque ipſorū *Deldonem* ipſe *Craſſus* interfecit. Reliqui aut in Syluam confugientes, cum eâ cremati ſunt: aut in oppidum euadentes expugnatione capti: aut in Iſtrum incidentes, vel per regionem hinc indè diſperſi, perierunt. *Diod.*

ANNO M. 3975.

ANTHARIVS Sicambrorum Rex, cùm Galli in Germaniā irruerent, magno exercitu ipſis reſtitit, ſed infelicitèr pugnans prẹlio victus eſt & cæſus, cùm viginti ſuorū millibus, anno trigeſimo quinto regni ſui, ſuccedit ipſi filius *Francus*, qui regnat annis 28. *Trith.* S COR-

CORNELIVS Gallus præpoſitus Aegypti, hoc anno Thebas Aegypti diripit, & Pyramidibus, quas refecerat, nomen ſuum inſcribit, quo nomine apud Auguſtum delatus, ſe ipſum tandem interficit. *Pollion. Cic. Tibul. & Virgil.*

MARIAMNES coniux Herodis, falſo de veneno Herodis offerendo delata, apud ipſum ſuſpecta redditur; & adeò animus inter amorē & odiū ambigebat, vt cùm ſæpè cuperet punire mulieris ſuperbiā, intercedente amore vetaretur: eæque ſuſpiciones paulatim creſcentes durauerunt integrū annū poſt Herodis à Cæſare reditū, tandē diu præmeditatū odiū in hunc modum erupit. Cùm meridiano tempore quietis causâ in cubiculū ſe Rex contuliſſet, pro coniugali affectu Mariamnē accerſit; hæc autem introgreſſa quidem eſt, ſed vnâ cubare noluit, rogantē cōtemnens, & inſuper patris, ac fratris ſui necem opprobrans: quo indignè ferente, & vix ab inferendis mulieri manibus temperāte, poſtquàm ex ſtrepitu commotiorē eum ſenſit ſoror, ſubmittit iamdudum ſubornatum pincernam, qui indicaret ſollicitatam ſe eſſe à Mariamne vt ei operam commodaret in propinando Regi amatorio poculo: & ſi amplius ſciſcitaretur quale nam id eſſet, diceret pharmacū penès ipſam eſſe, à ſe requiſitum tantū miniſteriū; quòd ſi Rex mentione amatorij nihil moueretur, tū & ipſe ſileret, nihil enim illi fore periculi. Hæc prædoctum illo ipſo temporis articulo intromittit ad eum alloquendū, atque is compoſito vultu ingreditur, & quaſi rem valde ſeriā afferens, ait ſe largitione à Mariamne ſollicitatum, vt amatorium Regi miſceret: quo audito cùm ille perturbaretur, ait pharmacū quoddam ſibi oblatum, cuius ipſe vim ignoret, ideòque id renunciare, quòd hoc & Regi & ſibi tutius exiſtimet. Ad hæc verba *Herodes* iam antè ſatis commotus, cùm magis etiam exaſperatus eſſet, Eunuchum Mariamnes fidiſſimum tormentis examinauit, ſciens, quòd ſine illo nihil nec magnum, nec paruum tentatum ſit: qui cruciatus non ferens, ad interrogata quidē nihil reſpondit, hoc tantū prodidit, offenſam eſſe mulierē propter ea quæ *Sohemus* indicauerat. Adhuc eo loquente exclamat Rex, Sohemus & ſibi ante hac & regno fidiſſimum non fuiſſe hæc proditurum, niſi aliquid cōmercij ſecretioris inter ipſos interceſſiſſet; moxque Sohemum compre-

hen-

henſum imperat interfici, vxorem verò cauſam ſuam iubet agere aduocato intimorum amicorum conſilio,accuſationem accuratam exorſus,& confictum veneficij intentans. Erat autem verbis immodicus, & iratior quàm decorum iudicij poſtulat: quo factum eſt, vt cùm eum ita velle viderent, omnium qui aderant ſuffragijs damnata ſit,quâ ſententiâ prolatâ,viſum tamen eſt tā ipſi,quàm alijs quibuſdā præſentibus, non eſſe eius ſupplicium præcipitandum,ſed includendam in aliquam Regię carcerem.At *Salome* cum ſuâ factione modis omnibus dedit operam vt mulier ſine morâ necaretur: quò tanto facilius Regē perpulerunt,quòd dicerent timendum eſſe aliquem motum in populo,ſi ſciretur viuam aſſeruare in carcere atque ita *Mariamnes* ducta eſt ad ſupplicium. Eâ peremptâ impotentiùs etiam flagrare cœpit Rex, iā ante miſerè affectus; neque enim vulgari coniugum more amabat,ſed cùm penè ad inſaniam vſque indulgeret huic cupidini, ne licentioribus quidem vxoris moribus effici potuit, ne in dies magis,ac magis eam diligeret. Tùm verò maximè ſibi viſus eſt irato Deo necaſſe Mariamnem: ſæpè inuocabat eius nomen,ſæpè etiam indecorè lamentabatur; excogitabat autem oblectamenta quæcumque poterat,apparandis conuiuijs, ac compotationibus,nihil tamen proficiebat:quare & regni curam reliquit, adeò que dolori ſuccubuit,vt ſępè miniſtros iuberet vocare *Mariamnen*,quaſi illa adhuc viueret. *Ioſeph.*

ANNO M. 3977.

HERODES ob deſiderium *Mariamnes* in grauē morbū incidit. Is erat inflammatio,& dolor ceruicis, mente etiam morâ nonnihil,nec remedia quidquam proderant,ſed cùm exacerbare potius malum viderentur,res nimium à deſperatione abfuit.Ipſi *Alexandra* mater Mariamnes inſidiatur, & munitiones quoſdam ſibi tradi poſtulat.Herodes eū interfici iubet. Occidit præterea alios,qui ex familiâ Antigoni quoſdam cùm Hyeroſolima caperetur, occultauerant,& poſteà fouerant. *Ioſeph.*

ANNO M. 3983.

TIBERIVS mittitur ab Auguſto in maiorē Armeniā, vt *Tigranē* ibi Regē cōſtitueret,& *Artabazē* eius fratrem regno pelleret;ſed ante eius aduentū ab Armenis occiditur *Artabazes*, Tigraneſq;Rex efficitur.*Diod.* S 2 HE-

ANNO M. 3998.

HERODES Antipatri filius,expugnatâ Hieroſolymâ,omnia repleuit cædibus. Non ætati, non ſexui,nõ dignitati nulli pepercerunt rabidi milites, adeout Herodis atrocẽ animũ ſubigeret tantarum aſpectus miſeriarum,rogitaretque Soſiã, *an ſolitudinis ſe regẽ facturi eſſent Romani*. Nec finis rapinarum,& cædium fuit,quod ipſe Herodes ſuo ſumptu vlteriorem vexationẽ redimeret. Atque ita regno potitus eſt Iudaico,omniumque primus extranei, & plebei generis illum apicem acquiſiuit. Nouem vxores habuit, ſed ex numeroſâ prole miſerior, quàm beatior: duos à Mariamne procreatos, *Alexandrum*,& *Ariſtobolum* filios, fortunæ regiæ,in quam alebantur,câpaces, cum calumnijs ſororis *Salomes*, & maximi natu Antipatri, patulas præbuiſſet aures, poſt inueteratum odium occidit,quibus tamen ipſe poſtea deſignatum iam ſucceſſorem, velut inferias miſit Antipatrum, compertâ eius inſigni malitiâ. Atque hoc pacto ſocerum *Hyrcanum*, *Alexandram* ſocrum,Reginam *Mariamnem*,treſque iuſuper præcipuos filiorum,crudelis Rex, crudelior gener,crudeliſſimus pater, & maritus iugulauit. Ideò *Auguſtus* fertur dixiſſe, *Præſtare Herodis porcum eſſe, quàm filium*. Poſt quatuor annos, nempè anno Mundi 4002. Chriſti.2. (iuxtà noſtram Chronologiam in calce *Bibliothecæ Latino-Hebraicæ* exhibitam, quâ probabiliter ſtatuitur Natale Chriſti anno Mundi 4000.) cùm eius morbus ingraueſceret, defertur ad Iordanem in thermas,quæ ipſi tamen ſalubres non fuerunt: ideò Hiericuntem redit, vbi ex toto regno,omnes qui vel authoritate, vel opibus excellerent, ſeueriſſimo mandato ſub capitis pœnâ euocat, & poſt mortem ſuam occidi iubet,vt ſubditi etiam nolentes lugerent. Indè occidit filium *Antipatrum*, & poſt quinque dies moritur: anno poſtquam à Senatu Rex declaratus fuerat quadrageſimo, vel ſecundùm alios trigeſimo ſeptimo: ſuccedit Hieroſolymis *Archelaus*. Regnum enim in tetrarchias ab Auguſto diuiſum fuit, ita vt Herodes Antipas,& Philippus ſingulas acciperent. *Archelaus* verò binas. *Ioſeph. Dio.&c.*

Finis primæ partis.

INDEX

INDEX PRIMÆ PARTIS

Numerus indicat paginam.

A

Abimelech pagina 1.
Abſalom pag. 9.
Achęus. 85. 87.
Achitophel. 9.
Adherbalis filius Micipſę Numidarum Regis. 107.
Adonias filius Dauid. 9.
Adramelech. 17.
Ægeus Rex Athenienſium. 4.
Ægiſthus. 7. 8.
Æneas. 7.
Agamemnon. ibid.
Agathocles Siciliæ Tyrannus. 67. 69. 71. *Ageſiſtrata.* 79.
Agis Rex Lacedæmoniorum. 77.
Agrippa filius Tyberini. 10.
Alcamenes filius Telecli. 14.
Alcibiades Athenienſium Dux. 58
Alexander Antiochi Nobilis filius. 96.
Alexander Caſſandri filius. 70.
Alexander Epiri Rex. 58.
Alexander Magnus. 59.
Alexander Pheręus. 51.
Alexander Zebenna XVII. Rex Syriæ. 105.
Alladius Rex Latinorum. 13.
Aman. 31.
Amaſias Rex Iudæ. 14.
Amaſias Rex Ægypti. 28.
Ameſtris Regina Perſarum. 34.
Ameſtris uxor Artaxerſis. 50.
Amnon primogenitus Dauidis. 9.
Amon filius Manaſſis. 20.
Amphares. 78.
Amyntas Ægypti Tyrannus. 58.
Androgeos. 5.
Antharius Sicambrorū Rex. 137.
Antigonus Ariſtobuli filius. 131.
Antiochus II. Rex Syriæ. 76.
Antigonus filius nothus Philippi Regis Macedonię. 69.
Antiochus III. Rex Syriæ. 92.
Antiochus Cizicenus 111.
Antiochus Dionyſius Rex Damaſci. 114.
Antiochus Entheus XIII. Rex Syriæ. 98.
Antiochus Epiphanes VIII. Rex Syriæ. 95.
Antiochus Eupater IX. Rex Syriæ. 96.
Antiochus Euſebes 111.
Anciochus frater Seleuci. ibid.
Anciochus Grippus XVIII. Rex Syrię. 110.
Antiochus Sidetes XV. Rex Syriæ.

Digitized by Google

ria. 102.
Antipater Procurator Iudaæ. pag. 128.
Antiſtius Ædilicius 115.
Antonius maritus Cleopatræ. 135.
Apries Rex Ægypti. 23.
Arbaces Præfectus Medorum. pag. 11.
Archelaus Rex Macedoniæ. 39.
Archidamus. 80.
Archidamus Spartanorum Rex. pag. 55.
Argiui. 46.
Aridæus Macedoniæ Rex. 64.
Ariſtobulus Iudęorum Rex. 108.
Ariſtobulus Alexandri Iannæi filius. 120.
Ariſtodemus. 16.
Ariſtotimus Tyrannus. 75.
Artabazes. 139.
Artaxerſes Rex Perſarum. 36.
Artaxerſes Mnemon. 48. 49.
Artabanus. 35.
Artaynta. 34.
Aſarchaddon. 17.
Aſcanius filius Mezentij. 7.
Aſdrubal Carthaginenſium Dux. pag. 84.
Aſtyages Rex Medorum. 27.
Athalia mater Ochoziæ. 10.
Athenio Rex Siciliæ. 109.
Atoſſa vxor Artaxerſis. 50.
Atreus. 6.
Attalus Rex Pergami. 84. 101.
Auentinus Rex Latinorum. 13.
Azarias Rex Iudæ. 14.

B

Bagoas Eunuchus. 55.
*Balthaſſar Rex.*27.
Baſſanus Francorum Rex. 77. 85.
Beloſus Babyloniorum Præfectus. pag. 12.
Beſſus. 57.
Bituitus Aruernorum Rex. 106.
Bogud Rex Mauritanię. 133.
Bomilcar Poenorum Dux. 68.
Brutus. 26.

C

Caius Iulius Cæſar primus Romanorum Imperator. pag. 125.
C. Aurelius. 116.
C. Carbonis Prætor. 115.
C. Caſſius Longinus. 129.
C. Fimbria Conſul. 115.
C. Gracchus Tribunus plebis. pag. 106.
C. Trebonius. 127.
Calanus Philoſophus. 60.
Callicrates Spartanorum Nouarchus. 38.
Calliſtenes Alexandri Regis nepos. 56.
Calpurnia vxor Antiſtij ædilicij. pag. 115.

Cam-

Digitized by Google

Cambyſes Medorum Rex. 28.
Candaules Myrſilus Rex Lydorum. 19.
Caris. 49.
Caſſander Antipatri filius, Tyrannus, & Regicida. 65. 70.
Cato Conſul. 113.
Ceninenſes. 15.
Chabrias Dux Athenienſium. pag. 42. 53.
Chedorlaomer Rex. 2.
Cinna Conſul. 114. 115.
Clearchus Heraclea Tyrannus. pag. 54.
Cleombrotus Spartanorum Rex. pag. 32.
Cleopatra Alexandri M. ſoror. pag. 67.
Cleopatra mater Antiochi Grypi Regis Syriæ. 110.
Cleopatra Regina Ægypti. 112.
Cleopatra Ptolomei Regis Ægyptiorum filia. 133.
Clodius Francorum Rex. 97.
Clytemneſtra. 7. 8.
Cn. Pompeius Pompei filius. 115. 120. 124.
Cocalus Rex Sicaniæ. 6.
Codrus Rex Athenienſium. 8.
Concolitanus Gallorum Rex. 82.
CorneliusGallus Prępoſitus Ægypti. 138.
Craſſus Mucianus Conſul. 102.
Craterus 62.
Critolaus Achaorum Dux. 97.
Cyaxares. 21.
Cyrus Rex Perſarum. 27.
Cyrus iunior. 48.

D

Damaſippus Prętor. 115.
Darius Codomannus vltimus Perſarum Monarcha. pag. 57.
Darius Nothus Perſarum Rex. pag. 48.
Debora. 4.
Deldo Baſtarnarum Rex. 137.
Demadas Orator Gręcus. 64.
Demetrius filius Philippi Regis Macedoniæ. 93.
Demetrius Soter X. Rex Syriæ. 96
Demetrius Nicanor. XVI. Rex Syriæ. 104.
Demetrius VI. Seleuci frater. pag. 111.
Demochares. 78.
Demoſthenes. 63.
Diodotus. 100.
Dion Syracuſanus. 54.
Dinyſius Harmocoratis filius. 37.
Dolabella Tribunus plebis. 127.

E

Ela Rex Iſrael. 9.
Epaminondas Thebanorum Imperator. 44.
Epialtes. 32. 36.

Eua-

Euagoras Rex Cypri. 44.
Euergetes. 84.
Euilmerodachus Nabuchodonoſoris filius. 24.
Eumenes Rex Aſię. 93.
Eunus Rex Siciliæ. 102.
Euphaes Rex Meſſeniorum. 16.
Euphron Lacedæmoniorum Dux. pag. 46.
Euridyces uxor Aridai. 65.

F

FOnteius Legatus. 112.

G

GAlli. 82. & *ſeqq*.
Gedeon. 4.
Goas Dux. 43.
Godolias. 22.
Gorgopas Spartanorum Dux. 42.
Gyges filius Candaulis. 19.

H

HAmilcar. 42.
Hannibal Dux Carthaginenſis. 76.
Harmocrates. 37.
Haſdrubal. 76.
Helenus Francorum in Germania Rex. 73.
Hercules Alexandri M. filius. pag. 65.
Herodes Antipatri filius. 140.
Hezarhunim. 5.
Hiarba Rex Numidię. 116.
Hiero Rex Syracuſanus. 76.
Hieronymus Syracuſanorum Rex. pag. 86.
Hipparchus Tyrannus Athenienſis. 31.
Holophernes. 20.
Hyppias filius Piſiſtrati. 31.
Hyempſalis filius Micipſæ Numidarum Regis. 107.
Hyperides. 63.
Hyppomenes. 16.
Hypſipyle. 6.
Hyrcanus Alexandri Iannęi filius. 130. 133.
Hyrcanus Dux Iudæorum, & Pontifex. 108.

I

IAſon Pheręus Tyrannus. 45.
Iehoram filius Ioſaphat. 10.
Iephte Galaadites. 7.
Inarus Rex Aegytiorum. 35.
Ioab. 9.
Ioas Rex Iudæ. 10. 14.
Ioram Rex Iſrael. 10.
Ioſaphat Rex. *Ibid*.
Isboſeth Rex. 8.
Iuba Rex Numidiæ. 123.
Iugurtha Numidarum Rex. 107. 108.

La-

L

LAboroſoarchus Rex. 26.
Lacedęmonij. 16.
Laomedons Troianorum Rex. 6.
Lauſusfilius Mezentij. 7.
Leana concubina Harmodij. 31.
Leonides Spartanorum Rex. 32.
Leonnatus Dux Phrygiæ. 62.
Lucius Appuleius Saturninus Tribunus plebis. 109.
Lucius Catilina. 118.
L. Cornelius Sulla Conſul. 113.
Luſius Tribunus militum. 108.
Lyſander Lacedæmoniorum Dux. pag. 39.
Lyſicles Athenienſium Dux. 55.
Lyſimachus Agathoclis filius. 72.

M

MAchanidas Lacedæmoniorum Tyrannus. 89.
Machæus Carthaginenſium Dux. pag. 40.
Magulſa Mauritaniæ Princeps. pag. 112.
Manaſſes filius Ezechiæ. 19.
Manlius Aquillius Conſul. 109.
M. Antonius Orator. 114.
Marcus Brutus. 129.
M. Licinius Craſſus Conſul. 119.
Marcus Liuius Druſus. 112.
Marcus Tullius Cicero. 127.
Mardonius Dux Perſarum. 32.
Mariamnes coniux Herodis. 138.
Marius Conſul. 108.
Matho Mercenariorum Dux. pag. 79.
Matienus Conſul. 100.
Menachem filius Gadi. 15.
Meſſenij. 16.
Metius Fufetius Dux Albanorum pag. 19.
Mezentius Tyrrhenus. 7.
Micipſa Numidarum Rex. 107.
Minos Rex in Creta. 6.
Mithridates Myſię Rex. 49. 69.
Mithridates Rex Ponti. 116.
Molo Pręfectus Mediæ. 85.
Mutius Scæuola. 31.

N

NAbis Lacedæmoniorum Tyrannus. 91.
Nabuchodonoſor I. Rex Babylonis pag. 22.
Nabuchodonoſor II. 23.
Nabuzardan. 22.
Nemrodus primus in Orbe Monarcha. 1.
Neoptolemus. 52.
Nepherites. 43.
Nicanor Demetrij Regis Dux. pag. 96.
Nileus filius Codri. 8.
Numa Pompilius Rex Romanorum. 18.

Ochus

O

Ochus VIII. Rex Perſarum. 55.
Octauius Conſul. 114.
Olympias Alexandri M. mater. pag. 64.
Ophellas Rex Cyrenarum. 67.
Oreſtes filius Agamemnonis. 8.
Oreſtes Theſſalorum Rex. 36.
Oribus Rex. 5.
Oriſſo Hiſpaniarum Rex. 80.
Orus Rex Dioſpolitanorum. 3.
Oſaces Parthorum Dux. 119.
Oſee filius Ela. 16.

P

Pacorus Rex Parthorum. pag. 130.
Pandion Rex Athenienſium. 4.
Parthi. 130.
Pauſanias Macedonum Rex. 40.
Pauſanias Rex Spartanorum. 33.
Pelopidas Thebanorum Legatus. pag. 47.
Perdiccas Aridæi Regis adminiſtrator. 63.
Perdiccas Rex Macedoniæ. 51.
Perſeus nepos Acriſii Regis Argiuorum. 3.
Perſeus Rex Macedoniæ. 94.
Phacee Rex Iſrael. 16.
Phaebidas. 44.
Pharao Rex Ægypti. 3.
Philippus Macedonum Rex. 56. 86.
Philiſtus Dionyſii Dux. 53.
Philomelus Phocenſium Dux. ibid.
Philopœmenes Achæorum Imperator. 92.
Phraartes Parthorum Rex. 103.
Pliſtonactes Spartanorum Rex. pag. 37.
Polyperchon. 52.
Polycrates Samiorum Tyrannus. pag. 29.
Polyphron Pheræus Teſſalorum Princeps. 46.
Porſena Rex Cluſinorum. 31.
Prexaſpes. 29.
Pruſias Rex Bithyniæ. 97.
Pſammetichus. 19.
Ptolomæus Amyntæ Regis filius. pag. 46.
Ptolomæus Lagi filius. 65.
Ptolomęus Ægypti Rex. 66.
Ptolomęus Ceraunus Ægypti Rex. pag. 73.
Ptolomæus Macedonię Rex. 47.
Ptolomæus III. Rex Ægypti. 84.
Ptolomæus Philometor VI. Rex Ægypti. 98.
Ptolomæus Philopator Rex Ægypti. 90
Ptolomæus Phyſcon, vel Euergetes VII. Rex Ægypti. 103.
P. Clodius Tribunus plebis. 119.
Pyrrhus Epirotarum Rex. 73.

Pyr-

Pyrrhus Priami filius. 85

Q

Q Fabius Maximus Eburnus Conſul. 109.

R

REmus. 18.
Romulus. 15. 18.

S

SAbbacon Æthiops. 16.
Sabini. 15.
Sallum filius Iabesbi. ibid.
Samſon. 8.
Saraſſar. 17.
Sardanapallus Rex Aſſyriorum. pag. 11.
Seleucus Callinicus IV. Rex Syriç. pag. 80.
Seleucus Ceraunus Rex Syriç. 84.
Seleucus Philopator VII. Rex Syriæ. 93.
Seleucus filius Demetrij. 105.
Semiramis Regina. 1.
Sennacherib Rex Aſſyriorum. 17.
Sertorius Dux. 116.
Seruilius Prætor. 112.
Seruius Tullius Rex Romanorum pag. 24.
Sextus Cæſar Præſes Syriæ. 125.
Sextus Pompeius Pompei Magni filius. 132.
Sextus Tarquinius. 26.
Sicambri. 62.
Simon Etnarches ſummus Sacerdos & Iudæorũ Princeps. 101.
Siſara princeps militiæ Regis Iabin. 4.
Smerdes Cyri filius 30.
Spendius Mercenariorum Dux. pag. 79.
Statira uxor Artaxerſis. 50.
Steneleus Rex Argiuorum. 4.
Sulla Conſul. 113. 115. 116.
Syphax Numidiç Rex. 90.

T

TAchos Rex Aegypti. 48.
Tamos Ioniæ Præfectus. 39
Tandarides Syracuſæ Tyrannus. pag. 36.
Tatius Rex. 15.
Tarquinius Priſcus. 21.
T. Manlius Torquatus Conſul. pag. 99.
Tedius Afer Conſul. 130.
Teleclus Rex Spartanorum. 14.
Teleutias Dux. 43.
Theſſalonica Regina uxor Caſſandri. 70.
Thyeſtes. 6.
Tiberius. 139.
Timoleon Corinthius. 47.
Tonoſconcoleros Rex Aſſyriorum. pag. 11.
Tryphena uxor Grypi Regis Syriç. 110.
Tra-

Digitized by Google

Tryphon XIV. Rex Syriæ. 100.
Tullus Hoſtilius Rex Romanorum. 20.
Tyberinus Rex Latinorum. 10.

V

Valerius Flaccus Conſul. pag. 114.
Vercingetorix Gallorum Dux. pag. 119.
Veſores Rex Aegypti. 7.
Viriatus Dux. 99.

X

Xantippus. 29.
Xerſes Rex Perſarum. 34.

Z

Zacharias Rex Iſrael. 15.
Zambri. 9.
Zebim. 5.
Zibus Rex. ibid.

DE

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICON TRAGICVM

SIVE

DE EVENTIBVS TRAGICIS

Principum, Tyrannorum, Virorumque fama, vel nobilitate illuſtrium.

PARS II.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE EVENTIBVS TRAGICIS PARS SECVNDA

A CHRISTO nato vſque ad XVII. Sæculum.

ANNO MVNDI 4000. *CHRISTI* 1.

PACE per Cæſarem Auguſtum ab Oriente ad Occaſum firmatâ feliciſſimus Princeps pacis IESVS CHRISTVS verus,& conſubſtantialis æterni Patris Filius, ante ſæcula genitus, à Prophetis pręnuntiatus, deſideratus à cunctis Gentibus, impolluto B. Marię ſemper Virginis vtero, Bethlehem naſcitur, vt homines Deos faceret, factus Homo.

ANNO CHR. 14.

FABIVS MAXIMVS Conſularis, Cęſari Auguſti amicus, cùm iam ſenem eum ſæpius quærentem audiret de ſolitudine ſuæ domus, & cùm Auguſtus inquireret in mores Agrippæ nepotis relegati, non adeò improbi, vt relatum erat, de eo reuocando cogitauit, cuius rei nemo conſcius fuit niſi *Fabius*, qui hæc effutijt vxori ſuæ *Martiæ*: ea ſtatim id detulit ad *Liuiam* coniugem Auguſti, quæ cum Auguſto acerbè de hac re expoſtulauit. Vndè iratus Auguſtus *Fabium* iuſſit mori, vt habet

Tacit. 1. *Annal.cap.* 5. Eſt hic *Maximus* quem *Naſo* coluit, & ad quem Elegia non vna. Sed & vxor Naſonis eſt propinqua Maximi, ſeu coniugis eius Martiæ, vt ex his verſibus *Eleg.* 6. *lib.* 4. *de Ponto* colligitur.

Ille ego de veſtra cui data nupta domo eſt.
Hanc probat, & primis dilectam ſemper ab annis.
Eſt inter comites Martia cenſa ſuas.

Tangit hanc de Fabio tragœdiam etiam *Plinius*.

ANNO CHR. 15.

OCTAVIANVS CÆSAR AVGVSTVS Secundus Romanorum Imperator, filius *Octauij* equeſtris, & Senatorij ordinis viri, Nolam Campaniæ oppidum ingreſſus, morbo captus, ex alui profuuio in oſculis Liuiæ, in eodem cubiculo, in quo pater eius vitam cum morte commutauerat, placidâ morte, iuxta votum ſuum, quo ſæpè εὐθανασίαν optauit, obijt non ſine ſuſpicione veneni ab eadem Liuiâ propinati, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto, ſiue ſeptimo, cùm regnaſſet 56. annos, menſes 6. diebus decem, ex quibus aliquot cum Antonio annos Imperiū tenuit. Vir de quo *Suetonius* ſcribit: *Vtinam aut non naſceretur, aut non moreretur*. Vrbem Romam ità exornauit, vt gloriatus ſit ſe latericiam inueniſſe, feciſſe autem marmoream. Dominum ſe nec à liberis ſeriò iocoue appellari paſſus eſt. Patris patriæ cognomento celebratus eſt. Maximus quoque Pontifex longè ante obitum à Senatu nominatus fuit. Vndè & *Plutarchus* ait, Auguſtus Cæſar eò vſque ſacrorum Pontificibus ſubditus fuit, donec & ipſe, ne cui ſubeſſet, Veſtalis pontifex creatus eſt. Pari ex causâ tribunitiam poteſtatem ſuſcepit: Sic hic feliciſſimus in mundo, vt de eo longè poſt diceretur, *Nec felicior Octauiano, nec Traiano melior*. Nec tamen vir tantus vitijs caruit, libidini ſummoperè indulſit, perſæpè enim in magnis viris magna mixtura eſt virtutum, & vitiorum. Nam ſcitum eſt *Platonis dictum*: αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι κακίας h. e. *Magnæ naturæ vt magnis virtutibus inclareſcunt, ita non leuioribus vitijs ſunt obnoxiæ*. Et ſicut in Ægypto naſcuntur optima ſimul

reme-

remedia, ac nocentiſſima venena: ita & magna bona, & magna mala reipublicæ à magnis iſtis viris impendent. Hinc rectè *Lucanus* ait:

. . . . Plerumque mitiſſima ſors eſt
Regnorum ſub Rege nouo.

Eius laudes ſic perſtrinxit *Auſonius*:

Vltor, ſucceſſorque dehinc Octauius, idem
Cæſar: ac Auguſti nomine nobilior.
Longæua, & nunquam dubijs violata poteſtas,
In terris poſitum credidit eſſe Deum.

Panealbus ſequenti Inſcriptione argutiarum elegantijs plenâ Auguſtum laudauit.

OCTAVIANVS CAESAR
Patris virtutem contraxit Filius, Patre maior:
Corporis forma Imperium promiſit,
Animus dedit.
Priuatus Imperatori ſimilis fuit,
Imperator Priuato.
Doluit Patria, cùm Principem fecit;
Gauiſa, cùm habuit.
Timebat carnificem, medicum experta.
Ad bellum natus, bellum fugauit.
Motus eſt Vrbis illo moto, quieuit quieto.
Breuis pugna pacem peperit longam.
Abortum fecit fortuna,
Iani Templum ſolus clauſit,
Muſarum ſolus aperuit.
Quibuſdam non caruit vitijs.
Vitiorum ſeuerus vltor.
Quæ admittere pudebat, committere non puduit.
Hoc tantùm ſe hominem probans,

Quòd

Digitized by Google

Quòd in humana incidit.
Qui Deus habebatur inter homines
Cœpit homo haberi inter Deos.
Demùm Nolæ, volente fato,
Inuictus Viris, victus à Fœmina.
Obijt Sol Patriæ;
Oriens ploratus, ploratus cadens.
Diſce Lector.
Quo præſente expiraturum te putas,
Suſpirabis, ſi abſit.

ANNO CHR. 19.

GERMANICVS Caligulæ Imperatoris Pater, ex Ægypto rediens, omnia à Piſone immutata videt, ideò eum ex Prouinciâ excedere iubet. Ipſe verò à Piſone veneno petitus moritur Antiochiæ, cùm adſiſtentes amicos in hunc modum alloquutus fuiſſet. *Si fato concederem, iuſtus mihi dolor etiam aduerſus Deos eſſet, quòd me parentibus, liberis, patriæ, iuxta iuuentam præmaturo exitu raperent, nunc ſcelere Piſonis, & Plancinæ interceptus, vltimas preces pectoribus veſtris relinquo, referatis patri, ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus inſidijs circumuentus miſerrimam vitam peſſima morte finierim. Si quos ſpes mea, ſi quos propinquus ſanguis, etiam quos inuidia erga viuentem monebat; inlacrymabunt quondam florentem & tot bellorum ſuperſtitem muliebri fraude cecidiſſe; Erit vobis locus querendi apud Senatum, inuocandi leges. Non hoc præcipuum Amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignauo queſtu: ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandauerit exequi; flebunt Germanicum etiam ignoti; vindicabitis vos, ſi me potiùs quàm fortunam meam fouebatis. Oſtendite Populo Romano Diui Auguſti neptem eandemque coniugem meam: numerate ſex liberos. Miſericordia cum accuſantibus erit, fingentibuſque ſceleſta mandata, aut non credent homines, aut non igno-*

ignoſcent. Iurauêre amici, dexteram morientis contingentes, ſpiritum antequam vltionem amiſſuros. Tum ad vxorem verſus, per memoriam ſui, per communes liberos orauit, exueret ferociam, ſæuienti fortunæ ſubmitteret animum, neu regreſſa in vrbem æmulatione potentiæ, validiores irritaret. Hæc palàm & alia ſecretò, per quæ oſtendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multò poſt extinguitur ingenti luctu Prouinciæ, & circumiacentium populorum. Indoluêre exteræ nationes, Regeſque, tanta illi comitas in ſocios, manſuetudo in hoſtes: viſuque & auditu iuxtà venerabilis, cùm magnitudinem, & grauitatem ſummâ fortunâ retineret, inuidiam, & arrogantiam effugerat. Hactenus *Tacit*. Germanici cineres ab Agrippinâ coniuge, mediâ hyeme reportantur, magno Populi luctu excipiuntur, plurimumque defletur, cùm Tiberius, & coniux interim à publico abſtinent. *Piſo* verò, cùm ad Vrbem veniſſet, accuſatur paricidij binis diebus, defendit ſe ternis, & tandem à Senatu magno conatu damnatus, mortem ipſe conſciſcit. *Plancina* vxor potiſſima cauſa mortis Germanici, interceſſione Liuiæ morti eripitur, non ſine indignatione plebis. *Tacit.*

Apud *Pithœum* ſequens *Germanici* Epitaphium legitur:

Parce, Hoſpes, tumulo, Cæſar Germanicus *hìc ſum*;
Sæpe etiam ignotis ipſe dedi requiem.
Quòd ſi quem tumuli nihil huius gratia tangit,
Admoneat patriæ fraude quòd hìc iaceo.
Sed iaceo, quamuis non vitæ, at plenus honoris:
Hoc vno ingratus, quod genui, patriæ:
Teſtata eſt mores lacrymis plebeſque, Patreſque:
Hæc ſunt ſinceri iudicia ingenij.

ANNO CHR. 20.

ARMINIVS Dux Germanorum pulſo Maroboduo & alijs, regnum affectat, ideò populares aduerſos habuit variaque fortunâ cum ijs certauit, tandem dolo propinquorum cadit. Liberator haud dubiè Germaniæ fuit, qui florentiſſimum iam imperium Romanum laceſſiuit; prælijs ambiguus, bello non

victus. Septem, & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ expleuit, *Tacit.*

ANNO CHR. 23.

DRVSVS Tiberij filius, veneno tollitur à *Seiano*, qui altiora ſpirans de euertendâ domo Cæſarum conſilia agitat:& quia vi tot ſimul corripere intutum, dolus interualla ſcelerum poſcebat; placuit tamen occultior via, & à Druſo incipere, in quem recenti irâ ferebatur. Nām Druſus impatiens æmuli, & animo commotior, orto fortè iurgio intenderat Seiano manus, & contra tendentis os verberauerat. Igitur cuncta tentanti promptiſſimum viſum ad vxorem eius Liuiam conuertere: quæ ſoror Germanici, formæ initio ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcellebat. Hanc, vt amore incenſus adulterio pellexit, & poſtquam primi flagitij potitus eſt, neque fœmina amiſsâ pudicitiâ alia abnuerit: ad coniugij ſpem, conſortium regni, & necem mariti impulit. Igitur Seianus maturandum ratus, diligit venenum, quo paulatim irrepente, fortuitus morbus adſimularetur. Id Druſo datum per Lygdum Spadonem, vt octo poſt annos cognitum eſt, & ſic *Druſus* extinguitur. At Romæ, quaſi recenter cognitis Liuię flagitijs, ac non pridem etiam punitis, atroces ſententię dicebantur, in effigies quoque ac memoriam eius; & bona Seiani ablato ærario, vt in fiſcum cogerentur Coſſ. retulêre. Nec multò poſt *Conſidius Proculus* apud Cęſarem cuiuſdam criminis accuſatus, damnatus, necatuſque eſt. Etiam in *Pompeiam Macrinam* exilium ſtatuitur, cuius maritum *Argolicum*, ſocerum Laconem è primoribus Achęorum, Cæſar afflixerat. Pater quoque illuſtris eques Romanus, ac frater Prætorius, cùm damnatio inſtaret, ſeipſi interfecêre. Poſt quos *Sex. Marius* Hiſpaniarum ditiſſimus, cùm formoſam filiam aliquo ablegaſſet, ne Tiberius eam pollueret, inceſti cum eâ commiſſi accuſatus eſt, ac cum filiâ perijt. Ob huiuſcemodi flagitia turpitudinis, & crudelitatis incuſabatur Tiberius: irritatuſque ſuplicijs cunctos qui carcere attinebantur accuſati ſocietatis Seiano necari iubet. *Seianus* ita occiſus ſcelerum ſuorum ſubitas pœnas dedit,

dit, in Gemonias proiectus eſt, & cadauer eius triduo ludibrio habitum. Liberi etiam ipſius necati, & virguncula, quæ inſuper à carnifice ſtuprata eſt, cùm iam laqueum in collo haberet, & ſtatim ſuffocata. Perierunt cum eo multi eius amici iuben te Tiberio. Ideò iacuit immenſa ſtrages: omnis ſexus, omnis ætas, illuſtres, ignobiles. *Tacit. Dio.*

ANNO CHR. 25.

PISO Prętor in Hiſpaniâ ex inſidijs trucidatur ab Hiſpano quodam qui tormenta conſtantiſſimè tulit, nec conſciorum quemquam prodidit. *Tacit.*

ANNO CHR. 33.

DRVSVS filius Germanici inediâ conficitur, cùm ſe miſerandis alimentis mandendo è cubiculi tomento, nonum ad diem detinuiſſet: quem mortuum Tiberium crudeliter accuſauit. *Tacit.*

AGRIPPINA Germanici coniux inediâ extinguitur die 18. Octobris, quem diem inter nefaſtos Tiberius haberi iubet, accuſatque eam adulterij, cùm pudiciſſima eſſet. *Tacit.*

COCCEIVS NERVA Comes Tiberij in Campaniam, & Prætor deſignatus, ſpontè vitâ abit, metuens futura, cùm Tiberius ita graſſaretur. *Tacit.*

PLANCINA vxor Piſonis, æmula Agrippinæ Germanici, huiuſque mortis potiſſima cauſa, trucidatur: dudum erat deſtinata neci à Tiberio, ſed ne Agrippina lætaretur eius morte, dilatum id erat. *Dio.*

ANNO CHR. 34.

HERIMERVS Francorum Rex, contra Lentulum Getulicum nimium feruenter in cuneos inuolans, occiditur. Succedit ipſi *Marcomirus* frater, qui in omnem partem, vlciſcendæ necis fraternæ cauſâ, ſe extendit, regnatque annos 18. *Trith.*

MVlti inſignes viri hoc anno occiſi ſunt. *Pomponius Labeo* per abruptas venas ſanguinem cum anima effudit, quem ſecuta eſt coniux. Sic *Mamercus Scaurus* cum vxore, & alij: Eligebatur hoc genus mortis, quòd ita mors feſtinaretur; & deindè quòd metueretur carnifex, à quo occiſi non ſepeliebantur, & inſuper bonis omnibus exuebantur. Qui verò ſpontè moriebantur, ſepulturæ tradebantur, & hæredes fruebantur bonis. *Tacit.*

ANNO CHR. 36.

PLurimi illuſtrium virorum Romæ damnantur, & inter cæteros, *Granius Martianus* Senator à C. Graccho maieſtatis poſtulatus, vim vitæ ſuæ attulit: *Tatiuſque Gratianus* præturâ functus, lege eadem extremum ad ſupplicium damnatus. Nec diſpares *Trebellieni Rufi, & Sextij Paconiani* exitus. Nam *Trebellienus*, ille qui præturâ functus, tutor à Senatu liberis Cotyis Thraciæ Regis datus fuit, ſuâ manu cecidit; *Paconianus* in carcere, ob carmina in Principem factitata, illic ſtrangulatus eſt. Eo tempore Tiberius in vicinia vrbis ſemper fuit, vt quaſi per domos vndantem ſanguinem aſpiceret. *Vibulenus Agrippa* eques Romanus, cùm peroraſſent accuſatores, in ipſâ curiâ depromptum ſinu venenum auſit: prolapſuſque, ac moribundus, feſtinatis lictorum manibus in carcerem raptus eſt, fauceſque iam exanimis laqueo vexatæ. Nec *Tigranes* quidem olim Rex Armeniæ reus conſtitutus, nomine regio ſupplicia ciuium effugit. At *C. Galba* conſularis, & duo *Blæſij* voluntario exitu cecidêre. Galba triſtibus Cæſaris literis prouinciam ſortiri prohibitus: Blæſijs Sacerdotia integrâ eorum domo deſtinata, conuulsâ diſtulerat: tunc vt vacua contulit in alios, quod ſignum mortis intellexêre, & executi ſunt. *Aemylia Lepida* iuueni Druſa nupta, crebris criminibus inſecuta, quamquam inteſtabilis, tamen impunita agebat, dum ſuperfuit Pater lepidus; poſt à delatoribus corripitur, ob ſeruum adulterum, nec dubitabatur de flagitio: ergo omiſſâ defenſione finem vitæ ſibi poſuit. *Tacit. Dio.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 38.

CLAVDIVS TIBERIVS NERO III. Romanorum Imperator, Liuiæ filius, Auguſti priuignus, filius adoptiuus, atq; gener, cuius mentio pluries ſuprà; Imperium occupauit ſimulatione eum recuſandi, de quo *Suetonius* §. 24. ita ſcribit: Principatum diu recuſauit impudentiſſimo animo; Nunc adhortantes amicos increpans, vt ignaros, quanta bellua eſſet imperium: nunc precantem Senatum, & procumbentem ſibi ad genua ambiguis reſponſis, & callidâ cunctatione ſuſpendens, vt quidam patientiam, atque vnus in tumultu proclamaret: *Aut agat, aut deſiſtat*. Alter coram exprobaret, *cæteros quòd polliciti ſunt, tardè præſtare: ſed ipſum quòd præſtet, tardè polliceri*. Tandem quaſi coactus, & quærens miſeram, & oneroſam iniungi ſibi ſeruitutem, recepit imperium: nec tamen aliter, quàm vt depoſiturum ſe quandoque, ſpem faceret. Ipſius verba hæc ſunt: *Dum veniam ad id tempus, quo vobis æquum poſſit videri, dare vos aliquam ſenectuti meæ requiem. Suet. in Tiber.* Ecce quam euidenter conſtat, ſimulatores, & diſſimulatores peſſimi ingenij eſſe homines: *Nam turpe eſt aliud loqui, aliud ſentire*, inquit Seneca epiſt. 24. Similiter Homerus Iliad. graphicè loquitur, quando ait:

Ἐχθρός γάρ μοι κεῖνον ὅμως ἀΐδαο πύλησιν
Ος χ' ἕτερον μεν' κεύθει ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δέ βάζει.
Odi illos ceu clauſtra Erebi, quicumque loquuntur,
Ore aliud, tacitoque aliud ſub pectore condunt.

Vndè qui hoc vitio laborant, dicuntur diſſimulare ea, quæ maximè cupiunt. Tandem Tiberius firmatâ potentiâ ingenium nudauit, & vitia diù diſſimulata proruperunt. Primum facinus noui principatus fuit, *Poſthumi Agrippæ* cædes: quem ignarum, inermemque per Centurionem interfecit. Sic *Iulia* filia Auguſti inopiâ & tabe perimitur, iuſſu Tiberij, vnâque *Sempronius Gracchus* adulter eius. *Tacit.* Cùmque *Druſo* filio naturali, & *Germanico* adoptiuo orbatus fuiſſet, Capreas in inſulam ſe contulit. Ibi Reipublicæ curam planè abiecit, & dies, noctesque epulando, potandoque conſumſit. Vndè ob nimiam vini auiditatem

tatem pro Tiberio Claudio Nerone, *Tiberius Caldius Mero*, pro ioco dictus eſt. Ebrietatis fuit indiuidua comes libido, & voluptas; nam ſeceſſu Capreenſi portentoſæ libidinis exempla inuexit. Hinc propter laſciuiam & libidines, per lepidam ad nomen Inſulæ alluſionem, vulgò *Caprinaus* dictus eſt. Quo nomine Hircus vitulus appellatus eſt. Sexto Claudio libidinoſo & prodigo ſeni, olim ab Auguſto ignominiâ notato, & à ſe antè paucos dies apud Senatum obiurgato, cœnam eâ conditione condixit, ne quid ex conſuetudine mutaret, aut demeret, vtque nudis puellis miniſtrantibus cœnaretur;iuxtà vulgatum verſiculum.

Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

Auſonius tali Epigrammate eum perſtrinxit:

Prænomen Tiberi nactus Nero, prima iuuentæ
Tempora laudato geſſit in imperio.
Fruſtra dehinc ſolo Caprearum clauſus in antro
Quæ prodit vitijs, credit operta locis.

Ebrietati & libidini coniuncta fuit tyrannis, crudelitas, & ſanguinolentia, vt ex innumeris pene cædibus ſupra demonſtrauimus: vndè hic verſus ignominioſus in eum ſcriptus eſt:

Faſtidit vinum, quia iam ſitit iſte cruorem:
Tam bibit hunc auidè, quàm bibit antè merum.

Tandem anno ætatis ſeptuageſimo octauo, regni vigeſimi tertij, iter inſtituit verſus Romam; ſed cùm Appiâ viâ vſque ad ſeptimum lapidem iam proceſſiſſet, mutatâ ſubito ſententiâ retrò abijt. Rediens in languorem incidit, quem tamen vti & ægritudinem ſubſecutam, ſedulò diſſimulare ſtuduit, & Capreas inſulam ſuam repetere. Sed fruſtra. Nam licet ſuſtentaret aliquandiu, Miſenum vſque deuectus, nihilque ex ordine vitæ quotidiano prætermitteret, ne conuiuia quidem, ac cæteras voluptates; tamen accedentibus ad morbum offenſis alijs, animam exuit in Campania, in villa Lucullana. Nonulli exiſtimant, venenum ei à *Caio Caligula*, qui in imperio ſucceſſit, datum lentum, atque tabificum. Aliqui in remiſſione fortuitæ febris cibum deſideranti negatum. Aliqui etiam ſcribunt, puluinum ei iniectum, cùm extractum ſibi deficienti annulum mox ad ſe rediens

diens

Digitized by Google

diens requiſiuiſſet, de quâ re ſic refert *Seneca* apud *Suetonium*: Tiberius intellectâ defectione exemtum annulum quaſi alicui traditurus, parumper tenuit, deindè rurſus digito aptauit, & compreſsâ ſiniſtrâ manu iacuit diù immobilis, ſubitoque vocatis miniſtris, ac nemine reſpondente, conſurrexit, nec procul à lectulo deficientibus viribus concidit. Populus morte eius ita lętatus eſt, vt in Tiberim proijcere ſe ſe velle corpus clamore magno oſtenderit, quo Tiberis Tiberium abſumeret; nihilominus tamen corpus eius à Miſeno Romam per milites deportatum, ibique publico funere crematum eſt: cùm plèrique Deos Manes oraſſent, nè mortuo ſedem vllam, niſi inter impios darent. *Suet. Tacit. Dion. Aurel. Vict.*

ANNO CHR. 41.

CAIVS CALIGVLA IV. Romanorum Imperator, Germanici, & Agrippinæ filius: quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calceamenti militaris, id eſt *Caligulæ* ſortitus eſt: Vndè hi verſus de eo vulgati ſtatim ſub imperium eius:

In caſtris genitus, patrijs nutritus in armis,
Iam deſignati Principis omen erat.

Auſonius:

Poſt hunc caſtrenſis Caligæ cognomine Cæſar
Succeſſit, ſæuo ſæuior ingenio
Cædibus, inceſtiſque dehinc maculoſus, & omni
Crimine pollutum, qui ſuperauit auum.

Ad ſummum imperij culmen euectus, inter eos, qui Chriſto iam innoteſcenti, repugnarunt, primus extitit. Tantæ fuit prodigalitatis, vt cùm vicies ter millies ſeſtertium, hoc eſt vltrà centum milliones in theſauris acciperet, nulla eius pars ſuperfuerit in tertio eius imperij anno, ita vt ſecundo anno ſtatim egere inciperet. Itaque exhauſtus, atque egens ad rapinas conuertit animum, vario & exquiſitiſſimo calumniarum & auctionum, & vectigalium genere, inter quæ, & lenonius quæſtus fuit. In ipſo enim palatio fœminarum, mariumque lupanar condidit, vt ex eo meritricium quæſtum faceret: circumque forum & Baſilicas

mi-

Digitized by Google

miſit nomenclatores,ad inuitandos ad libidinem iuuenes, ſeneſque. Edixit etiam ſtrenas ſe ineunte anno recepturum, ſuperque eas toto corpore aliquandiu volutatus eſt. Matrimonia contraxerit turpiùs, an dimiſerit, an tenuerit non eſt facile diſcernere, ſcribit *Suetonius*. Adulterijs fuit inquinatiſſimus. *Lolliam Paulinam* Memmij Reguli vxorem eripuit, illumque coegit eam ſibi deſpondere, nè eam quæ deſponſata non eſſet, contra ius faſque duceret. Verùm paulò poſt eam repudiabat, & cum comminatione mortis ei mandabat, nè ad priorem maritum rediret, alijue nuberet, compluresque alias nuptas, iamque cum maritis habitantes abduxit, eaſque tamen odio poſtea habuit: haud vllâ illuſtriori fœminâ abſtinuit, omneſque ſorores ſuas ſtuprauit. Omnis generis libidinis monſtrum, pudicitiæ neque ſuæ, neque alienæ pepercit, *inquit Suetonius* M. Lepidum, Meſterem pantomimũ,& quoſdam obſides dilexiſſe fertur,commercio mutui ſtupri. Valerius Catullus conſulari familiâ iuuenis ſtupratum à ſe, ac latera ſibi contubernio eius defeſſa,etiam vociferatus eſt. Immenſum eſt ſi velim ſingula referre, exclamat *Seneca*.

De huius viri omnium mortalium triſtiſſimi vitijs neſcio an plura deceat memoriæ prodi, niſi fortè, vt inquit *Aurel. Victor*. improbi ſaltem famæ metu talia declinent. Immanitate ingenij tanta fuit, vt in proprias ſæuiret neceſſitudines, humanumque ſanguinem haud maioris faceret, quàm aquam. *Tiberium* nepotem quem adoptauerat inopinantem, repentè immiſſo Tribuno, interemit. *Silanum* principem Senatus ſocerum ſuum moleſtum ei propter virtutem, & affinitatem, ad ſecandas nouaculâ fauces compulit. Viginti ſex equites ex Senatorio ordine vnâ vice trucidauit. Multos honeſti ordinis deformatos prius ſtigmatum notis ad metalla, & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnauit, aut beſtiarum more quadrupedes caueâ coercuit, aut medios ſerrâ diſſecuit. Parentes ſupplicijs filiorum intereſſe cogebat, quorum vni valetudinem excuſanti lecticam miſit: alterum rogantem an oculos claudere liceret, ipſum quoque mactari iuſſit. Immò tantę crudelitatis erat,vt non tan-

tantùm ſupplicia hominum cupidiſſimè ſpectaret,ſed etiam reos crebris, & minutis ictibus lacerari iuberet, ſubindè carnificem interpellans: *Ita feri, vt ſe mori ſentiant*. Et aliquando, cùm deeſſent, qui ad belluas damnati erant, iuſſit ex promiſcuâ plebe comprehendere quoſdam,& belluis proijci, quibus omnibus prius linguam præcidit, ne de crudelitate eius conquererentur, & huiuſmodi ſpectaculis ſatiari non potuit. Tragicum illud ſubindè iactabat, *Oderint dum metuunt*. Item *Optare ſe, vt Populus Romanus vnam tantùm ceruicem haberet, quò ictu vno omnes conficerentur*. Tantum fuit eius faſtigium cum impietate, & omnium ſcelerum genere coniunctum, vt pro Deo adorari voluit, dixitque ſe Iouem eſſe, congredi ſe cum Lunâ, ſiue Dianâ, fieri interdum Iunonem; Templum ſibi ædificauit, equumque ſuum fecit ſibi Sacerdotem, & alia inſaniæ documenta dedit. Inſuper etiam quos voluit, abſque omni cauſâ occidit. Cùmque inſaniret Caligula omnibus in rebus, *Caſſius Chærea, & Cornelius Sabinus* militum prętorianorum Tribuni contrà eum coniurauerunt, fuêreque multi conſcij huius coniurationis; in quorum numero fuit *Caliſtus* & *Eparchus*: ſed illi percuſſores fuerunt. Erat *Chærea* vir antiquæ virtutis, morumque, qui cùm nollet eſſe miniſter cædium, & tormentorum in innocentes, & ſibi etiam metueret,cum alijs de interficiendo Caligula conſilia communicat, & rem perfecit die 24. Ianuarij, horâ vnâ ante ſolis occaſum,hoc modo: Caligula dies feſtos agebat in palatio, & ſpectaculum edebat, cùmque ipſe comederet, & epulum alijs daret, *Pomponius ſecundus* Conſul ad pedes eius cibum capiebat, eoſque frequenter oſculabatur. Poſt vbi *Caius* ſaltare, & tragœdias agere voluit, *Chærea* nihil cunctandum ratus, vt eum animaduertit exeuntem è theatro, inſpiciendorum puerorum cauſa, quos ex Græciâ, atque Ioniâ nobiliſſimos acciuerat, ad canticum de ſuis laudibus canendum, concluſum in paruum & anguſtum locum interfecit, quo facto nemo eorum qui aderant præſentes manus ab illo abſtinuit, ſed mortuum triginta vulneribus confecerunt. Et ita rè ipſâ magnóque ſuo malo ſe hominem non Deum eſſe, expertus eſt. Confoſſa eſt & vxor *Cæſonia*,

à quâ potionatus amatorio medicamento; ſed quod eum verteerat in furorem, creditur: Filia infans parieti alliſa. Vixit annis 29 imperauit triennio, & decem menſibus. Interfecto Caligulâ, & cæde eius vulgatâ, non ſtatim creditum eſt: Cùm ſuſpicio eſſet, ab ipſo Caligulâ famam cædis ſimulatam, & emiſſam, vt eo pacto erga ſe hominum mentes deprehenderet. Sed cùm Prætorianæ Cohortes tumultuarentur, ac quærerent: *Quis Caium occidiſſet?* Hac eas ratione ſedauit *Valerius Aſiaticus* vir conſularis, quòd in locum vndè conſpici poſſet, progreſſus exclamauit: *Vtinam ego eum interfeciſſem!* Quâ voce territi milites turbarum finem fecerunt. *Claudium Tiberium* ſucceſſorem habuit. *Dio. Ioſeph. Suet. Senec.*

CHÆREVS quòd res mali exempli eſſet, principem ſuum occidere, gladio plectitur vnà cum *Lupo*, aliiſque pluribus coniurationis conſciis. Fertur Chæreum magno animo tuliſſe id infortunium, nihil mutato vultu ad indecorum habitum, atque etiam Lupo exprobrantem lacrymas; cùmque is detractâ veſte quereretur de frigore, ille cauillatus eſt Lupum nunquam offendi frigore. Et inſpectante coronâ eorum, qui deduxerant, rogauit militem, num exercitatus eſſet ad cædes, & num acutum haberet gladium: poſtulauitque eum quo ipſe Caium interfecerat; denique vno ictu periit. *Lupus* autem deiecto animo, parum fortiter ceruicem præbens, pluribus ictibus demùm confectus eſt. *Sabinus* autē non ſolùm abſolutus à Claudio, verùm etiam permiſſus eandem quam ante præfecturam gerere, iniquum ratus, ſi à fide coniuratis datâ deſciſceret, in corpus adacto capulo tenus gladio ſuamet manu optatum quæſiuit interitum. *Ioſeph. Dio.*

PILATVS multis diuexatus calamitatibus ſibi ipſi vim infert. *Euſeb. Eutrop.*

ANNO CHR. 44.

AGRIPPA Rex, cùm Cæſareæ ludos exhibuiſſet, & diuinos honores, qui ſibi à populo offerebantur, non recuſaſſet, diuinitus percutitur, & quinto die moritur, de quo ſic refert *Ioſeph.*

Digitized by Google

Ioſeph.lib.9.cap.vlt. Iamque tertium Iudeæ totius regni annum exegerat, cùm peruenit iu vrbem Cæſaream, quæ prius Stratonis turris dicta eſt; Vbi ſolemnes ludos celebrauit pro ſalute Cæſaris ad quam feſtiuitatem magna multitudo nobilium, ac procerum conuenerat ex totâ Prouinciâ; eius celebritatis die ſecundâ proceſſit mane in theatrum amictus veſte totâ ex argento mirabili opere contextâ, quæ radijs exorientis ſolis percuſſa, & diuinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum honore incutiebat ſpectantibus; moxque adulatores pernicioſi aliunde acclamantes, Deum conſalutabant, rogantes vt faueret propitius: hactenus enim vt hominem reueritos, nunc agnoſcere, & fateri in eo quiddam mortali naturâ excellentiùs. Hanc impiam adulationem ille nec caſtigauit, nec repulit: paulòque poſt ſuſpiciens vidit ſupra caput ſuum bubonem funi extento inſidentem, mox vt ſenſit hunc eſſe calamitatis nuncium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis precordijs indoluit; ſecutæ ſunt ventris tormina, ſtatim à principio vehementia, conuerſis igitur in amicos oculis: En, inquit, ego ille veſtrâ appellatione Deus vitam relinquere iubeor: fatali neceſſitate coarguente veſtrum mendacium, & quem immortalem ſalutaſtis, ad mortem rapior: ſed ferenda eſt voluntas cœleſtis numinis; neque enim malè viximus, immò tantâ felicitate, vt omnes me beatum prædicent. Hæc loquutus, creſcente dolore diſcruciabatur; properè igitur relato in regiam rumor ſparſus eſt breui eſſe moriturum; quamobrem confeſtim omnis populus vnâ cum vxoribus, atque liberis ſaccum indutus more patrio ſupplicabat Deo pro ſalute Regis, omnia miſcens lamentis, & eiulatibus. Rex autem in celſiore decumbens cubiculo, & in faciem ſtratos humi proſpiciens, non temperabat ſibi à lacrymis, cruciatu deindè per continuos quinque dies nihil ſe remittente confectus vitam finijt, annum natus quartum ſuprà quinquageſimum, poſtquam regnaſſet per ſeptennium.

ANNO CHR. 47.

VALERIVS ASIATICVS Conſul accuſatur maieſtatis, & cùm nullus teſtis idoneus eſſet, parum abfuit, quin euaderet. Inficias enim ibat, neque ſe quemquam horum, qui contrà ipſum producti eſſent teſtes, agnoſcere dicebat, tum miles qui ſe conſilijs eius interfuiſſe perhibebat, iuſſus Aſiaticum demonſtrare, caluum quendam forte adſtantem indicauit: eâ re in riſum verſâ multum, Claudioque iam de abſoluendo Aſiatico cogitante, Vitellius à Meſſalinâ prouocatus Claudio nunciauit, Valerium petere, vt ſibi mortis conſciſcendæ poteſtas fieret, ita demùm Claudius exiſtimans eum conſcientiâ victum ſe ipſum morte damnaſſe, hominem interfecit. *Dio. Tacit.*

ANNO CHR. 51.

PHARASMANES Iberiæ Rex fratrem ſuum *Mithridatem* Armeniæ Regem, dolo per filium circumuenit, & occidit, Armeniamque occupat. Parthi ſibi Armeniam aſſerere conantur, ſed commeatu deſtituti recedunt, quapropter Armenij ipſi Pharaſmanis filium pellunt, qui fugiens vxorem grauidam, quæ fugientem ſequi non poterat, interficit, & in Euphratem abijcit. Paſtores quidam caſu aduentantes, eam adhuc ſpirantem extrahunt aquis, & ad Parthos deducunt, vbi honeſtè habita eſt. *Tacit.*

ANNO CHR. 54.

IONATHAN ſummus Pontifex ſæpè admonuit Felicem Iudęæ præſidem de adminiſtrandis melius rebus Iudaicis. Quâ de causâ Felix amicum Ionathæ fidiſſimum Doram Hieroſolymitam genere induxit promiſsâ pecuniâ, vt ſicarios ipſi Pontifici immitteret: quòd ille in gratiam præſidis perficit his artibus. Quidam quaſi religionis ergò in vrbem aſcenderunt ſicis clam ſuccincti ſub veſtibus, qui permixti Ionathæ famulicio, Pontificem ita interemerunt, vt author cædis planè ignoraretur: cuius facinoris quia nemo vltor extitit, inuitati hac licentiâ ſicarij per ſingula feſta ventitantes, & tela celantes pari modo immixti

turbis, alios confodiebant propter priuatas inimicitias, alios conducti pecuniâ, idque non modo in reliquis vrbis partibus, ſed in ipſo templo etiam. *Ioſeph.*

ANNO CHR. 55.

CLAVDIVS TIBERIVS DRVSVS V. Romanorum Imperator, filius *Druſi Maioris*, & *Antoniæ Minoris*. Hic cùm Senatus cenſuiſſet genus Cæſarum exterminare, deformi latebrâ latitare repertus eſt. Interea milites aliquot prædandi causâ Palatium ingreſſi, *Claudium* inueniunt; ac initio quidem alium quàm erat, eſſe, ſecumque habere aliquid, vnde prædam nanciſcerentur, arbitrati, foras extrahunt, extractum atque ad genua ipſius præ natu accidentem *Imperatorem* ſalutant, atque in castra perducunt, mœſtum, ac trepidum, miſerante obuiâ turbâ, quaſi ad pœnam raperetur inſons. Claudius itaque mox, vt confirmauit imperium, magnâ vſus eſt clementiâ, volens ſimultatum omnium memoriam tollere, cunctorum factorum, dictorumque veniam, obliuionemque in perpetuum ſanxit, interfectis tantùm paucis, qui in mortem Caij coniurauerant.

Quamuis initio imperij ſimulatus ſit bonum Principem eſſe, poſtea tamen degenerauit, factuſque eſt crudelis, & ſanguinolentus. Cibi, vinique appetentiſſimus fuit, libidinis quoque in fœminas profuſiſſimæ, neque id mirum, quia Baccum, & Cererem Venus comitatur. Plures repudiauit vxores, poſt quas *Valeriam Meſſalinam* duxit, quæ non ſolum ipſa libidinosè viuebat, ſed & alias mulieres ad impudicitiam cogebat, multaſque vt in ipſo palatio, in præſentiâ, ac conſpectu maritorum adulteria committerent, adegit: qui ipſi eâ in re obſequebantur, eos honoribus, ac magiſtratibus ornabat: qui verò ſe in id flagitij non demittebant, eos odio habebat, ac exitium afferebat. Hæc tot, & tanta ſcelera diù Claudium latuerunt, cui ancillas Meſſalina componebat toro, ac eos qui indicium aliquod deferre poſſent, beneficijs, aut ſupplicijs præuertebat. Ita *Catonium* quoque iuſtum, militibus prætorianis præfectum, cùm Claudio aperire quippiam flagitij vellet, nece præuenit. *Iuliam*

quo-

quoque filiam Druſi, Tiberio nati, quæ vxor Neronis, Germanici filij fuerat, æmulatione ducta, ſicut & alteram Iuliam Germanici filiam, interfecit. Tunc etiam eques quidam, inſidiarum Claudio factarum inſimulatus, de rupe Tarpeiâ per Conſules, & tribunos plebis deiectus eſt. Interim Meſſalina amore *Mneſtris* ſaltatoris capta, cùm ei perſuadere non poſſet, vt ſecum coiret, petiuit à Claudio viro ſuo, vt illum ſibi obſequi iuberet, tanquam ipſi in quibuſdam alijs rebus opera eius neceſſaria foret: is poſtquam ei Claudius præcepit, vt omnia quæ Meſſalina imperaret, libenter faceret, cum illâ rem habuit, tamquam id ſibi quoque imperatum fuiſſet. Id enim Meſſalina ſæpè in multis alijs fecit. Nam quaſi Claudio conſcio ſinenteque ei petulanter viuere, mœchabatur. Gladiatorum ſpectaculis magnopere delectabatur Claudius, indè aſſuefactus etiam cædibus Meſſalina vxor, & Narciſus multos ita apud eum accuſabant, & morti tradebant: Inter cæteros *Silanum* virum præſtantiſſimum, & *Vinitianum*, quòd recuſaſſent coitum cum Meſſalinâ muliere impudiciſſimâ. Indè cùm Senatores viderent ſibi omnibus perniciem impendere, coniurant quidem de alio eligendo Imperatore, deferturque imperium ad *Camillum Scribonianum* qui tum cum imperio erat in Mæſia: ſed is deſeritur à militibus, ideò ſe ipſum interficit. Claudius militibus ijs præmia diſtribuit, & ita coniuratio illa euanuit. Tandem eo inſolentiæ proceſſit Meſſalina, vt viuo Claudio, abſente tamen ad oſtiam publicè nuberet *Silio*, & cum eo nuptias celebraret; harumque nuptiarum conuiuium magnificum, & ſumptuoſum fecit, eique regiam domum donauit, in quâ congeſſit omnes Claudij Theſauros pretioſiſſimos; eumque ad extremum Conſulem deſignauit; adeò contemnebat maritum Imperatorem. Verùm id produnt Claudio primùm pellices, & ſeuerè exagerat id factum *Narciſſus* libertus, metumque Imperatori inijcit, ex defectione coniugis, & ad vindictam inſtigat vnâ cum alijs; nihilominus tamen ignouiſſet adulteræ, niſi Narciſſus aſtu præueniſſet, & eam occidiſſet. Ideò & *Silius*, & *Mneſter*, & alij adulteri occiduntur. Deindè Claudius vxorem ducit *Agrippinam* fratris ſui Germanici filiam,

Do-

Domitij Neronis matrem, & nè videretur propinquitate ſanguinis inceſtum committere, per Senatum, & populum hoc matrimonium comprobatur; quamuis hoc Senatus Conſultum poſtea à Neruæ Imperatore eſt abrogatum, qui ſeuerè talia matrimonia iuſtâ de cauſâ prohibuit. Poſtremò Claudius cùm videret ſe iam ſeniò confectum, teſtamentum ſcripſit ac ſignis omnium magiſtratuum conſignauit. Quo facto priuſquam proſpiceret, ab Agrippina vxore præuentus eſt. Metuebat enim nè *Britannicus*, Claudij ex Meſſalinâ filius, imperio præficeretur; vndè veneno ab eâ dicitur interemptus Claudius. *Dio* ita hanc tragœdiam deſcribit: *Locuſtam* mulierem veneficam, eamque celeberrimam Agrippinâ accerſiri, ac per eam venenum, cui remedium adhiberi non poterat, in boleto parari iuſſit. Quo facto, Agrippina cœpit ex cæteris boletis comedere: illum verò in quo venenum erat, maximum atque pulcherrimum, vt Claudius comederet perfecit. Ita ille ex inſidijs captus, ex conuiuio, quaſi vino confectus, exportatus eſt: id quod antea crebrò factum fuerat. Noctu autem poſtquam obmutuiſſet, mortuus eſt 13. Octobris. Vixit annos 63. regnauit annos 13. menſes 8. & dies 20. de quo cecinit *Auſonius*.

Claudius irriſæ priuato in tempore vitę,
In regno ſpecimen prodidit ingenij.
Libertina tamen, nuptarum, & crimina paſſus,
Non faciendo nocens, ſed patiendo fuit.

Mors eius celata eſt, donec circà ſucceſſorem omnia ordinarent hi, qui cum Agrippinâ ſentiebant; nam Cæſare expirante, Agrippina Principem militiæ miſit, & cum eo Tribunum, qui filium ſuum Neronem ad caſtra prætoriana deducerent, vt ipſum more aliorum principum adorarent, atque in eius verba iurarent. Ideò ſuccedit ipſi aſtu matris Agrippinæ *L. Domitius Ahenobarbus*, quem Claudius Imperator adoptatum *Neronem Claudium Druſum* appellauit, & filio ſuo naturali Britannico præpoſuit. *Suet. Dio. Tacit.*

IV-

IVNIVS SILVANVS Proconſul Aſiæ. dolo Agrippinæ veneno tollitur, & Narciſſus Claudij libertus, ob diuitias: poſſidebat enim pluſquam ſeptendecim milliones, & quem Reges colebant, ad mortem adigitur. *Tacit. Dio.*

ANNO CHR. 56.

BRITANNICVS filius naturalis Claudij Imperatoris veneno inter pocula dato vehementiſſimo necatur à *Domitio Nerone*. In cauſâ fuit *Agrippina*, quæ contrà Neronem irata, de euehendo Britannico, & ad imperium admouendo conſilia agitauit. *Tacit.*

ANNO CHR. 57.

ANTENOR Sicambrorum Rex, cùm bellum Gallis inferret, ponte ſuper Moſam fluuium conſtructo, pons multitudine equitum rumpitur, cùm iam magna pars exercitus tranſiſſet. *Antenor* ab hoſtibus pulſus flumini ſe committit, & demergitur, cùm annis quatuor regnaſſet, ſuccedit *Ratherius* filius, qui præeſt annis 23. *Trith.*

ANNO CHR. 58.

OCTAVIVS SAGITTA Tribunus plebis, *Pontiam* alteri nuptam, & detrectantem Octauij matrimonium ferro tranſadigit. Libertus eius ſuum id facinus eſſe profitetur, quòd vltus eſſet Domini iniurias, ſed confutatus ab ancillâ, *Octauius* lege de Sicarijs damnatur, *Tacit.*

ANNO CHR. 59.

AGRIPPINA Neronis mater, dicta, factaque filij ſeueriùs corrigens, & metuens ne *Poppæa Sabina* Neroni nuberet (valdè enim eam amare cœperat) facinus nefarium eſt auſa. Nam quaſi non eſſet ſatis graue dictu, quòd *Claudium* patruum præſtigijs quibuſdam, & libidinoſis aſpectibus atque oſculis in amorem ſuum illexiſſet, tentauit eodem modo Neronem ſub ſuam poteſtatem ſubijcere: quòd an verè factum ſit, an propter mo-

res

Digitized by Google

res eius confictum, pro certo non habemus, communis tamen fama eſt, meretricem quandam Agrippinæ ſimilem ob hanc ipſam cauſam maximè ab eo amatam fuiſſe: ad quam alludens, atque rem alijs aperiens, dicebat ſe cum matre conſuetudinem habere. Hac re cognitâ Sabina perſuaſit Neroni, Agrippinam de medio tollere, qui ab eâ diceret inſidias ei parari. Suaſu igitur Senecæ ſe à matre abiungit. Indè de eâ interficiendâ conſilia agitat. Cùmque veneno ter tentaſſet, ſentiretque antidotis præmunitam, lacunaria, quæ noctu ſuper dormientem laxatâ machinâ deciderent, parauit. Hoc conſilio per conſcios parum celato, ſolubilem nauem, cuius vel naufragio, vel cameræ ruina periret, commentus eſt: Sed Agrippina in mare delapſa, periculo vitato, & vnico vulnere tantùm accepto, inuadit; eius vindictam Nero metuens, *Anicato* Centurioni cædem matris demandat, qui aſſumptis ad iuſſam promptiſſimis, villam, in qua delata erat Agrippina, ſtatione circumdat, refractâque ianua, cum percuſſoribus in cubiculum irruit, qui cùm lectum circumſiſterent, illa diſtringenti ferrum Centurioni protendens vterum, ventrem feriri exclamat, rogans miniſtrum, vt vtero dirum enſem conderet, adijcens: *Hic hic eſt fodiendus ferro, monſtrum qui tale tulit.* Poſt hanc vocem cum ſupremo mixtam gemitu, triſtem animam tandem poſt fera vulnera reddidit. Nero poſtquam accepit eam eſſe mortuam non credidit: nimirum propter magnitudinem temerarij facinoris diffidebat. Itaque cupiuit eam videre, & denudatam penitus conſpexit, tum vulnera eius contemplatus, nefarium ſermonem habuit pluſquam cędis fuiſſet: *Neſciebam*, inquit, *me tam pulchram matrem habere.* Dio. Tacit. Ioſephus.

ANNO CHR. 61.

PÆDANIVS SECVNDVS Vrbis Romanæ Præfectus ab ipſius ſeruo interficitur: ſeu negatâ libertate, cui pretium pepigerat, ſiue amore exoleti infenſus, & dominum æmulum non tolerans. Igitur vetere ex more ad ſupplicium rapitur tota eius familia, quicumque ſub eodem tecto fuerant, ſerui verò quadringenti præter alia mancipia. *Tacit.*

Digitized by Google

ANNO CHR. 62.

RVBELLIVS PLAVTVS ob cuius nobilitatem per matrem ex Iuliâ familiâ, nemo rectius Neroni ſuccedere potuiſſet, ablegatus in Aſiam, vnà cum *Sulla* Tigellini ſuaſu, & Neronis iuſſu trucidatur. *Octauia* etiam coniux matrimonio exturbatur, & adulter ipſi emitur, à quo coarguta adulterij, ſed non conuicta, ipſa occiditur, & *Poppæa* in Talamum Neronis recipitur, cùm hactenus fuiſſet pellex. *Tacit.*

ANNO CHR. 65.

CALPVRNIVS Piſo coniurat contra Neronem adiuuantibus Lucano Poetâ, & Plautio Laterano, qui Conſul in menſem Iulium deſignatus erat, & multis alijs. Ea detegitur per Melichum libertum Sceuini, qui ſicam ad trucidandum Neronem ferebat. Interficiuntur coniurati, & inter eos innocens *Seneca*, quaſi peremptâ matre non ſupereſſet in quem ſæuiret, ni etiam educatorem ſuum ac præceptorem occidiſſet, iubens vt aut mortem ſibi ipſi conſciſceret, aut mortis genus mandatum ſubiret; quamuis ſæpè iuraſſet moriturum ſe potiùs, quàm nociturum. Anxijs igitur, ac trementibus adſtantibus, ipſe vnus impauidus, & conſtans erat. Deindè vxorem amplexatus, multum precatur ne ſe cruciaret, ſed moderatè caſum ferret. Tum illa, *Opus exhortatione non eſt*, inquit, *migrare tecum è uita penitus ſtatui*. Hinc concertatio dulcis orta, cùm illa virili animo perſeueraret, nec adduci vt viueret, à viro prece vllâ, aut ratione poſſet: contrà verbis omnibus Seneca illam flectere & vitam ei perſuadere niteretur. Illa pertinaci animo perſeuerat, percuſſorem poſtulat. His demùm, atque talibus verbis vterque brachium, cruraque ferienda præbuit, vt tepidus ſanguis efflueret; tum perſuaſit vxorem deferri in proximum cubiculum: ipſe venenum quod damnatis apud Athenienſes dari ſolebat, fruſtra hauſit ad maturandam mortem: frigidus enim erat artus, & clauſum corpus aduerſus vim veneni. Poſtremùm in balneum defertur, vbi ſermo eius ad amicos de animæ immorta-

ta-

Digitized by Google

talitate, ac morte contemnendâ habitus eſt: nec mora longior, ſpiritum tandem Seneca efflauit. Tale autem ſibi ipſi Epitaphium concinnauit:

Cura, labor; meritum, ſumpti pro munere honores
Ite alias poſthac ſollicitate animas.
Me Deus à vobis procul euocat, ilicet actis
Rebus terrenis, hoſpita terra vale.
Corpus auara tamen, ſolemnibus accipe ſaxis,
Namque animam cælo reddimus, oſſa tibi.

Vxor Senecæ ſpe vitæ, ligato vulnere conualuit, parum tamen vixit.

Flauius Tribunus particeps coniurationis Neroni dixit: *Fideliſſimus tibi fui, ſed odiſſe cœpi, poſtquàm parricidia matris, & vxoris, auriga, hiſtrio, & incendiarius extitiſti.* Tacit. Dio. Ioſeph. Suet.

POPPÆA vxor Neronis mortem obit, fortuitâ mariti iracundiâ, ictu calcis afflicta, cùm grauida eſſet. Nero iterum multos clariſſimos viros occidit, & in his *Silanum*, itẽ *L. Veterem* cum ſocru, & filia. *Tacit.* Poſt hæc Nero ducit vxorem *Satiliam Meſſalinam* cuius virum *Veſtinum* Conſulem hoc anno trucidauerat. *Suet.*

ANNO CHR. 67.

CORBVLO vir præſtantiſſimus, cùm Armeniam occupaſſet, & pro Nerone multas præclaras res geſſiſſet: quibus auxerat imperium Romanum, eidemque oblatum fuiſſet à militibus imperium, vt Neronem deijceret: Quod tamen accipere noluerat, vt in fide Neronis perſtaret: Sine causâ poſt tantas res geſtas à Nerone interfectus eſt: neque dignum laboribus, & fide ſuâ præmium à Tyranno accepit. Moriens nihil aliud dixit, quàm *dignus*. Quâ voce ſe reprehendit, & quòd tantis occaſionibus oblatis à Nerone non defecerit, & quòd inermis ad Tyrannum acceſſiſſet. *Dio.*

Digitized by Google

ANNO CHR. 69.

CLAVDIVS DOMITIVS NERO VI. Romanorum Imperator, filius *Cn. Domitij Ænobarbi*, & Agrippinę. Hominem, feram, monſtrum ne dicam? ignoro. Orſus imperium per quinquennium ſecundum *Suetonium* erat valdè modeſtus, vndè hominem dici potuiſſet, niſi poſtea, & feram, & monſtrum euaſiſſet. Ita *Caligulæ* auunculi ſui veſtigia ſupergreſſus, vt turpe ſit dicere, ad quam malignitatem peruenerit. Plurimam enim Senatorum partem interfecit, equeſtrem ordinem penè deſtituit, bonis omnibus hoſtis fuit. Libidinibus porrò ita agitatus, vt ne à matre quidem & ſorore vllaue conſanguinitatis reuerentiâ abſtineret. Neque his contentus,, proh nefas? etiam maſculorum concubitor extitit. *Xiphilinus*. Parricidia innumera commiſit, matre, fratre, ſorore, vxore, præceptore interfectis. Epulas à meridie in mediam noctem protrahebat. Cantabat nonunquam inter ſcortorum miniſteria in publico totius vrbis. In vllâ re tam ſumptuoſior, quàm in ædificando; nam quaſi offenſus deformitate veterum ædificiorum, incendit vrbem, quam per ſex dies & noctes ardentem è turri proſpectans, & in ſuo ſcenico habitu incendio Troiæ decantans, lætari ſe flammæ ait pulchritudine, & cùm ei incendium adſcriberet, ipſe (vt ait *Cornel.Tacit.*) abolendo rumori falſos teſtes ſubornauit, qui id factum in Chriſtianos deriuarent, de quibus *Tertullianus* inquit: Si Tiberis aſcendit, ſi Nilus non aſcendit, ſi Cœlum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leones clamatur, vndè tot capti, & interfecti ſunt, vt ex eorum cadaueribus, per aliquot noctes lumina continuata dicantur. Illa autem inflammatio fiebat hoc modo: Illi miſeri, ſed felices, quia pro Chriſto talia patiebantur, tedâ, papyro, & cerâ ſuperueſtiebantur, indè ſtantibus ad palum gutturi vncus ſuffigebatur, ne motatione capitis picem effunderent, aut ignem declinarent. Poſtea in laminâ ardente pix aut vnguen in caput liquefiebat, ita vt toti arderent, noctuque luminis loco eſſent. Tantus autem Chriſtianorum numerus ita combuſtus eſt, vt riui pingue-

di-

Digitized by Google

dinis humanæ per arenam amphiteatri ſulcum facerent, vt Poetæ teſtantur. Dicebantur hi comburendi *Cerei*, item *Sarmentarij*.

Interim cùm pro ſacrilegio fidem, pro parricidio pietatem, pro inceſtu pudicitiam violaret, ipſamque poteſtatem Romani imperij, vel officia, vel negotia improbiſſimis libertorum committeret, & cùm nulli fidem ſeruaret, omnibus ſuſpectus, à Senatu hoſtis iudicatus, deſertus ab omnibus etiam ſuis, fugit nocte ab vrbe quatuor tantùm comitantibus, nudo pede, cooperto capite, & ante faciem ſudario obtenſo. Cùmque ſe occultaſſet, perlato a curſore nuncio, hoſtem ſe à Senatu iudicatum, & quæri ad mortem, audiens comites appropinquare ad capiendum viuum, ictu gladij ſe percutere voluit, ſed trepidante manu, perficere non valuit: & cùm ex præſentibus nullum inueniret à quo feriretur, exclamauit dicens: *Ita ne nec amicum habeo, nec inimicum habere poſſum*! Videns hoc vnus adiuuit manum trementem, & ita perijt, anno vitæ ſuæ trigeſimo ſecundo, Imperij decimoquarto. Extincto *Nerone*, defecit *Iulij*, *&* *Auguſti* Cęſarum progenies, & Imperij ſucceſſio ad alias familias eſt translata, ſuccedente *Sergio Galba*. Hinc *Auſonius* de eo ſcripſit:

Æneadum generis qui ſextus, & vltimus hæres,
Polluit, & claudit Iulia ſacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoque crimina vitæ:
Diſce ex Tranquillo, me meminiſſe piget.

Tantum autem gaudium in morte eius fuit, vt plebs pileata, quod ſignum eſt lætitię, per totam vrbem diſcurreret. *Suet. Tacit. Dio. Ioſeph.*

ANNO CHR. 70.

SERGIVS GALBA VII. Romanorum Imperator ex nobili *Sulpitiorum* familiâ natus, ac per omnes dignitatis gradus ad proconſulatum Hiſpaniæ euectus: iam grandis natu, imperium ſeptimeſtre maiore hominum ab initio fauore, quàm læto ſucceſſu tenuit. Auaritia, ſæuitia, libido in eo principe tanta fuit,

fuit, vt *Nerone* deteriùs fuiſſet, ſi amplius imperaſſet: ex quo inuiſus cunctis, cùm *Piſonem* in conflatæ inuidiæ remedium adoptaſſet, *Othonem* imperij affectatorem magis contra ſe incitauit, qui furore percitus cum Prætorianis coniurauit contra *Galbam*, qui falſo rumore deceptus (quaſi *Ohto* in caſtris à militibus eſſet cæſus) è palatio in vrbem deſcendens à coniuratis circumdatus, nemine (*Sempronio* centurione excepto) repugnante, impetitur in lecticâ, & repetitis ictibus interficitur ad lacum Curtij anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo. Caput *Galbæ* à gregario milite eſt amputatum. Et quoniam illud præ caluitiâ arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inſerto per os pollice ad *Othonem* detulit. Ille lixis calonibus donauit, qui haſtâ ſuffixum non ſine ludibrio circum caſtra portarunt, acclamantes identidem: *Galba, cupidè fruaris ætate tua?* Sueton. Plutarch. Tacit. Et *Auſonius* ſic effatus eſt:

Spem fruſtrate ſenex, priuatus ſceptra meruit
Viſus; at imperio proditus inferior:
Fama tibi melior iuueni: ſed iuſtior ordo eſt,
Complacuiſſe dehinc, diſplicuiſſe prius.

TIGELLINVS SOFRONIVS præfectus prætorijs cohortibus, qui tot ſcelera apud Neronem commiſerat, trucidatur. *Tacit.*

MARCVS SALVIVS OTHO VIII. Romanorum Imperator, ex Principibus Hetruriæ ortum ducens, magnâ imperij cupiditate accenſus, Galbam vitâ priuauit; verùm non impunè tulit. Nam conſcientiæ ſtimulis grauitèr exagitatus eſt, etiam portentis non obſcuris territus, adeò vt pœniteret eum, ſcelere, fraudeque trucidato *Galba*, viam ſibi ad imperium aperuiſſe. Ac ſub idem tempus Germaniciani exercitus in *Vitellij* verba iurauerant. Expeditionem in eum impigrè, atque etiam præproperè inchoauit, cùmque trahi bellum opporteret, quamprimùm ipſe decertaturus venit, ſiue ardori militum impar, ſiue ſollicitudini. Et tribus quidem verùm mediocribus prælijs apud Alpes, circaque *Placentiam*, & ad ædem *Caſtoris* per Duces ſuos vicit, cùm ipſe quidem pugnæ non adeſſet. Nouiſ-

uiſſimè autem maximo prælio apud *Bebriacum*, vicinum Cremonę opidulum, fraude ſuperati ſunt Duces eius, cùm ſpe colloquij factâ, quaſi ad conditiones pacis militibus eductis, ex improuiſo dimicaretur. Cùm enim videret imperium aut ſibi deponendum, aut magnâ ciuium ſuorum ſtrage tuendum eſſe, ſpontè mori ſtatuit. Itaque amicis, militibuſque hortantibus, nè tam citò de belli euentu deſperaret, negauit ſe imperium, vitamque ſuam tanti facere, vt in periculum tales, tamque benemeritos conijcere, aut belli ciuilis occaſionem vllam præbere vellet, hoc ſymbolo vſus: *Vnus pro multis*. Senſus eſt: *Melius, & honeſtius eſt, vnum pro multis, quàm pro vno multos mori*. Talia loquutus in pugionem erectum, & vtrâque manu ſuffultum incubuit. ſemelque tantùm ad dolorem vulneris ingemuit: adeò militibus charus, vt multi ad eius exemplum, ante mortui pedes ſemet interfecerint. Vixit annos 37. imperauit dies 95. *Suet. Tacit.*

Eius laudes ſic ſatyricè deſcribit *Auſonius.*

> *Æmula polluto geſturus ſceptra Neroni,*
> *Obruitur celeri raptus Otho exitio.*
> *Fine tamen laudandus erit: qui morte decora*
> *Hoc ſolum fecit nobile, quòd periȳt.*

AVLVS VITELLIVS IX. Romanorũ Imperator filius *L. Vitellij* Præfecti Syriæ, & *Sextiliæ* probatiſſimæ, & nobiliſſimæ fœminæ, cùm exercitũ erga *Galbam Imperatorẽ* malè affectũ largitionibus, comitate, ac nimiâ familiaritate ad ſuas partes pertraxiſſet: Ecce menſe vix dum exacto, ſubitò à militibus, cùm cibi, vinique plenus eſſet, è cubiculo raptus, ita vt erat in veſte domeſticâ, Imperator eſt conſalutatus, perque celebrrimos vicos circumlatus. Vt Romam venit, cœpit omnia ſuo arbitratu gerere: explere libidinem ſuam, inſeruire voluptatibus, nullamque curam habere diuinarum, humanarumque rerum. Nimirum à principio talis erat quippè popinas frequentauerat, & ludos aleatorios, ſaltatorumq; & aurigarum ſtudioſus fuerat, conſumpſeratque in eos infinitam pecuniam, atque eius rei cauſâ magnum æs alienum contraxerat. Imperator factus nemini quicquam

ſol-

ſoluere voluit, ſatis magnnm beneficium eos habere dicens, quòd non interficerentur. Itaque tunc tantam potentiam conſequtus, cœpit multa grauiora facere: magnam diei, noctiſque partem conſumere in comeſſationibus, crebroque euomere omnia, vt ſolo tranſitu ciborum nutriretur. Cui quidem rei ipſe ſufficere poterat, quamuis cæteri, qui cum eo cœnabant, omnes miſerè interirent. Septem menſium ſpatio in cœnas abſumpſit nouies millies ſextertium, ferè quadraginta milliones, cùm vna aliquando cibi patina conſtiterit vltrà quadraginta florenorum millia, vt *Xiphilinus* habet. Vndè omne tempus principatus Vitellij nil aliud fuit, quàm ebrietas, & comeſſationes. Prodigalitati, luxuriæ, & crapulæ comes erat crudelitas; multos enim nobiles viros, condiſcipulos, & ęquales ſuos vario fraudis genere occidit, etiam vnum, venenum manu ſuâ porrectum, in aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre popoſcerat; aliaque innumera crudelitatis exempla dedit. Tandem octauo imperij menſe deſciuerunt ab eo exercitus *Mœſiarum*, atque *Pannoniæ*, ac pars in abſentis, pars in præſentis *Veſpaſiani* verba iurarunt. A quibus è latebris extractus *Vitellius*, & religatis poſt terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veſte diſciſſâ ſeminudus in forum pertractus eſt, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum viæ ſacræ ſpatium reductâ comâ à capite, ceu noxij ſolent, atque etiam mento mucrone gladij ſubiecto, vt viſendam præberet faciem, neuè ſubmitteret quibuſdam ſtercore, & cœno inceſſentibus, alijs incendiarium, & patinarium vociferantibus. Tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus, atque confectus, & poſteà vnco tractus eſt in Tiberim. Sic intrà biennium tres Imperium deguſtarunt potiùs, quàm perceperunt. Perijt cum fratre, & filio, anno ætatis 57. de quo *Auſonius*.

Vitæ ſors, mors fœda tibi, nec dignè Vitelli
Qui fieres Cæſar, ſic tibi fata placent.
Vmbra tamen breuis imperij: qui præmia regni
Sæpè indignus adit, non niſi dignus habet.

Hinc *Flauius Veſpaſianus* Imperator ſalutatus; imperauit annos

nos nouem, menſes vndecim, & dies quatuordecim. Succedit ipſi *Titus Veſpaſianus*, de quo ſuo loco.

ANNO CHR. 71.

IVLIVS SABINVS, Imperium antequam Cerealis adueniret, in Germaniâ ſumpſerat, ſed à Cereali vincitur aliquoties. Vt igitur tutus eſſet, rus abijt, & in ſepulchrum quoddam, quod incenſum fuerat ingreditur, ibi nouem annis cum vxore delituit, duoſque filios ex eâ genuit: nihilominus tamen cùm putaret ſe iam gratiam Imperatoris adipiſci poſſe, cum vxore occiſus eſt. *Xiphil.*

FONTEIVS AGRIPPA legatus conſularis occiditur à Sarmatis, qui Iſtrum tranſgrediuntur, & Mæſiam populantur. *Tacit.*

ANNO CHR. 77.

ALIENVS, & MARCELLVS, viri Conſulares Romæ coniurant de interficiendo Veſpaſiano, quo patefacto, *Alienus* iuſſu Titi trucidatur. *Marcellus* verò nouaculâ ſibi guttur præcidit. *Xiphil.*

ANNO CHR. 81.

TITVS VESPASIANVS XI. Romanorum Imperator, *Flauij Veſpaſiani*, & *Flauiæ Domicillæ* filius, in imperium ſucceſſit patri, quod benè, & laudabilitèr adminiſtrauit, omnibus fauorabilis ſe exhibens, adeò vt *Amor, & deliciæ generis humani* appellaretur, de quo Auſonius.

Felix imperio, felix breuitate regendi,
Expers ciuilis ſanguinis, orbis amor.

Sæpè repetebat, *non opportere quemquam à conſpectu Principis triſtem diſcedere*. Atque etiam recordatus quondam ſuper cœnam, quòd nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit: *Amici diem perdidi*. Clementiam vſque eò produxit, vt ampliſſimi ordinis duo, cùm aduerſus eum coniuraſſent, neque abnuere cogitatum ſcelus qui-

Digitized by Google

rent, monuerit primò: poſt deductos in ſpectaculũ ſecum, vtrinque aſſidere iuſſerit; petitoque ex induſtriâ Mirmillorum, quorum pugnæ viſebantur, gladio, quaſi ad explorandum aciem, vni atque alteri commiſerit, quibus perculſis, & conſtantiam mirantibus diceret: *Videtis nè poteſtates fato dari, fruſtraque tentari facinus potiundi ſpe, vel amittendi metu?* Tandem Hieroſolymâ captâ, abſolutiſque ſpectaculis, vbi vltimo die vbertim fleuerat, Sabinos petit aliquantum triſtior, quòd ſacrificanti hoſtia aufugerat, & cœlo ſereno tonuerat. Correptus igitur febri transfertur in villam, vbi pater mortuus erat, ibique non ſine ſuſpicione veneni à fratre Domitiano præſtiti, antequam moreretur, inquit, *vllum extare ſuum factum pœnitendum, excepto dumtaxat vno*. Id autem quale fuerit, nec ipſe prodidit, nec qui ſquam coniectare potuit; de quo *Auſonius* ſcribit:

Vnum dixiſti moriens te crimen habere,
Sed nulli de te, nos tibi credidimus.

Decidit cùm imperaſſet annos duos, menſes duos, & dies viginti. Succedit *Domitianus* frater, qui imperat annos 15. *Xiphil.*

ANNO CHR. 83.

FLAVIVS SABINVS Conſul, & Domitiani patruelis, iuſſu eiuſdem Domitiani occiditur, quòd errore præconis proclamatus fuiſſet non Conſul, ſed Imperator. *Suet.*

ANNO CHR. 96.

FLAVIVS DOMITIANVS XII. Romanorum Imperator, *Flauij Veſpaſiani*, & *Flauiæ Domicillæ* filius, nec non *Titi Veſpaſiani* frater, ſed tam patri, fratrique diſſimilis, vt *Caligulæ*, atque *Neroni* ſimilior eſſet, cuius pubertas, & adoleſcentia probroſa, virilis ætas effera, vitæque exitus fuit tragicus, & memoria remanſit execrabilis. Hinc politicorum monitum, non eſſe ſatis bonorum, vel nobilium eſſe filium vel fratrem, & conſanguineum, ſed te eſſe bonum conuenit; vndè in iactabundos nobiles eleganter cecinit quidam Poeta.

Sis licèt ingenuis clariſque parentibus ortus

Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes.
Adde decus patriæ, & claros tibi ſume propinquos,
Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes.
Sint tibi diuitiæ, ſit larga, & munda ſuppellex,
Eſſe tamen vel ſic beſtia magna potes.
Denique quidquid eris niſi ſit prudentia tecum,
Magna quidem dico, beſtia ſemper eris.

Patre defuncto nunquam ceſſauit *Domitianus* inſidias ſtruere fratri clam, palam: quo ad correptum graui valetudine, priuſquam planè efflaret animam pro mortuo deferri iuſſit. Initio principatus quotidiè ſecretum ſibi horarium ſumpſit, nec quicquam amplius quàm muſcas ſtilo confixit: vt cuidam interroganti, *eſſet nè quis intus cum Cæſare*, non abſurdè reſponſum ſit à Vibio Criſpo: *Nè muſca quidem*. Eratque tam doctus ſagittarum, vt inter patentes digitos extentæ manus vel pueri, vel viri procul poſiti iaculo tranſuolaret. Crudelitatem ex quotidiano illo exercitio didicit. Etenim ſtolidus primò muſcas, deindè homines perſequitur, crudelitati addebat hypocriſin, & calliditatem. Nam ſecuros, hilareſque à ſe dimittebat, & ſpe gratię plenos, quos mox interfecturus erat, & quo contemptiùs hominum potentiâ vteretur, nunquam triſtiorem ſententiam ſinè prędatione clementiæ pronunciauit, vt non aliud iam certius atrocis exitus ſignum eſſet, quàm Principis lenitas. Hypocriſin quoque ſuam, atque adeò ſtupendam dementiam hoc ipſo oſtendit, quod Senatoribus conuocatis prębuerit cœnam in hunc modum: Apparauit ædes nigerrimas ex omnibus partibus; erant enim atra laquearia, parietes ac pauimentum, in eoque ſedes nudæ eodem modo collocatæ erant. Quibus paratis rebus, eos ſolos de nocte introduci iubet abſque comitibus: ac primum omnium iuxtà vnumquemque columnam collocat, inſtar earum, quæ ſepulchris adhibentur, in quâ nomen eius continebatur, pendebatque lychnuchus paruus, qualis in monumentis ſuſpenditur: tum elegantes pueri nudi, atramentoque obliti, tanquam ſpectra quædam ingrediuntur, ipſoſque horribili ſaltatione circumeunt; eoque facto ante pedes eorum con-

ſiſtunt: ad extremum omnia, quæ in exequijs mortuorum adhiberi ſolent, in vaſis eodem modo eis appoſita fuerunt. Quas ob res quiſque reformidare cœpit, & perhorreſcere, quòd ſe iam expectarent interfectum iri, præſertim quòd cæteris magnum ſilentium erat, quaſi iam mortui eſſent: paulò poſt venit ipſe Imperator, habetque orationem de morte, vt ita certius miſeri putarent ſibi moriendum eſſe. Cùm eos ſatis diù detinuiſſet, dimiſit eos, ſed additis peregrinis comitibus, paulò poſt ſequuntur munera Imperatoris cum pueris iam benè lotis, qui donabantur ſimul Senatoribus. *Xiphil.*

Alio quoque tempore crudelitèr graſſatur in Senatores, multoſque occidit, aut in exilium eijcit. Deindè eo veſaniæ procedit, vt ſe Deum iuſſerit appellari. Ita enim edictis ſuis præſcribit iuſſit. *Dominus, & Deus noſter ſic fieri iubet.* Sic Poeta *Martialis*, qui eius tempore floruit, lib.8.in fin.inquit. *Edictum Domini Dei noſtri.* Et *Statius* lib.4. *En hic eſt Deus, hunc iubet beatis pro ſe Iupiter imperare terris.*

Interim *Domitianus* nomina eorum, quos ſuſpectos trucidare volebat, in tabulis quibuſdam ediderat. Eas ſumit puer inſcius harum rerum, & incidit in Domitiani coniugem, quem & ipſa in numero erat trucidandorum. Ideò rem cum alijs communicat, & *Neruam* Imperatorem eligit,& alios ad occidendum Domitianum inſtruit. Domitianus præcedenti die ominatus cædem, dixit, ſe metuere ne luna in acquario ſe cruentaret, circà horam quintam ſequentis diei. Sed ſequenti die ipſi de horis inquirenti, ſexta pro quinta annunciata eſt: & paulò poſt occiſus eſt adhuc ante meridiem in cubiculo, primò inguinâ ſuffoſſus à *Stephano* Auguſtæ procuratore, qui ſecretum eius colloquium petens,breuemque gladiolum ſiniſtro brachio occultans, manum tamquàm fractam multis faſcijs, laniſque per aliquot dies ad auertendam ſuſpicionem circumligauerat; eique libellum legendum tradiderat. Hic cùm ſaucius repugnaret ac colluctaretur, ſeptem vulneribus à libertis cæteris accurrentibus trucidatus eſt. Factum die 18. Septembris,anno ætatis 45. Imperij 15. Mortem eius grauiſſimè tulerunt milites, quos verò

verò authores cædis fuiſſe putarunt, vnum genitalibus amputatis, & in os coniectis: alios duos vno ictu iugularunt. Contrà Senatus eius morte adeò lætatus eſt, vt repletâ certatim curiâ non ſibi temperaret, quin mortuum contumelioſiſſimo, atque acerbiſſimo acclamationum genere lacerarent, omniumque imaginum, titulorum, & memoriæ eius abolitionem decernerent. *Sueton.* *Auſonius* vero de eo ſic effatur:

Hactenus edideras dominos gens Flauia iuſtos,
Cur duo quæ dederant, tertius eripuit?
Vix tanti eſt habuiſſe illos: quia dona bonorum
Sunt breuia: æternum, quæ nocuere, dolent.

Succeſſores eius fuêre *Nerua*, *Cocceius*, *Vlpius Traianus*, *Aëlius Adrianus*, *Antoninus Pius*.

ANNO CHR. 105.

DECEBALVS Rex Dacorum cum *Traiano* decertans, poſtquàm regiam, regionemque ſuam omnem captam eſſe cognouit, imminereque periculum, nè ipſe quoque caperetur, manus ſibi attulit. Eius caput Romam perlatum eſt, & Dacia in poteſtatem Populi Romani venit, in eamque Traianus coloniam deduxit. Traianus theſauris etiam Decebali potitur, in flumine Sargetiâ defoſſis, quos per captiuos quoſdam ibi abſconderat, captiuis iſtis poſteà interfectis *Xiphil.*

ANNO CHR. 118.

HAdriani iuſſu occiduntur præſtantiſſimi viri, vt *Palam*, qui bis Conſul fuerat, *Celſum Nigrinum*, & alios, & nè propter eà Hadrianus in odium veniret, iurauit apud populum, ſuo iuſſu eos interfectos non fuiſſe *Xiphil.*

ANNO CHR. 136.

SEVERIANVS ſororis Hadriani maritus, ſenex nonagenarius vnâ cum nepote *Fuſco* octodecim annorum adoleſcente occiditur iuſſu *Hadriani*, eò quòd moleſtè ferrent Hadrianum ſucceſſorem nominaſſe *L. Aelium Verum*. Seuerianus antequam occi-

Digitized by Google

occideretur, ignem popoſcit, incenſoque thure, *Vos*, inquit, *Deos obteſtor, me nihil mali commiſiſſe. Hadriano tantùm imprecor, vt cùm mori cupiet, non poſſit.* Xiphil. De facto hoc accidit; cùm enim Hadrianus magicis artibus aquam inter cutem eduxiſſet, & eâdem iterum repleretur, & morbo aucto, & remedijs adhibitis in dies deficeret, mori decreuit. Sæpè enim venenum aut gladium ſibi poſtulauit, ſed fruſtrà, cùm nemo ea porrigere vellet. Ideò tandem, contemptâ dietâ, cibo, & potu vſus minus idoneo, mortem accelerauit. Mortuus eſt die decimâ Iulij cùm imperaſſet annos 21. vixiſſet annos 63. Succedit ipſi *Antoninus Pius*.

ANNO CHR. 161.

SERVIANVS Dux in Armeniâ, occiditur à *Vologæſo* Parthorum Rege, qui etiam magnâ clade Romanum afficit Imperium.

ANNO CHR. 180.

MARCVS AVRELIVS ANTONIVS XVII. Romanorum Imperator filius *Annij Veri, & Domitiæ Clauillæ*. Ipſe ob maximas ingenij dotes, datus ab Hadriano eſt Antonino Pio adoptandus. Initio principatus, ſtatim ſocium, & participem imperij cepit *Lucium Verum* Lucij Commodi filium, eò quòd, vt *Dio* refert, ipſe erat imbecillis, dedituſque ſtudijs litterarum. Ferunt enim non erubuiſſe eum, cùm eſſet Imperator, nec puduiſſe vnquam ad ædes magiſtri ſe conferre, ſed adijſſe crebrò *Sextum Beotum* Philoſophum, & ad audiendas *Hermogenis* diſſertationes rhetoricas haud ſegniter veniſſe, verùm imprimis Stoicorum præcepta ſequutum eſſe. Ob excellentem igitur litterarum, & Philoſophiæ ſcientiam, quæ magnum illi adiumentum attulit ad felicem Imperij adminiſtrationem, cognomen *Philoſophi* ſortitus eſt. *Lucius* verò robuſtus, & adoleſcens erat, tum etiam ad rem militarem aptior. Huic Marcus Lucillam filiam ſuam in matrimonium dedit, generumque factum ad bellum cum Parthis gerendum miſit, ſed aliquanto

tem-

tempore poſt, Marco ſocero ſuo inſidias paraſſe dicitur,ideò veneno ſublatus eſt, antequam negotium conficeret.

Vxorem habuit *Fauſtinam* Antonini Imperatoris filiam, eamque adulterijs infamem in radicibus montis Tauri ſubito amiſit morbo. Sed *Marcus Antonius* eam laudauit, diſſimulatâ eius impudicitiâ. Monitus olim vt repudiaret eam, ſi nollet occidere, dixiſſe fertur: *vxorem dimittimus, reddamus & dotem*. Dotis nomine ſignans imperium,quod ille à ſocero adoptatus acceperat. Multis igitur virtutibus prædictus fuit *Marcus Antonius*, clementiâ præcipuè, benignitate, & liberalitate, vt iure merito inter cæteros qui vnquam principatum tenuerunt, optimus dici poteſt, de quo ſcribit *Auſonius*.

Poſt Marco tutela datur, qui ſcita Platonis
Flexit ad imperium, patre Pio melior.
Succeſſore ſuo moriens, ſed principe prauo,
Hoc ſolo patriæ, quod genuit, nocuit.

Tandem cùm annos 19. regnaſſet, & 59. vixiſſet, in morbum incidit, & à medicis, qui *Commodo* filio gratificabantur, occiditur die 16. Martij. Id parricidium autem adeò diſſimulauit, vt filium ſuum Commodum ipſe militibus commendaret, (nolebat enim videri, vt mors ſibi ab illo afferretur) tribunoque militum teſſeram poſtulanti reſpondit: *Abi ad Orientem. Ego enim iam ad occaſum pergo*. Mortuus cum alijs magnis honoribus afficitur,& incredibile eſt dictu, quantum ex obitu eius dolorem ceperint omnes. *Eutrop. Dio. Sext. Aurel. Vict. Capitol.* Succeſſit igitur optimo Imperatori degener filius *M. Aurelius Commodus Antoninus*.

ANNO CHR. 192.

AVRELIVS COMMODVS XVIII. Romanorum Imperator ex adulterio *Fauſtinæ* natus,filius *M. Aurelij Antonini* putabatur. *Commodus* per antiphraſin dictus, h. e. nomine, ſed non omine, & re, quia nullis commodus, quin potius cunctis incommodus extitit. Quidquid pater eius conſtituerat, non multò poſt conturbauit, peſſimis artibus, crudelitati, auaritię, ſuperbię, libidini, & id genus tyrannicis criminibus prorſus

deditus. Duodecim annos natus, quod tepidus lotus eſſet, balneatorem in fornacem conijci iuſſit: in Senatores Romanos graſſatus crudelitèr eſt, occidit *Seruium Iulianum* & *Paternum*, à quibus faciliimè imperio excuti potuiſſet, cùm magnis exercitibus præeſſent; *Quintilios* inſuper, qui doctrinâ, auctoritate, & diuitijs plurimùm pollebant. *Sex.Condianus*, cùm eſſet in Syriâ, & ſciret ſe condemnatum iri, ſanguinem leporinum bibit, indè domum allatus delituit: tum aries pro eius corpore in arcam coniectus, combuſtus eſt. Ipſe verò ex eo tempore vario ſemper habitu, mutatâque veſte huc, & illuc vagare cœpit, ſed proditus famâ tandem interficitur. Et ſic *Commodus* magnum numerum virorum, & mulierum partim palam interfecit, partim clàm veneno ſuſtulit. Ideò inſidiæ ſæpius à multis paratæ ſunt, cùmque vxorem duxiſſet *Criſpinam* (quam non multò poſt è medio ſuſtulit) *Lucilla* Commodi ſoror, & filia Marci Imper. domo exacta eſt, quæ propterea fratri infenſa de eo trucidando conſilia init cum adoleſcente nobili *Quadrato*. Sed ſtultus dum pugionem nudat, dicit: *Hunc tibi Senatus mittit*, nec facinus ſubitò perpetrat, ideò comprehenſus pœnas amentiæ dedit, & Lucilla pariter occiſa eſt, quæſtionem exercente *Perenne*. Alio quoque tempore *Perennis* prætorio præfectus, & ipſe conſpirat contrà Commodum, quæ inſidiæ patefactæ ſunt in ipſis ludis Capitolinis ab homine ignoto, cui fides habita non eſt, ſed ſtaſtim igne crematus. Cùm verò poſteà Perennis nummos cuderet, illi publicas inſidias patefecerunt, & Perennis cum filio interfectus eſt. *Herod.Dio.*

Libidines porrò eius, & flagitia inhoneſtiſſima, honeſtè nominari, nec referri poſſunt. Hac enim in parte Caligulas, Nerones, & quidquid nequiſſimorum hominum, ac perditiſſimorum eſt, facilè æquauit, imò ſuperauit. Nam *Lampridius* de eo ſcribit, quod trecentas concubinas è matronis ac meretricibus delectas, trecentos item alios puberes exoletos è plebe æquè ac nobilitate habuerit, ſtupra item ſororibus omnibus intulerit, templa libidinibus fœdarit, vt denique mulierculæ iſtæ in illius conſpectu violarentur, mandauerit. Libidini cómitabatur ſuper-

perbia & ambitio, quæ ex eius titulis apparet. Quando enim ad Senatum ſcribebat vltimis ſuis temporibus, hoc vtebatur titulo: *Imperator Caſar Lucius, Aelius Aurelius, Commodus, Antoninus, Auguſtus, Pius, Felix, Sarmaticus, Germanicus, Maximus, Britanicus Pacator orbis terrarum inuictus, Romanus Hercules Pontifex Maximus, Tribunitiæ poteſtatis XVIII. Imperator, VIII. Conſul, VII. Pater patriæ &c.* Sed tantæ veſaniæ & impudentiæ erat, vt muliebri veſte indutus publicè in Senatu ſedens ſæpiſſimè biberit. Gladiandi arte valdè ſibi placebat. Vndè refert *Lampridius*, Commodum in arenam deſcendiſſe, gladiatorumque certamen ſubijſſe, & nomina eorum recepiſſe eo gaudio, quaſi accepiſſet triumphalia. Ludum ſemper ingreſſum eſſe, & quoties ingrederetur, publicis monumentis indixiſſe. Pugnaſſe autem ſeptingenties tricies quinquies: tantumque palmarum gladiatoriarum confeciſſe, vel victis retiarijs, vel occiſis, vt mille contingeret. Ferarum autem diuerſarum manu ſuâ occidiſſe multa millia, itaut elephantos comprimeret. Et hæc ſpectante ſæpè populo Romano. Gladiatoris quoque nobiliſſimi vita functi nomen adoptauit: vt eſt ab Herodiano traditum. Cùmque Calendis Ianuarij habitu athletico, deducente gladiatorum agmine, non ex Imperatorijs ædibus, ſed ex ipſo gladiatorio ludo purpurâ Imperatoriâ amictus in conſpectum populi Romani prodire, & pugnare conatur, Principis & Reipublicę dignitate poſtpoſitâ ab impudenti hoc facinore dehortari multis lacrymis *Marcia concubina* vellet, vti etiam *Lætus* exercituum præfectus, & *Electus* cubiculi cuſtos: Commodus hiſce iratus, eoſque fideliter recteque monentes ferre non potuit; vndè & *Marciæ*, & illorum, & plurimorum Senatorum nomina in libello conſcribit, vt trucidarentur. In eandem ſchedulam incidit *Marcia*, quæ re deliberatâ cum reliquis venenum Commodo propinat, quod ſatis efficax non fuit, cùm Commodus ſe vino ingurgitaſſet, ideò conatus eſt id euomere: veriti illi, ne veneno omni eiecto colligeret ſe ſe, atque vnâ omnes interfici mandaret, iuueni cuidam, nomine *Narciſſo* ſtrenuo ac robuſto, perſuaſerunt, vt ad Commodum ingrederetur, eumque ſtrangula-

ret, magna præmia ſe daturos polliciti. Hic irrumpens illum, & veneno & crapulâ languentem, conſtricto gutture interficit. Hunc exitum Commodus habuit, cùm imperaſſet annos duodecim, & octomenſes ætatis ſuæ anno 31. de quo *Auſonius*.

Commodus inſequitur, pugnis maculoſus arenæ,
Threcidico Princeps bella mouens gladio.
Eliſo tandem perſoluens gutture pœnas;
Criminibus faſſus matris adulterium.

Poſt eius mortem, cadauer vnco trahi, & in Tyberim præcipitari, flagitauit Senatus Populuſque Romanus ingenti gaudio. Honores quos indebitos ſibi rapuerat, aut extorſerat, eidem detrahi. Voces eorum è *Maximo Mario* hiſtoriarum conditore, cùm aliæ, tum hę memorabiles ſunt, & inimicitiæ in eum indices: Hoſti patriæ honores detrahantur: parricida trahatur. Hoſtis patriæ, parricida, gladiator, in ſpoliario lanietur: Hoſtis Deorum, parricida Senatus, Hoſtis Deorum, hoſtis Senatus. Denique vncum ei efflagitare, quòd ſibi & Imperatori, & militibus prætorianis, cæteris item, adeòque toti Reipublicæ inimiciſſimus fuiſſet, non deſtiterunt. Impuri gladiatoris memoria aboleatur, gladiatorem in Spoliario. Exaudi Cæſar. Carnifex vnco trahatur. Sæuior *Domitiano*, impurior *Nerone*, ſic fecit, ſic patiatur. Memoriæ innocentium ſeruentur: honores innocentium reſtituas &c. Vide *Lampridium in Commodo* §.6.

Succedit ipſi ineuntibus Calendis Ianuarij. *P. Heluius Pertinax*, qui imperat diebus 87.

ANNO CHR. 193.

PVBLIVS ÆLIVS, ſiue *Heluius Pertinax* XIX. Romanorum Imperator, natione Ligur, origine ortus ſordidâ. Pater enim *Succeſſus* lignariam, ſiue coctiliariam exercuerat, ſiuè ligna cocta, & arida *ἄκαπνα* vendidit. Ipſe in initio ſtudia coluit, & poſteà ſtrenuis factis emerſit, & Imperatoribus carus fuit. Itaque propter induſtriam militarem primò Conſul, poſteà Præfectus cohortis in Siriâ electus eſt. Indè in Myſiâ alam, & in Germaniâ claſſem rexit, tandem præfecturam Vrbis Ro-

mæ

mæ promeruit, ex quâ Imperator effectus eſt inuitus & coactus, indeque cognomentum *Pertinacis* ſortitus eſt; cùmque Senatus inſtaret, vt & vxorem Auguſtam appellaret, *ſatis ſibi eſſe*, dixit, *quòd ipſe inuitus imperaret*. Vir bonus & optimus fuit *Pertinax*, ſed principatum tenuit paruo tempore. Cùm enim militibus prętorianis donatiuum mediocre dediſſet, irati ſunt, quam occaſionem arripuit *Lætus* prætorij pręfectus, homo auaritiæ inſtabilis, & lubricæ fidei; hinc ſeditionem mouet contrà Pertinacem, cui tamen antea imperium detulerat, & *Falcanonem* Conſulem ad imperium euocauit. Sed Pertinax ipſius conatibus obuiam iuit, & ſeditionem ſedauit, non tamen Falcanonē, vt Senatus voluerat, occidit. Poſteà idem *Lætus* prętorianos mittit ad Pertinacem occidendum, qui cubiculo egreſſus, ac milites prætorianos in ſe irruere conſpicatus, ita ad eos orationem habuit: *Me quidem, ò milites, ſi occiditis, neque ipſi rem magnam facitis, neque mihi ſanè grauem, homini videlicet huius ætatis & gloriæ. Siquidem humanæ vitæ finis certè eſt aliquis neceſſarius.* At coniurati orationem eius vilipendentes impetu in palatium facto, principem neque fugere, neque occultare ſe dignantem, oratione etiam graui, & conſpectu ſuo gladios eorum morantem tandem obtruncarunt, cùm imperaſſet menſes duos, dies viginti quinque, & vixiſſet annos 67. & aliquot menſes. *Tauſius* quidam Tungrorum vnus, facinus illud auſpicatus ſcribitur, & haſtam in pectus Pertinacis primum ieciſſe. Illum verò Iouem vltorem precatum, togâ caput operuiſſe, atquè à cæteris confoſſum eſſe. *Iulius Capitol.* §.4. Perijt cum illo *Electus*. Is enim ſolus fugere non ſuſtinuit è numero Aulicorum. Præſtò potius ei fuit, & multos militum vulnerauit, duos confodit: itaque opem Imperatori ſuo, quo ad potuit, tulit. Huius caput totâ vrbe circumuectum eſt. Hoc exitu obijt, vir ad humanæ conuerſationis exemplum per laboris genera vniuerſa aſſumptus, prouectuſque eò, vt *Fortunæ* vocaretur *Pila. Aurel. Vict. Dio. & alij.* *uſonius* eum ſic commendat.

Helui, iudicio & conſulto lecte Senatus,
Princeps decretis prodite, non ſtudijs,

 Quòd

Quòd doluit maleſida cohors; errore probato,
Curia quòd caſtris ceſſerat imperio.

DIDIVS IVLIANVS XX. Romanorum Imperator, filius *Petronij Didij Seueri*, & *Claræ Æmiliæ*, homo pecunioſiſſimus, & profuſæ luxuriæ, ac nouarum rerum cupidus, quibus etiam de cauſis Mediolanum in patriam à Commodo relegatus fuerat, vt primùm cædem *Pertinacis* intellexit, properè ad exercitum contendit. Cùmque ad portas muri veniſſet, petere cœpit à militibus Romanum imperium. Hic res vrbi turpiſſima, atquè indigniſſima populo Romano accidit. Roma enim, vnâ cum toto ſuo imperio, quaſi in foro aut mercatu venalis propoſita eſt: eamque vendebant ij, qui Imperatorem ſuum occiderant. Emebant autem Sulpicianus, & Iulianus, factis contrà ſe mutuis licitationibus; ſed *Iulianus* ingenti pecuniâ militibus promiſſâ, Imperator ſalutatus eſt, & è caſtris in forum atquè Senatum deducitur, magno prætorianorum numero ſtipatus. Eius ſymbolum fuit, *Inpretio, pretium*. Nam pecuniæ omnia obedire, & in pretio pretium eſſe dixit: quod in numerato non habet, in pretio non eſt. Huc pertinet illud Naſonis.

Aurea nunc verè ſunt ſæcula: plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.

Populus Romanus Iuliano infenſus, ad *Peſcennium Nigrum* mittit, qui ſe liberet à dominatione Iuliani. Ideò imperium aſſumit circà calendas Maii, imperatque annum vnum, & ferè ſex menſes. *Septimius Seuerus*, cùm eſſet in Pannoniâ, & reliquis vicinior Italiæ, appellatur ab exercitu ſuo Auguſtus ferè inuitus, die 15. Maij. Is, cùm etiam *Clodius Albinus*, qui Britanniam, & Germaniam cum fortiſſimo exercitu obtineret, Imperator à ſuo exercitu ſalutatus eſſet, nè & cum *Nigro*, & *Albino* pugnare cogeretur, Albino perſuadet, vt quieſcat, & dignitatem Cæſaream accipiat, indè Romam verſus mouet. Iulianus ſibi metuens offert Seuero ſocietatem imperij, ſed nihil obtinet: Ideò petit à Senatu, vt Virgines Veſtales, & Senatus obuiam Seuero procedant, & eum placent: ſed reſpondent eum indignum eſſe imperio, qui ſe armis defendere non poſſet. Prætoriani ſibi metuentes,

Digitized by Google

tes, etiam pacem petunt à Seuero, ſed coguntur eos tradere, qui *Pertinacem* occiderant. Indè *Seuerus* in Vrbem venit, & *Iulianum*, abrogato ei imperio, capitis damnauit, & trucidari iuſſit, nec quicquam percuſſoribus dixit, niſi: *Quid ego admiſi? Quem occidi?* Et tamen nonnullos ciuium interfecerat, etiam pueros complures necauerat, magicarum diuinationum gratiâ. *Marciam* item & *Lætum* necis *Commodianæ* auctores. Regnauit dies 66. vti *Dio* teſtatur. Eius Epitaphium ab *Auſonio* erectum ſic ſe habet:

Dÿ bene, quòd ſpolÿs Didius non gaudet opimis:
Et citò periuro præmia adempta ſeni.
Tuque Seuere pater, titulum nè horreſce nouantis
Non rapit Imperium vis tua, ſed recipit.

ANNO CHR. 194.

SEVERVS compoſitis vrbis rebus, aduerſus *Nigrum* imperij æmulum proficiſcitur. *Niger* vt erat belli ſtudijs admodum exercitus, quæ neceſſaria erant comparat, Orientis auxilia poſtulat, Byzantion occupat in Europâ. Quòd, vt accepit Seuerus ad Cyzicum contendit, vbi cum Nigri Ducibus felicitèr pugnauit. Syri moti victorijs *Seueri* à Nigro deficiunt, quibus ille infenſus Mauros mittit, qui aliquot vrbes ceperunt, homines trucidauerunt, & vrbes cremauerunt, vt Laodiceam, Tyrum etiam, & alias vrbes. Interim cùm ingrueret hyems tempeſtatibus & inundationibus ruptæ ſunt illæ munitiones ad Taurum montem: igitur Seuerus tandem cum Nigro concurrit ad ipſum montem, vbi quondam Alexander cum Dario congreſſus fuerat: Niger victus fugit Antiochiam, vbi non receptus in Suburbio trucidatus eſt. *Herod.* Atque is fuit Nigri exitus, boni Imperatoris, ſi fides Oraculo habetur, quo reſponſum fertur:

Optimus eſt Fuſcus, bonus Apher, peſſimus Albus.

ANNO CHR. 198.

ALBINVS Imperator à ſuo exercitu ſalutatus, à *Seuero* diſſentire incipit, cùm Seuerus Albino Cæſaream dignitatem

non

Digitized by Google

non daret, & Albinus inſuper Auguſtus dici vellet. Ideò vtrinque præparantur exercitus. Seuerus in Gallijs ad Lugdunum cum Albino prælio concurrit, & primo die Dux eius vincitur: altero die cùm ipſe in dextero cornu vinceret, dum fugientes hoſtes perſequitur, exercitus eius in foueas fraude factas delabitur, & fortuna prælij ferè conuerſa fuiſſet, niſi ipſe ſuâ manu milites in prælium reduxiſſet, & fugientes occidiſſet: Quin & Seuerus ipſe de equo decidit, ſic vt extinctus putaretur. Tandem vincit magnâ clade, in quâ etiam *Albinus* occiſus, eiuſque caput abſciſſum, & ad Seuerum allatum eſt, qui Romam id miſit, vt victorem ſe declararet: & vt exemplum illius neceſſarij caperent, quid ipſis patiendum foret, publicè id patibulo affigi iuſſit. Cùmque Romam veniſſet *Seuerus*, Orationem habuit in Senatu, in quâ Syllæ Martij, item Commodi crudelitatem laudauit, lenitatem autem Cæſaris tanquam intutam vituperauit, itaut totus Senatus ſibi metueret; attamen triginta quinque Senatores reos amicitiæ cum Albino abſoluit, ſed contra alios viginti nouem Senatores morte damnauit, & in his ſocerum Pertinacis Sulpitiani. *Dio.*

ANNO CHR. 205.

PLAVTIANVS Afer, ex tenui loco euectus eſt ad ſummam potentiam, & maximas opes à *Seuero*, adeòque carus ei fuit, & præfectus vrbis efficitur, huiuſque filia *Plautilla* cum *Antonino Caracalla* nuptias celebrat, cui pater tantum dedit, quantum Reginis quinquaginta ſatis fuiſſet: ditiſſimus enim erat *Plautianus*, ita vt de eo diceret populus, eum plus poſſidere, quàm tres viros, hoc eſt quàm Seuerus cum duobus filijs. *Dio* de Plautiano ita ſcribit: *Omnia concupiſcebat, omnia petebat, omnia accipiebat: nec gentem, nec vrbem vllam relinquebat non ſpoliatam, ſed omnia & vndecumque rapiebat.* Refert prætereà *Herodianus*, Plautianum præcipuæ authoritatis, poſt Seuerum, & filios eius Cæſares, ſuperbiâ ita redditum trucem & horribilem, cum ſupremæ dignitatis inſignibus dum incederet: vt non modò non adiretur à quoquam: ſed etiam qui fortuitò occurrebant, ab eodem

dem verterent oculos. Quin & antambulones aliquot, quacumque iter faceret, denunciabant: Nè quis in proximo conſiſtere, neuè illum contueri auderet, ſed auerterent vniuerſi oculos, terramque deſpectarent. Cætera magis tetra omitto. Talis cùm eſſet, non potuit diuturna eius eſſe felicitas. Sed primùm hoc furore punitus eſt, vt vitæ *Seueri*, & *Baſſiani* inſidias strueret quibus deprehenſis, *Plautianus* à *Seuero* in Palatium vocatus, ibi interfectus eſt: Et cadauer monſtratum *Iuliæ*, vt lætaretur, & *filia Plautiani*, vt dolore afficeretur. Hic fuit exitus hominis aulici, qui potentiæ ſuæ fiduciâ nimiam licentiam ſibi ſumpſerat, oblitus huius præcepti:

Fortunam reuerentèr habe, quicumque repentè
Diues ab exili progrediere loco.

Huc videtur reſpexiſſe *Claudianus* cùm cecinit:

Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet: deſæuit in omnes,
Vt ſe poſſe putet; nec bellua tetrior vlla eſt,
Quàm ſerui rabies, in libera colla furentis.

ANNO CHR. 211.

SEPTIMIVS SEVERVS PERTINAX XXI. Romanorum Imperator, filius *Marci Getæ* equitis Romani, & *Fuluiæ Piæ*. Ab illâ Africâ olim imperij Romani æmulâ genitus fuit Seuerus, ipſe, & non alius Romanorum Imperator ex Africâ oriundus legitur, de quo *Auſonius*:

Punica origo illi, ſed qui virtute probaret,
Non obſtare locum, cùm valet ingenium.

Hic primùm fiſci aduocatus, mox militaris Tribunus, per multa deindè ac varia officia atque honores vſque ad adminiſtrationem totius reipublicæ peruenit. *Pertinacem* ſe appellari voluit, in honorem eius Pertinacis, qui à Iuliano fuit occiſus. Parcus admodùm fuit, naturâ ſæuus, bella multa & felicitèr geſſit. *Peſcennium Nigrum*, qui in Ægypto & Syriâ rebellauerat, apud Cyzicum interfecit. Parthos vicit, & Arabes interiores, & Adyabenos. Arabas quoque ſuperauit, vt etiam prouinciam ibi faceret.

Digitized by Google

ceret. Idcircò *Parthicus*, *Arabicus*, *& Adyabenicus* dictus eſt. Multa toto orbe Romano reparauit. Arcus adhuc Romæ victoriæ monimentum titulis magnificentiſſimis viſitur. Britannos tumultuantes conpeſcuit, vallo per 32. paſſuum millia à mari ad mare ducto. Cùmque à Britanniâ rediret, non ſolùm victor, ſed etiam in æternum pace fundatâ: Scurra quidam obuiam factus, futura illi hunc in modum vaticinatus eſt: *Fuiſti Cæſar, totum viciſti, iam Deus eſto victor*. Cuius diuinatio licet iocus eſſe videbatur, conſtat nihilominus tamen Cæſarem paulò poſt perijſſe. Eius mortis genus narrat *Aurelius victor*, Seuerum cùm membrorum omnium, maximè pedum, dolorem pati non poſſet, veneni vice, quod ei denegabatur, cibum grauis ac plurimæ carnis auidius infarſiſſe, quem cùm conficere non poſſet, crudelitate oppreſſum expiraſſe. Moriturus deplorans humanas miſerias dixit: πάντα ἐγενόμην καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ. h. e. *Omnia fui, & nihil mihi prodeſt*. Vixit annos 65. menſes octo imperauit annos 17. menſes ſeptem, dies tres. Succedunt ipſi filij ambo, *Antoninus Caracalla*, & *Septimius Geta*, qui ſimul imperarunt annum, & dies 22. *Spart. Dio. Aurel. Vict. Eutrop.*

ANNO CHR. 212.

ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA XXII. Romanorum Imperator vnâ cum fratre *Geta* filius *Septimij Seueri*, & *Martiæ*, quam Seuerus duxit tempore Antonini Imperat, cùm adhuc priuatus eſſet. *Caracalla* ità dictus eſt à veſte, quam militibus diſtribuerat. Poſt mortem Seueri totum imperium obtinuit, nam & ſi dicebat id ſibi eſſe cum fratre commune, tamen reuera ſolus imperare cœpit, ideò perpetuò diſſentiones inter ipſos ortæ ſunt. *Caracalla* ſtatim occidit medicos aulicos, quòd noluiſſent accelerare mortem parentis, & inſidiatus eſt Getę; cùmque Imperatores fratres ita inter ſe diſſentirent, Imperij Proceres de ijs ſeparandis conſilium proponunt, vt alter Antiochiæ, vel Alexandriæ reſideret, & partes imperij in Oriente adminiſtraret: alter Romę eſſet, & Occidentem haberet. Cùm autem nihilominus in dies odium, ac diſcordiæ gliſce-

ſcerent: Nam ſiuè Duces, ac Magiſtratus aliqui eligerentur; vterque amico ſuo potiſſimum ſuffragabatur: ſiuè ius dicerent, ſemper diuerſa ſentiebant, magno interdum illorum periculo, quorum res agebatur. Ideòque tandem impatiens *Antoninus* ac Imperij totius cupidine inſtigatus *Getam* fratrem ſuum interficit. Ita enim de eo ſcribit *Herodianus* §.2. *Baſſianus* in fratris cubiculum irrumpens, nihil eum tale expectantem, ſupra matris pectus, multo ſanguine vndantem obtruncauit, cùm ille quidem de collo matris pendens, clamaret: *Mater opem fer mihi, interficior.* Ac mater non tantùm ſanguine filij reſperſa eſt, ſed etiam vulnus in manu accepit; nec tamen dolere ei licuit, ſed lętari ac ridere coacta eſt. Accidit cædes die 25 Februarij. *Geta* vixerat annos 22. & menſes nouem. Prohibuit nè poſteà nomen *Getæ* Romæ vſurparetur, etiam nec in Comœdijs. Inter cæteros occiſus eſt etiam *Papinianus*, quòd noluiſſet excuſare parricidium compoſitâ oratione. *Spart.* Omnes, quos ſciuit fauiſſe *Getæ* fratri, interfecit ad viginti millia. *Cilonem* etiam, quem nominabat patrem & educatorem ſuum occidere voluit per milites: ſed hi eum captum, & crudeliter tractatum trahunt per plateas, populus autem miſertus Cilonis, tumultuari incipit, ideò *Caracalla* etiam commotus illum eripuit cædi, & conſeruauit, & milites illos contrà occidit, ſpecie quidem quòd Ciloni feciſſent iniuriam, revera autem, quòd eum non ſtatim occidiſſent. *Dio.*

Crudeliſſimus igitur extitit *Caracalla*, qui in Gallias proficiſcens proconſulem ibi occidit. Quatuor etiam virgines Veſtales occidi iuſſit, ſed innocentes ferè, quarum vnam *Clodiam* ipſe ſtuprare conatus fuerat, ſed non poterat, vi venereâ deſtitutus. Romæ non nouercam, ſed ſuam ipſius matrem ſtuprauit, vt teſtatur *Oppianus* Poetâ, qui tum vixit, & *Herodianus*. Cùm enim pulcherrima illa eſſet, & quaſi per negligentiam ſe maximâ parte corporis nudaſſet, dixit *Baſſianus*: *Vellem, ſi liceret*: reſpondiſſe illa fertur: *Si libet, licet*: *An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere?* Quo audito publicè eam duxit, & vxoris loco habuit. O impudentiſſimæ mulieris vox, quæ *Caracallam* ad tam deteſtabile facinus pertraxit! In Orientem profe-

Digitized by Google

fectus, euocat *Augarum* Oſrœnorũ Regem pacificè, ſed contra datã fidem eum in vinculis habet. Itẽ Regẽ Armeniorũ, ſed is exemplo Augari edoctus, venire noluit, ſed arma potius parauit. Nuptias filiæ *Artabani* Regis Parthorum ambit, ſed cùm *Parthus* intelligeret, non ſuam filiam peti, ſed potius regnum Parthorum, ideò bellum parat. Cùmque in ſomnijs terreretur, dedit operam magicis artibus, & Magos vndique accerſit. Defunctorum animas ſæpè euocauit, ſed nulla ipſi aliquid reſpondit, præter quam *Commodi*, quæ à *Dione* fertur dixiſſe hæc verba στεῖχε δίκης ἆσσον *Perge ocius ad ſupplicium*. Cùmque vates quidam prædixiſſet *Macrinum* præfectum prætorio in Africâ regnaturum, hoc peruulgatum fuit, & Romæ præſcriptum ad *Caracallam*. *Macrinus* certior de hac re factus, cùm videret ſibi mortem inſtare, præuenire voluit. Nam *Martialem Centurionem* vnum è cuſtodibus corporis *Antonini* (quem ipſe magnâ contumeliâ affecerat) magnis promiſſis adduxit, vt vindictam in ſe ſuſciperet. Cùmque *Caracalla* Parthis iterum bellum illaturus in medio itinere inter Carras, & Edeſſam eſſet, à Centurione Martiali, dum ventris oneri leuandi intentus, ſubligacula deduxiſſet, pugione per auerſum eſt traiectus anno ętatis 43. cùm imperaſſet poſt patrem annis 6. menſis duobus. *Herod. Dio.* Eius corpus igni traditum, reliquiaſque in vrnam coniectas, matri, eidemque vxori Iuliæ, quæ tunc Antiochię morabatur in Syriâ remittit Macrinus, Iulia iacens ſuper vrnam, mortem ſibi ipſi conſciuit. Hic tragicus inceſtæ conſuetudinis fuit exitus. Nam mater animi ægritudine obruta, vt miſera eſſe deſinat, æternæ miſeriæ porticum ingreſſa, filium ſubſequitur. *Auſonius* Caracallæ tale Epitaphium concinnauit.

Diſſimilis virtute patri, & multò magis illi,
Cuius adoptiuo nominé te perhibes
Fratris morte nocens, punitus fine cruento
Irriſus populi tu Caracalla magis.

ANNO CHR. 218.

OPILIVS MACRINVS XXIII. Romanorum Imperator, homo vilis, ignobilis, & libertinus, ex Mauritaniâ oriundus.

Digitized by Google

dus. Parentes eius qui fuerint, propter generis obſcuritatem, ignorantur. Erat perſona deformis & corpore & mente, horrendus, impudens, perfidus, & ſanguinarius. Creatus ab *Antonino* Pręfectus prætorio, per fraudolentiam & violentiam ad imperium peruenit. Nam dominum ſuum *Antoninum* Imperatorem occidit, & tantâ aſtutiâ procurauit ei necem, vt non videretur ab eo conſilium cædis profectum. Itaque quarto die post, imperium accepit. Tum cœpit viuere delicatius, licentiuſque vti datâ poteſtate, ratus ſe hoc modo contegere ignobilitatem generis; atque ob hanc cauſam eos, quos moleſtè ferre ſuſpicabatur, aut ignobilitatem eius, aut inopinatam adeptionem imperij, tractabat iniquius, eoſque de medio tollebat, licet opportuiſſet eum contra facere, conſcium ſibi, quo loco natus eſſet, & qualis fuiſſet antea, neque efferre ſe inſolenter, ſed potius beneficio, & ſpecimine virtutis omnes ſibi pariter deuincire. Tandem homines præocupati lætitiâ ex cæde tyranni, nihil potuêre de humilitate Macrini cogitare per otium, ſed ei promptis animis principatū detulerunt, non tamen animaduertentes, cui ſe in ſeruitutem traderent, quàm quo tyranno liberati eſſent: rati videlicet, vel quemcumque hominem illo potiorem fore. Poſtquam autem ſe Antiochiam tranſtuliſſet, ac luxuriæ operam daret, nec præberet militibus, quantum *Baſſianus* præter conſuetudinem indulſerat, corrupti *Mæſæ* promiſſionibus milites (ea Iuliæ ſoror erat, vxoris ſeueri, expulſa ex domo aulicà per Macrini ſuperbiam) ad nepotem eius *Baſſianum Varium*, qui poſteà & Antoninus & Eliogabalus eſt appellatus, deſciuerunt. Macrinus audaciam miratus muliebrem, ſimul etiam contemnens, Iulianum præfectum ad eos obſidendos cum legionibus miſit. Quibus cùm Antoninus oſtenderetur, Baſſiani filius creditus miro amore ſui omnes impleuit, occiſoque Iuliano, ad eum omnes tranſierunt. Commiſſo deindè prælio Macrinus ipſe vincitur proditione militum, qui in Bithyniam fugiens, & in ſuburbio latitans, à militibus interfectus eſt, anno ętatis ſuæ 54. Et qui regnum affectauit id temporis, quo nè Senatoris quidem nomen habebat, idem & celerrimè pariter, &

 non

Digitized by Google

non ſinè grauiſſimis ęrumnis amiſit. Anno etenim dumtaxat vno, & duobus menſibus Imperio præfuit. Cùmque *Macrinum* occidiſſent, quidam *Diadumenum* eius filium ſeruare voluerunt: ſed extitit cubicularius, qui literas a *Diadumeno* ad patrem, & matrem crudelitatis plenas ſcriptas coram militibus legit: quæ extant apud *Lamp. in Diadum.* §. 3. & 4. Atque ita *Diadumenum* quoque interfecerunt, poſtquam ſimul cum patre regnaſſet annum vnum, & menſes duos. *Auſonius* ſequentibus verſibus *Macrinum* deſcribit:

Principis hic cuſtos, ſumptumque pro Cæſare ferrum
Vertit in Authorem cæde Macrinus iners.
Mox cum prole ruit: grauibus pulſare querelis
Ceſſet, perfidiam: Quæ patitur, meruit.

Senatus auditâ *Macrini* cæde, Heliogabalo omnia, quæ ad imperium pertinebant concedit, & ipſum ex calendis Iulij, cum Eutychiano liberto, qui iam Præfectus prætorio erat, Conſulem facit, vt *Dio* habet.

ANNO CHR. 221.

MARCVS ANTONINVS BASSIANVS VARIVS HELIOGABALVS XXIV. Romanorum Imperator, filius *Baſſiani Caracallæ*. Eius mater ſecundum quoſdam fuit *Iulia* vxor Seueri, poſteà priuigni ſui Caracallæ. Et ex eâ ſuſcepit Caracalla *Heliogabalum*. Secundum alios fuit *Soæmis*, vel *Somæa* concubina *Caracallæ*. Si mater ſtatuitur prior, fuit ex inceſtu concubitu natus. Si poſterior, fuit ſpurius, ſicut eum nominat *Iulius Capitolinus in Macrino* §. 3. Hinc ex malis parentibus mali naſcuntur liberi, de quibus cecinit quidam Poeta.

Sæpè patris mores imitatur filius infans,
Qualis erat mater, filia talis erit.
Caſta refert caſtæ genitricis filia mores:
Laſciuę nunquam filia caſta fuit.

Heliogabalus cùm Syrus eſſet gente, de Syriaci idoli nomine nomen accepit: adorabant autem Syri, ſicut pleræque gentes Orientales præcipuè Solem. Erat ſtaturâ, ac pulchritudine con-

con-

ſpicuus,cunctorumque eius ætatis formoſiſſimus, ſed mente deformis, atque ad omnia vitia & flagitia procliuus, ab ineunte ætate luxu, ſuperſtitione, peſſimis artibus à matre corruptus, cum quâ etiam meritricio more ſpurciſſimè viuebat. Cùmque vxores duceret & repudiaret, muliebria pateretur, & alia faceret,quæ nec dici quidẽ,vel audiri ſine maximo pudore poſſunt, mater & auia,quę ſibi metuebant, perſuadent ipſi, vt conſo brinum ſuum Baſſianum adoptaret, & Cęſarem faceret, quòd & fecit, eumque *Alexandrum* nominauit, cuius mater erat *Mammęa*. Adeò nequiſſimus & turpiſſimus fuit, vt ſtupri cupiditatem, quam aſſequi naturę defectu non poterat, in ſe conuertens muliebri nomine *Baſſianam* ſe *Baſſiano* appellari iuſſit, vrbe totâ obſceniſſimos inquirens, qui cum eo libidines exercerent. Cùm enim Heliogabalus tot, tantaque ſcelera, atque flagitia commiſiſſet, ſemper anxius, pauiduſque fuit, & trepidantem conſcientiam habuit. Cùmque prædictum ei eſſet à Sacerdotibus Syris, violentâ morte periturum, ſericos ſibi laqueos, gladios aureos, turrim ſubſtratis aureis, gemmatiſque tabulis parauit, dicens etiam mortem ſuam pretioſam eſſe debere, & ad ſpeciem luxuriæ, vt diceretur, nemo ſic perijſſe. Nec quiſquam facilè ſic perijt, nemo turpius ſcilicet. Neque profectò inter artes tyrannicas vlla ſolertior videtur, quàm vt maturè prouideant Tyranni, vt mortem in poteſtatem habeant, ſi quid immineat grauiùs, vt expectari poteſt. Sępè enim illis ſupremum illud auxilium ereptum eſt, cùm maximè eo egent: ſicut *Neroni* contigit, qui nec amicum, nec inimicum habuit, cuius manu periret. Cùm igitur *Heliogabalus Alexandro* conſobrino ſuo, quem inſtinctu matris conſortem Imperij fecerat, necem machinaretur, milites factâ conſpiratione, primùm conſcios eius vario genere mortis, alios vitalibus exemptis necant, alios ab imâ parte perfodiunt, vt mors eſſet vitę conſentiens: poſt hoc in eum faciunt impetum, atque in latrinâ ad quam fugerat,occidunt. Tractus deindè per publicum, annexoque pondere, nè fluitaret, in Tyberim proiectus eſt, nè vnquam ſepelliri poſſet. Vixit annos 18. Imperauit annos tres, menſes 9. dies 4. Mater quoque eius mulier

Digitized by Google

lier flagitioſa, atque tali filio digna, itemque libidinum miniſtri, qui à partibus Heliogabali ſteterant, ſimul à militibus è medio ſunt ſublati. *Ælius Lamprid.* Nomen *Antonini* ex publicis monumentis, Senatu iubente, eraſum eſt. Et hic vltimus *Antoninorum* fuit, de quo *Auſonius*:

Tuen etiam Auguſtæ ſedis penetralia fœdas
Antoninorum nomina falſa gerens?

ANNO CHR. 235.

AVRELIVS ALEXAMDER SEVERVS XXV. Romanorum Imperator, filius *Varij Marcelli*, viri genere nobiliſſimi, & *Iulia Mammæa*. Poſt mortem *Heliogabali*, cuius conſobrinus erat, à militibus Prætorianis Imperator appellatus eſt, & à Senatu confirmatus, vno die honores omnes accepit, nempè Auguſti, vt & patris patriæ nomen, & ius proconſulare, & tribunitiam poteſtatem, & ius quintę relationis, qui alijs, non niſi ex interuallo temporum attributi fuerant. Cuius rei hanc cauſam fuiſſe prodidit *Lampridius*, quòd citò innoteſcere Senatus voluit, Alexandrum imperio dignum iudicatum eſſe, nè militum audaciâ alius fortè diligeretur Imperator. Alexander mox vt imperium agere cœpiſſet, remouit iudices omnes à Republicà, atque à muneribus, quos *Heliogabalus* ex genere omnium turpiſſimo prouexerat. Deindè Senatum, & equeſtrum ordinem luſtrauit, ad aurum erat intentus, ad ſeruandum cautus, ad inueniendum ſollicitus, ſine tamen cuiſquam excidio. Seueritatis autem tantæ fuit, vt ſæpè legiones integras exauthorauerit, nec exercitum vnquam timuit propter vitæ ſuę integritatem, quę nequaquam reprobari poterat, nam ſi quis miles in expeditionibus de viâ in poſſeſſionem deflexiſſet graſſabundus: aut fuſtibus, aut virgis in conſpectu eius cędebatur, inquientis, ac præcones inclamare iubentis: *Quod tibi fieri vis, & alteri facias.* Fuit præterea illi conſuetudo, vt ſi de iure, ac negocijs decerneret, ſolos doctos ac diſertos adhiberet. Si verò de re militari, emeritos milites & ſenes, omneſque litteratos, & maximè eos, qui hiſtorias norunt, requirens quid in tali re veteres

Impe-

Imperatores feciſſent. Cùmque *Mammæa* mater eius, cuius conſilijs vtebatur, ac vxor reprehendiſſent nimiam eius ciuilitatem dicentes: *Viliorem nec non contemptibiliorem imperij reddidiſti poteſtatem*. Humaniter ille reſpondit. *Attamen ſecurior, diuturniorque facta eſt*. Talis ergo cùm eſſet domi & foris, inijt Parthicam expeditionem, tantâ diſciplinâ, tantâ ſui reuerentiâ, vt non milites, ſed Senatores tranſire dicerentur. Vicitque potentiſſimum Perſarum Regem *Artaxerſem*, elephantos ducentum ſeptingentos, ex quibus trecentos cepit, ducentos interfecit. E mille & octingentis falcatis curribus, ducentos in poteſtatem redegit. Centum & octoginta millia equitum fudit, vndè Parthicum, Perſicumque agnomen meruit. *Thraſybulus* Mathematicus illi amiciſſimus fuit, qui cùm ei dixiſſet, opportere eum gladio barbarico interire, primò lætatus eſt, quòd mortem bellicam ſibi crederet imminere: deindè diſputauit, oſtenditque optimos quoſque violentâ morte conſumptos, cùm diceret *Alexandrum Magnum, Pompeium, Cæſarem, Demoſthenem, Tullium, & cæteros inſignes viros*, non quietâ morte oppetijſſe, tantumque animam habuit, vt putaret ſe dijs æquandum, ſi in bello periret. Sed res eum fefellit, nam in Galliâ apud Moguntiam latrocinantes quidam milites ſui, & hi præcipuè, qui Heliogali præmijs efflorucrant, eum, cùm *Seuerum* principem pati non poſſent, conſcio (vt multi volunt) Maximino, vnâ cum matre *Mammæa* occiderunt. Verùm mortem eius milites, etiam qui exhautorati ab eo quondam fuerant, grauiſſimè tulerunt, atque authores cædis trucidarunt. Populus verò Romanus, Senatuſque omnis, cùm prouincialibus cunctis, neque triſtiùs vnquam, neque aſperiùs quidquam acceperunt, eumque magnis optatibus in deos retulerunt. Omnibus enim cariſſimus fuit propter eximias, & propè inuſitatas virtutes, in illâ præſertim ætate. Imperauit annis 13. diebus 9. vixit annis 29. menſibus 11. diebus 7. *Herod. Lamprid.*

Digitized by Google

ANNO CHR. 237.

IVLIVS MAXIMINVS THRAX XXVI. Romanorum Imperator, de vico Thraciæ vicino, barbaro etiam patre, & matre oriundus, quorum alter è Gothiâ, alter ex Alanis genitus eſſe perhibetur. Patri nomen *Micea*, Mater *Ababa* fuiſſe dicitur, vt *Capitolinus* teſtatur. Occiſo *Alexandro Seuero*, ſuccedit ipſi militari conſenſu abſque Senatus authoritate. In iuuentute bubulcus fuerat, ingentis ſtaturæ vir factus, adeò vt octo pedes excederet alios; vndè poſteà prouerbium dictatum eſt de hominibus inſulſis, & immodicæ proceritatis *Maximini caligam requirit*. Filium habuit *Maximinum iuniorem* appellatum, quem imperij conſortem fecit. Deindè Germaniam ingreſſus, omnia cæde, & igne vaſtauit, prædas magnas à barbaris ſuſtulit, & vſque ad vltima Germaniæ penetrauit: pacatâque Germaniâ, Sarmatis bellum inferre ſtatuit, contra quos multis in prælijs victor ſemper euaſit, ſed inter has bellicas virtutes, quibus meritò commendandus videbatur, tam crudelis, & inhumanus cœpit fieri, vt bellicam gloriam crudelitate fœdaret. Erat enim illi perſuaſum, quòd niſi crudelitate, imperium ſibi firmare non poſſet: ſimul & verebatur, nè propter humilitatem generis contemneretur; nam & ignobilitatis contegendæ cauſâ, omnes conſcios ſui generis interemit. Circa ſe nullum ex nobilibus paſſus eſt, quare omnes Alexandri miniſtros varijs occidit ſupplicijs; deindè citrà rationem conſulares viros, & duces varijs mortibus ſuſtulit: amicos, qui ſibi paupertatis tempore profuerant, ſuſtulit, nihilque omiſit, quod ad crudelitatem videretur operari. Nam in cruce quoſdam actos occidit, alios intra animalia nouiter occiſa incluſos, viuos à vermibus conſumi iuſſit, alios feris laniandos obiecit, ſextamque à Nerone perſecutionem Chriſtianorum excitauit. Propter hanc crudelitatem alij *Cyclopem*, alij *Buſiridem*, alij *Scironem*, nonnulli *Phalarim*, multi *Typhonem*, vel *Gygem* eum vocarunt. Scribit prætereà *Capitolinus*, quòd crudelius animal non fuerit in terris: omnia ſic in viribus ſuis ponens, quaſi non poſſet occidi. Denique cùm immorta-

lem

Digitized by Google

lem ſe propè crederet, ob magnitudinem corporis ſui, virtutiſque munus, quidam in theatro illo præſente, dicitur verſus græcos recitaſſe, quorum hæc erat latina ſententia.

Et qui ab vno non poteſt occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis eſt, & occiditur.
Leo fortis eſt, & occiditur.
Tigris fortis eſt, & occiditur.
Caue multos, ſi ſingulos non times.

Legiones in Africâ, odio *Maximini*, & metu nè in Sarmatiam transferrentur ſeditionem mouent, & procuratorem fiſci hominem nefarium occidunt, & *M. Antonium Gordianum*, qui bis Conſul fuerat, & iam Proconſul eſſet, Africæ Imperatorem faciunt: & quòd Scipiones cognatione attingeret, Africanum appellant. Is ſtatim filium *Gordianum* Conſularem Auguſtum declarat. Hoc cùm Romam nunciatum eſſet literis Gordianorum, die 27. Maij, ſtatim ambos Auguſtos proclamant, & nepotem eius ſexdecim annorum adoleſcentem Prætorem faciunt, & Cæſarem declarant, & Vitanianum contra Præfectum prætorio, alioſque Maximini miniſtros interficiunt. Sed in Africam poſt menſem & ſex dies, *Capelianus* Mauritaniæ præſes Maximino fidelis, in Africam irruit, & *Gordianum iuniorem* prælio vicit, & trucidauit; Senior vero *Gordianus* cùm videret nihil virium in exercitu ſuo eſſe, laqueo vitam finiuit, cùm octuageſimum annum ageret. Senatus Romanus hac re auditâ, cùm ita defeciſſent à *Maximino*, in anguſtijs conſtitutus in Capitolio conuenit, & ex corpore ſuo eligit duos Imperatores, *D. Cęlium Balbinum, & M. Clodium Pupienum Maximum*, quorum hic ſæpè exercitus duxerat, & Senatus in omnes prouincias mittit legationes, quibus ſollicitabantur, vt fideles eſſent Senatui Romano, & à Maximino deficerent. Cùmque *Maximinus* obſidio vrbis Aquileiæ parum feliciter tentaretur, culpam confert in milites. Milites contra, cùm vxores & liberos Romæ haberent, nec ſcire poſſent vijs omnibus interclusis, quid Romæ ageretur, putarentque totam Italiam in armis eſſe, nè contrà patriam pugnare viderentur, *Maximinum* in tentorio quieſcentem cum filio, & Præ-

Digitized by Google

fecto prætorio obtruncant, & cadauera canibus dilanianda proijciunt, conclamantibus cunctis militari ioco: *Ex peſſimo genere nè catulum quidem habendum*. Maximinus pater anno ætatis 63, imperij 3. Filius vero anno ætatis 21. perijt. *Maximus* qui Rauennæ erat, auditâ cæde Aquileiam venit, ciues ob conſtantiam laudat, & vrbi virtutis ergò nomen datum, vt *Romana Ciuitas* diceretur. *Capitol.*

ANNO CHR. 238.

MAXIMVS PVPIENVS XXVIII. Romanorum Imperator vnà cum *Clodio Balbino*, interemptis *Maximino* XXVI. & *Gordiano* XXVII. imperium ſuſcepit. Prætoriani verò milites, & alij eos oderant, quòd authoritate Senatus ad imperium euecti eſſent, cùm id ſuum ius eſſe putarent. Nec diſſimulari poterat mæror, quia apparebat in frontibus ſingulorum, & iam quidem nec verbis abſtinebatur: quamuis Maximus & apud milites ſæpè dixiſſet, obliuionem præteritorum eſſe debere, & ſtipendia magna donaſſet, & auxilia in ea loca, quæ delegerant admiſiſſet. Sed animi militum ſemel imbuti odio, refrenari nequeunt. Denique cùm audiſſent Senatus acclamationes, quæ milites tangerent, acriores contrà Maximum & Balbinum extiterunt, ſecum quotidiè cogitantes quos Imperatores facere deberent. Ingredienti verò vrbem *Maximo*, *Balbinus*, & *Gordianus*, & Senatus, populuſque Romanus obuiam proceſſerunt, acclamationes primùm publicæ fuerunt, quæ milites contingebant: indè in Senatum itum eſt: vbi dictum: *Sapienter electi Principes, ſic agunt; per imperitos electi Principes, ſic pereunt*; Cùm conſtaret à militibus factum eſſe *Maximinum*, *Balbinum* autem & *Maximum* à Senatoribus. His auditis, milites grauiùs ſæuire cœperunt in Senatum, præcipuè qui ſibi triumphare de militibus videbatur. Et *Balbinus* quidem cum *Maximo* vrbem cum magnâ moderatione, gaudente Senatu & populo Romano regebant, Senatui plurimum deferebant, leges optimas condebant, moderatè cauſas audiebant, res bellicas pulcherrimè diſponebant. Et cùm iam paratum eſſet, vt contrà Parthos *Maximus* proficiſceretur, *Balbinus* contrà Germanos, puer autem *Gordianus*

Digitized by Google

nus Romæ remaneret, milites occaſionem quærentes occidendorum Principum, cùm primò inuenire vix poſſent, quia Germani ſtipabant *Maximum* atque *Balbinum*, quotidiè ingraueſcebant. Et erant quidem diſcordiæ inter *Balbinum* & *Maximum*, ſed tacitæ, & quæ intelligerentur potius, quàm viderentur: cùm *Balbinus Maximum* quaſi ignobilem contemneret, *Maximus Balbinum* quaſi debilem calcaret. Quarè occaſio militibus data eſt, intelligentibus facilè diſcordes Imperatores poſſe interfici. Ludis denique ſcenicis cùm multi & milites & aulici occupati eſſent, & in Palatio ſoli cum Germanis Principes remanſiſſent, impetum in eos fecerunt. Turbantibus igitur militibus, cùm primùm nunciatum eſſet *Maximo*, turbam illam tempeſtatemque vix euadi poſſe niſi ad Germanos mitteretur, & fortè in aliâ parte Palatij Germani cum *Balbino* eſſent, mittit ad *Balbinum Maximus*, petens vt ei præſidium mitteret. Sed ille ſuſpicatus quòd contra ſe eos peteret, quem putabat Monarchiam velle: primùm fruſtratus eſt, deindè vſque ad litem peruentum eſt. In hac tamen ſeditione illis contendentibus milites ſuperuenerunt, atque ambos eos nudatos veſtibus regalibus, de Palatio cum iniurijs produxerunt, & per mediam ciuitatem ad caſtra raptare voluerunt, magnâ ex parte laniatos. Sed vbi compererunt Germanos ad defenſionem illorum ſuperuenire, ambos occiderunt, & in itinere medio relinquerunt cùm annum vnum imperaſſent. Inter hæc *Gordianus* Cæſar ſublatus à militibus, Imperator eſt appellatus, ideſt Auguſtus, quia non erat alius in præſenti, inſultantibus militibus Senatui & populo, qui ſe ſtatim in caſtra receperunt. Eligunt igitur *Gordianum* puerum ferè adhuc, annos ſexdecim natum, & eum Conſulem declarant, ſed indicium fuit non diù imperaturi *Gordiani*, quòd eclipſis Solis facta eſt tanta, vt nox crederetur, neque ſine luminibus accenſis quicquam agi poſſet. *Iul. Capit.*

ANNO CHR. 244.

M. ANTONIVS GORDIANVS TERTIVS XXIX. Romanorum Imperator, Auus fuit *Gordianus* I. aliàs ſenior,

 nior,

nior, & Pater *Gordianus* II. aliàs iunior dictus. Occiſis *Maximo*, ac *Balbino*, *Gordianus* adoleſcens qui Cæſar fuerat à militibus, populo & Senatu, ingenti amore, ſtudio & gratiâ Auguſtus eſt appellatus. Amabatur autem merito aui, & auunculi, qui ambo in Africâ pro Republicâ perierunt, vt ſuprà diximus. Fuit autem iuuenis lætus, pulcher, gratus omnibus, & literis pro ætate doctiſſimus, & cùm paulò ante tanta ſeditio inter milites & populum exorta fuiſſet, vt ad bellum inteſtinum veniretur, eo interueniente, pax eſt roborata. Cùm autem in vrbe regnaret pacificè, quidam in Africâ eius contemnentes ætatem, duce *Sabiniano* miſſi ſunt ei auferre imperium, quem ſtatim *Gordianus* per Mauritaniæ præſidem obſeſſum, ad mortem coegit: quâ coniuratione compreſsâ, *Gordianus* filiam *Miſithei* viri clariſſimi duxit vxorem. Erat hic *Miſitheus* vir doctiſſimus, eloquentiâ clarus, prudentiâ conſpicuus; hunc mox *Gordianus* præfectum Prętorij inſtituit, & ſic non puerile factum eſt imperium, optimis ſoceri fultum conſilijs. Vndè poſtquàm optimi viri Miſithei verbis cœpit acquieſcere *Gordianus*, omnia publica & priuata in melius fuerunt mutata. *Miſer eſt enim Imperator* (pro vt ipſe Gordianus ad Miſitheum ſcripſit) *apud quem vera reticentur: qui cùm ipſe publicè ambulare non poſſit, neceſſe eſt vt audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata confirmet*. Inter hæc iam potens conſilijs, Perſis ac Parthis bellum indixit, magniſque apparatibus in Orientem profectus eſt, primoque tractu, ſeu conflictu inter Traciam, & Meſiam habito, quidquid ibi hoſtium fuit, deleuit, fugauit, ſubmouitque. Indè nauigio in Syriam venit, atque Antiochiam, quæ à Parthis erat occupata, obſedit, in quâ *Saporem* Regem Perſarum frequentibus prælijs, qui ad obſidionem ſoluendam cum innumerabilibus copijs venerat, victum fugauit. Nec multò poſt Antiochiâ captâ, tranſiuit Euphratem, vbi Parthos inuaſit: eorum munitionibus expugnatis, cum *Artaxerſe* eorum Rege difficillimo bello conflixit, eumque vicit ac fugauit. Verùm inopinata *Miſithei* mors omnia turbauit, hiſque felicitatibus finem impoſuit; nam in eius locum aſſumitur præfectus prætorio *Philippus Arabs*, qui ad tantam dignitatem euectus

ingra-

ingratiſſimum ſe exhibuit,& ſtatim *Gordianum* inuiſum militibus reddidit, imperijque cupiditate incenſus, non tantùm *Gordianum* optimum Imperatorem eò redigit, vt ipſe eius collega in imperio aſſumeretur, ſed etiã ipſum collegam *Gordianum* trucidat in finibus Perſidis. Attigit *Gordianus* annum ætatis 22. imperauit ſolus annis 6. Verè de eo verſus vſurpari poſſunt, quos ſenex *Gordianus* de filio *Gordiano* recitaſſe fertur, vt habet *Iulius Capitolinus* in Gordianis.

Oſtendent terris hunc tantum fata, neque vltra
Eſſe ſinent, nimium vrbis Romana propago
Viſa potens ſuperi, propria hæc ſi dona fuiſſent.

ANNO CHR. 250.

M. IVLIVS PHILIPPVS ARABS Trachonites XXX. Romanorum Imperator, obſcuris parentibus, patre videlicet latronum Duce ortus, ad tantos honores à Gordiano euectus, ſuccedit in imperium, vnâque cum filio ſuo *Caio Iulio Saturnino Philippo* regnauit annis ſeptem. Iſti omnium imperatorum primi, Chriſtiani effecti ſunt, & in die Paſchæ cùm diuinis intereſſe voluiſſent, & communicare, à *Fabiano* Epiſcopo vrbis non prius ſunt permiſſi, niſi confiterentur peccata ſua & inter pœnitentes ſtarent, quòd illi libentiſſimè ſuſcipientes, diuinum ſibi metum, & Chriſtianitatis pleniſſimam fidem, rebus, & operibus comprobabant. Hi ambo cùm diſpoſuiſſent multa bona facere pro Chriſtianis, violentâ morte præuenti ſunt, ſed ipſis imperantibus non eſt illata perſecutio Chriſtianis. Quòd autem *Philippus* doloſè egit cum Gordiano, procurando mortem eius, de quâ ſuprà, hoc & ipſe poſt pœnitentiam recepit à ſuo Duce *Decio*, qui eum doloſè occidit Veronæ, capite medio ſupra ordines dentium præciſo: deindè vſurpans ſibi imperium, ad vrbem veniens, vt videretur zelo deorum Romanorum occidiſſe dominum ſuum, qui Chriſtianus erat, ſimul occidit & filium *Philippi*, cùm eſſet annorum duodecim. *Euſeb.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 252.

DECIVS XXXI. Romanorum Imperator è Pannoniâ inferiori Bubaliæ claris parentibus natus, militiæ gradu ad imperium conſpirauerat, lætiorque hoſtium nece, filium *Etruſcum* nomine Cæſarem facit, & imperij conſortem, qui admirandam erga patrem reuerentiam oſtendit, de quâ ita ſcribit *Val. Max.* Decius Imperator cùm Decium filium ſuum imperiali diademate proponeret inſigniri, renuit filius dicens: vereor, nè ſi fiam Imperator, dediſcam eſſe filius. Malo non eſſe Imperator, ſed humilis filius, quam imperator, & filius indeuotus. Imperet pater meus, meum imperium ſit, parere humiliter imperanti. Nam parentum affectum exuit, qui mole ſuperpoſitâ filium extinguit. Prius enim alendi & nutriendi ſunt pueri: & cùm præceſſerint quos præcedere debent, inuitè aſcendant. Hactenus *Val. Max.* Fuit *Decius* horrendus Chriſtianorum perſecutor. Nam itâ *S. Cyprianus* contrà *Demetrianum* habet: *Chriſtiani ſub Decio domibus priuabantur, patrimonio ſpoliabantur, catenis præmebantur, carceribus includebantur, beſtijs obijciebantur, ignibus puniebantur*. Quibus tormentorum generibus, Euſebius ex Dionyſio Alexandrino prætereà addit *Picem feruentem, lapidationem, calamos acutos in faciem, & oculos impulſos, tractiones per ſtrata viarum, illiſiones ad lapides, verbera, flagellationes, exuſtiones, tranſuerberationem viſcerum, per ſudes, gladium, membrorum fractionem, è ſublimi præcipitationem*. Gothis omnia infeſtantibus, Decius vnâ cum filio ad liberandas Thracias profectus eſt, & vbi victor in primis congreſſibus hoſtes in anguſtias locorum, quæ in Dardanijs ſunt, compulit, & obſedit: expugnaſſetque fame, ni proditus à ſuis fuiſſet. Cùmque *Trebonianum Gallum* Ducem limitis Mœſię ad obſidendos aditus nè fugerent, cum bonâ copiarum parte miſiſſet. *Gallus* Imperatoris conſilium barbaris patefaciens eos monuit, vt diuiſo exercitu ſuo alios ſiſterent in inſidijs propè paludes: Barbari, non nihil addentes conſilio *Galli*, rem peragunt. Cùm in pugnam deſcenderent, *Decius* miratus eſt, quòd qui modo perculſi erant metu, iam arma poſce-

Digitized by Google

poſcerent, ignarus proditionis, & victoriæ certus copias educit. Hoſtis ſtatim terga dedit. Inſequitur *Decius*. Cùm ventum eſt ad inſidias atrociſſima pugna, ac cædes maximæ vtrinque factæ ſunt. Quo in prælio cùm filius Imperatoris fortiter quidem dimicaret, in primâ acie interfectus eſt. Quòd cùm nunciarent patri milites, & pluribus verbis eum ſolari vellent, animosè dixit: *Vnius militis ſibi videri exiguam iacturam*. Pater verò vt cædem filij vlciſceretur, vel vt morte ſuâ finem dolori inueniret, quò, cùm impigrè decertaret, longiùs proueheretur, fortè equo ſedens, nè in hoſtium manus aut viuus aut mortuus perueniret, equo incitato in paludem ſe intulit, in quâ periiſſe putatur. Nam cadauer, quamquàm cum ſummâ diligentiâ quæſitum, nuſquàm repertum eſt. Peruicaci tamen animo ipſe ſibi interitum conciliauiſſe ſcribitur, cùm hoſtes prorſus perditos vellet, neque vllâ conditione diſcedere eos trans Iſtrum pateretur. Occubuit quinquagenarius, Imperij biennio nondum elapſo, vt *Pomponius lætus* ſcribit. *Trebonianus Gallus*, cuius fraude *Decius* in acie ceciderat, ſuccedit impietati, imperio, & exitio.

ANNO CHR. 254.

TREBONIANVS GALLVS XXXII. Romanorum Imperator, Patricius, vel è *Patriciorum* familiâ oriundus fuit. Per fraudolentiam ad imperium euectus, à militibus Imperator appellatus, & à Senatu confirmatus eſt. Poſteà Romam rediens filium ſuum *Voluſianum* imperij conſortem fecit. Indè cùm Scythas vincere non poſſet, pacem cum ijs fecit, & primus Imperatorum ſtipendiarius Barbarorum factus eſt: illis promiſit ducenta dragmarum millia, attamen Barbari hoc tributo non contenti, depopulantur Dardaniam, Theſſaliam, Thraciam, & Macedoniam. *Gallo & Voluſiano* imperantibus, tanta in Chriſtiani nominis vltionem peſtis exorta eſt, vt paucæ domus, nedum Ciuitates & Prouinciæ extiterint, quæ tantam non ſenſerint calamitatem. Adeò enim ſæuijt, vt ad quinque millia Romæ in Libitinæ rationes ſingulis diebus venirent, vt *Euſebius* & alij teſtantur. Interim cùm Scythæ Græciam adeò vaſtarent, Gallus *Æmi-*

Æmilianum contrà eos mittit, qui rem ſtrenuè gerit, & cum Scythis congreſſus eos vincit, & imperij finibus eijcit, pecuniamque illis à Gallo promiſſam, inter milites diſtribuit, quarè tantam inijt gratiam, vt Imperator proclamaretur, & exercitum retrò in Italiam duceret. Poſtquàm verò Gallus comperiſſet *Æmilianum* à militibus Imperatorem eſſe appellatum, vnâ cum filio aduerſus eum profectus eſt. Milites qui cum *Gallo* erant, amplitudine copiarum ipſum longè inferiorem eſſe videntes, ſimulque ad hominis ignauiam, negligentiamque reſpicientes, eum cum filio necarunt, cùm vixiſſet annos quatuor minus quinquaginta, imperium verò cum filio duobus tantum annis obtinuiſſet. *Pomponius lætus.*

ÆMILIANVS genere Maurus obſcuriſſimè natus, obſcuriùs imperauit. Nam Gallo eiuſq; filio occiſo, ad Senatum ſcripſit, ſe Imperatorem electum eſſe, promiſitque ſe liberaturum Thracias, & Meſopotamiam, & Armenias recuperaturum, hoſteſque nominis Romani vndique depulſurum. Priuſquàm verò tale opus aggrederetur, milites qui in Alpibus fuêre, *Valerianum* Imperatorem fecerunt. Illi igitur, qui ſub *Æmiliano* erant, his cognitis, nè ciuili bello, & cognatorum ſanguine ſe inuicem inficerent, contemplantes prætereà humilitatem generis *Æmiliani*, & nobilitatem *Valeriani*, ſimul & laudatiſſimos mores: necato *Æmiliano* cùm vixiſſet annos 40. & tres menſes imperaſſet, *Valeriano* ſe tradiderunt. *Zoſim. Eutrop.*

ANNO CHR. 259.

PVBLIVS LICINIVS VALERIANVS XXXIII. Romanorum Imperator, filius *Valerij Flacci* ex nobili *Corneliorum* familiâ oriundus. Ad ſupremum illud honorum ac potentiæ faſtigium aſcendit, teſte *Pollione* non (vt ſolet) tumultuario Populi concurſu, non militum ſtrepitu, ſed iure meritorum, & quaſi ex totius orbis vnâ ſententiâ. Principio omnibus gratiſſimus, eâ Chriſtianos benignitate complectebatur, tametſi ipſe Chriſtianus non eſſet, vt tota illius aula referta eſſet Chriſtianis. Verùm deprauatus à principe quodam Magorum Ægyptio, &

ærarij præfecto *Macriano*, cœpit impuras obire cæremonias: profanas exercere præſtigias, nefanda myſteria exequi, tenera infantium diſſecare viſcera, Chriſtianos varijs exagitare ſupplicijs, octauus poſt Neronem perſecutor, *Domitiani*, *Maximini*, *Decij* impietatis æmulator. *Gallienum* filium imperij ſocium ſumpſit, tradens illi Occidentem. Ipſe tandem in Orientem proficiſcitur contrà Perſas, vbi proditione *Macriani* ducis, clade ingenti afficitur, poſteà ſiue nimium credulus, ſiue aliàs proditus à Perſis capitur, vbi infinitis contumelijs affectus fuit: *Sapori* Perſarum Regi incuruatâ ceruice loco ſcabelli in aſcendendo equo fuit quandiù vixit, nec vllis precibus aut pretio adduci potuit, vt Romanis ſuum principem reſtitueret, Armeniorum, Caduſiarumque Regibus moderatè fortunâ vtendum, fruſtrà eum monentibus. Ad extremum excoriatus, & ſale conſperſus, miſerrimè vitam finiuit. Hic *Valerianus* humanæ fragilitatis, & calamitatis ſpeculum fuit. Nam vt vllum Principem vnquàm fauore orbis accepit, quàm *Valerianus*: ſic nullus eo calamitoſior Romano imperio præfuit. *Trebell. Poll. Aurel. Vict.*

ANNO CHR. 268.

P. LICINIVS GALLIENVS XXXIV. Romanorum Imperator, Valeriani Imp. filius. Cùm adoleſcens factus eſſet Auguſtus, imperium primùm feliciter, mox commodè, ad vltimum pernitiosè geſſit. Benè in iuuentute à patre educatus, & ſtudijs egregiè excultus fuit. Sed ea non decet eruditio Principem, quæ à iuſtitiæ, grauitatis, fortitudinis, & vigilantiæ ſtudio ſeiuncta eſt. Quid enim turpiùs, quàm ſi audias, bonus poeta, malus Princeps! Nam aliud in Imperatore quæritur, aliud in Oratore, vel poeta flagitatur. De clade à Perſis illatâ, & patre capto, non admodùm doluit Gallienus: immò ferè gauiſus fuit, quòd liberatus eſſet præceptore & admonitore acerbiore; ideò ſe iocis & voluptatibus dedit. Ab ijs, qui circum eum erant requirebat: *Et quid habemus in prandio? Et quæ voluptates paratæ ſunt? Et qualis cras erit cœna? Quales circenſes?* Sic confecto itinere celebratiſque hecatombis, ad domum regiam redijt:

conuiuijſque & epulis depulſis, alios dies voluptatibus publicis deputabat. *Hecatombe* autem tale ſacrificium eſt: centum aræ vno in loco ceſpititiæ extruuntur, & ad eas centum ſues, centum oues mactantur. Nam ſi imperatorium ſacrificium ſit, centum leones, centum Aquilæ, & cætera huiuſmodi animalia centena feriuntur. Quod quidem etiam Græci quondam feciſſe dicuntur, cùm peſtilentiâ laborarent: & à multis Imperatoribus id celebratum conſtat referente *Iul. Capitol. in Maximo, & Balbino*. Prouinciarum defectionem, quaſi leuiſſimarum rerum iacturam, ioco ſolitus eludere. Cùm enim nunciatum eſſet Ægyptum deſciuiſſe: *Quid? ſinè lino Ægyptio eſſe non poſſumus?* Perditâ Galliâ, arriſit, dixitque: *Num ſine trabeatis ſagis Reſpublica tuta non eſt?* Peſſimi principis voces, cui quicquam potius eſt Republicâ. *Trebell. Poll.* Cùmque *Claudius* ſucceſſor eius videret, quòd nullam Reipublicæ curam haberet, omneſque fines à barbaris vaſtari, ipſum hortatus eſt, vt tandem ſocordiam excuteret, & contrà hoſtes moueret, ideò in Gallias proficiſcitur, vbi *Macrianus* & *Heraclianus* Duces conſpirant, de interficiendo *Gallieno*, cùm aliàs à Republicâ remoueri non poſſet. Factis igitur inſidijs ipſum interficiunt cum fratre *Valeriano*, *& filio Gallieno* apud Mediolanum di 21. Martij, anno ætatis quinquageſimo cùm ferè quindecim annos imperaſſet, ſed ſeptem annis cum patre. Ferunt ſuâ ſententiâ *Claudium* Imperatorem electum eſſe, cui regia indumenta iuſſit mitti. Senatus grauiter hoc facinus tulit, ſed tamen vindictam de parricidis ſumere non potuit inuito Claudio. *Aurel. Victor. Poll.*

Valeriani & Gallieni temporibus triginta propè tyranni, occupato *Valeriano* magnis belli Perſici neceſſitatibus, extiterant, cùmque *Gallienum* non tantùm viri, ſed etiam mulieres contemptui haberent, vt ſuis locis probabitur, fatique publici fuit, vt *Gallieni* tempore quicumque potuit, ad imperium proſiliret. Horum primus fuit *Cyriades*, quo inſtigante, Perſæ in ſolum Romanum irruerant, captiſque Antiochiâ, & Cæſareâ, *Cyriadem* dixerant Imperatorem, hominem perfugio, tyrannide, luxuriâ, tandemque dignâ ſceleribus ſuis morte clarum. Cùm enim *Valeria-*

rianus iam ad bellum Perſicum veniret, per ſuorum inſidias *Cyriades* occiſus eſt. *Trebell. Poll.*

II. POSTHVMVS, hic vir in bello fortiſſimus, in pace conſtantiſſimus, in omni vitâ grauis, vſque adeò, vt Saloninum filium ſuum eidem *Gallienus* in Galliâ poſitum crederet, quaſi cuſtodi vitæ, & morum & actuum imperialium inſtitutori. Sed quantum plerique affirmant (quòd eius non conuenit moribus) poſteà fidem fregit, & occiſo *Salonino* ſumpſit imperium; vt autem veriùs plerique tradiderunt, cùm Galli vehementiſſimè *Gallienum* odiſſent, puerum autem apud ſe imperare ferre non poſſent, eum qui commiſſum regebat imperium, Imperatorem appellarunt, miſſiſque militibus adoleſcentem interfecerunt. Quo interfecto ab omni exercitu & ab omnibus Gallis *Poſthumus* gratantèr acceptus, talem ſe præbuit per annos ſeptem, vt Gallias inſtaurauerit, cùm *Gallienus* luxuriæ & propinis vacaret, & amore barbaræ mulieris conſeneſceret. Geſtum eſt tamen à *Gallieno* contrà hunc bellum, in quo ſagittâ *Gallienus* eſt vulneratus; ſiquidem nimius amor ergà *Poſthumum* omnium erat in Gallicâ gente populorum, quòd ſubmotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in priſtinam ſecuritatem reuocaſſet imperium; Sed cùm ſe grauiſſimè regeret, more illo quo Galli nouarum rerum ſemper ſunt cupidi, *Lolliano* agente interemptum eſt. *Poll.*

III. POSTHVMVS IVNIOR, hic à patre appellatus Cæſar, ac deinceps in eius honore Auguſtus, cum patre dicitur interfectus, cùm Lollianus in locum *Poſthumi* ſubrogatus, delatum ſibi à Gallis ſumpſiſſet imperium.

IV. LOLLIANVS cuius rebellione in Galliâ *Poſthumus* vir fortiſſimus, interemptus eſt, cùm iam nutante *Gallieni* luxuriâ, in veterem ſtatum Romanum reformaſſet imperium. Fuit quidem etiam fortiſſimus: ſed rebellionis intuitu, minorem apud Gallos de ſuis viribus tenuit. Interemptus autem eſt à *Victorino*, Victorinæ, vel Victoriæ filio, quæ poſteà *Mater caſtrorum* appellata eſt, cùm ipſa per ſe fugiens tanti ponderis molem, primùm in *Marium*, deindè in *Tetricum*, atque eius filium contuliſſet imperia.

Digitized by Google

V. VICTORINVS in ſocietatem imperij à *Poſthumo* ſeniore vocatus, cum eodem contra *Gallienum* conflixit. Cùmque adhibitis ingentibus Germanorum auxilijs, diù bella traxiſſent, victi ſunt. Tunc interfecto etiam *Lolliano*, ſolus *Victorinus* in proprio remanſit: qui & ipſe quòd matrimonijs militum & militarium corrumpendis operam daret, à quodam actuario, cuius vxorem ſtuprauerat, compoſitâ factione Agrippinæ percuſſus eſt. Egregias animi dotes habuit Victorinus, ſed omnia, libido & cupiditas mulierariæ voluptatis ſic perdidit, vt nemo audeat virtutes eius in litteras mittere, quem conſtat omnium iudicio meruiſſe puniri. *Iulius Aterianus*.

VI. VICTORINVS IVNIOR Victorini filius, & Victoriæ nepos, à patre & ab auiâ ſub eadem horâ, quâ *Victorinus* interemptus, Cæſar nuncupatus eſt, ac ſtatim à militibus ita occiſus. Extant denique ſepulcra circà Agrippinam inſcripta: *Hìc duo Victorini tyranni ſiti ſunt*.

VII. MARIVS magnis viribus prẹditus, ex fabro ferrario, Imperator appellatus, triduo tantùm imperauit. Hunc inſigniorem breuiſſimum fecit imperium. Nam vt Conſul, qui ſex pomeridianis horis conſulatum ſuffectum tenuit, à *M. Tullio* tali aſperſus eſt ioco, *Conſulem habuimus tam ſeuerum, tamque cenſorium, vt in eius magiſtratu, nemo pranderit, nemo cœnauerit, nemo dormierit*. De hoc etiam dici poſſe videtur, qui vnâ die factus eſt Imperator, aliâ die viſus eſt imperare, tertiâ interemptus eſt. Occiſus à quodam milite, qui cùm eius quondam operarius in fabrili officinâ fuiſſet, contemptus eſt ab eodem, addidiſſe hæc verba dicitur interemptor. *Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti*. Huius concionem primam talem fuiſſe ſcribit Pollio: *Scio, commilitones, poſſe mihi obijci artem priſtinã, cuius mihi omnes teſtes eſtis. Sed dicat quiſque quod vult, vtinam ſemper ferrum exerceam. Non vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, vt facit Gallienus, indignus patre ſuo, & ſui generis nobilitate depeream. Ars mihi obijciatur ferraria dum me & exteræ gentes ferrum attrectaſſe ſuis cladibus recognoſcant in Italia: denique vt omnis Alemania, omniſque Germania, cum cæteris quæ adiacent gentibus,*

Ro-

Digitized by Google

Romanum populum ferratam putant gentem, vt ſpecialiter in nobis ferrum timeant. Vos tamen cogitetis velim feciſſe vos principem qui nunquam quidquam ſcierit tractare, niſi ferrum. Quid idcircò dico, quia ſcio mihi à luxurioſiſſima illa peſte nihil opponi poſſe, niſi quòd gladiatorum armorumque artifex fuerim.

VIII. INGENVVS Pannonias regens, cùm *Gallienus* vino & popinis vacaret, cùmque ſe lenonibus, mimis, & meritricibus dederet, à Mœſiacis legionibus Imperator eſt dictus, cæteris Pannoniarum volentibus: neque in quoquam melius conſultum à militibus videbatur, quam quòd inſtantibus Sarmatis creatus eſt Imperator, qui feſſis rebus mederi ſuâ virtute potuiſſet. Cauſa autem ipſi arripiendi tunc imperij fuit, ne ſuſpectus eſſet Imperatoribus, quòd erat fortiſſimus, ac Reipublicę neceſſarius, & militibus (quod imperantes vehementer mouet) acceptiſſimus. Sed Gallienus, vt erat nequam & perditus, ita etiam, vbi neceſſitas coegiſſet, velox, fortis, vehemens, crudelis; deniquè Ingenuum conflictu habito vicit, eoque occiſo, in omnes Mœſiacos tam milites, quàm ciues aſperrimè ſæuijt: nec quemquam ſuæ crudelitatis exortem reliquit: vſque adeò aſper & truculentus, vt pleraſque ciuitates vacuas à virili ſexu relinqueret. Fertur ſanè idem Ingenuus ciuitate captâ intraſſe domum, in quâ ſe pugione transfodit atque ita vitam finiſſe, nè in tyranni crudelis poteſtatem veniret. *Pollio.*

IX. REGILLIANVS vir in militari re ſemper probatus, & Gallieno iam antè ſuſpectus, quòd dignus videretur imperio, dum in Illyrico ducatum gerit, Imperator eſt factus, auctoribus imperij Mœſijs, qui cum Ingenuo fuerant ante ſuperati: in quorum parentes Gallienus grauiter ſęuierat. Hic tamen multa fortiter contra Sarmatas geſſit: ſed auctoribus Roxolanis, conſentientibus militibus, & timore prouincialium nè iterum Gallienus grauiora faceret, interemptus eſt. Mirabile fortaſſe videatur, ſi quæ origo Imperij eius fuerit, declaretur. Militari enim ioco regna promeruit. Nam cùm milites cum eo quidam cœnarent aſtitit Valerianus tribunus cùm diceret. *Regiliani nomen vndè credimus dictum?* Alius continuò, *Credimus quòd à Regno,*

gno. Tum is qui aderat ſcholaſticus, cœpit quaſi grãmaticaliter declinare, & dicere, *Rex, regis, regi, Regillianus.* Milites, vel vt hominum genus pronum ad ea quæ cogitant, dixerunt, *Ergo poteſt Rex eſſe?* Item alius, *Ergo poteſt nos regere?* Item alius, *Deus tibi Regis nomen impoſuit.* Quid multa? His dictis, cum aliâ die mane proceſſiſſet, à principibus Imperator eſt ſalutatus. Ita quòd alijs, vel audacia, vel iudicium detulit, huic iocularis aſtutia. *Poll.*

X. AVREOLVS Illyricianos exercitus regens, in contemptum *Gallieni*, coactus à militibus imperium ſumpſit. *Gallienus* cùm fruſtrà tentaſſet virum fortem expugnare, pacem cum *Aureolo* in Pannoniâ facit, vt *Poſthumum* in Gallijs opprimeret. Tandem hunc eumdem Aureolum, *Claudius* interfecto iam *Gallieno*, conflictu habito, apud eum pontem interemit, qui nunc *Pons Aureoli* nuncupatur, atque illìc, vt tyrannum, ſepulcro humiliore donauit. Extat etiam Epigramma Græcum in hanc formam à quodam Grammatico translatum, & à *Pollione* fideliſſimè relatum:

Dona ſepulcrorum victor poſt multa tyranni
Prælia, iam felix Claudius Aureolum
Munere proſequitur mortali, & iure ſuperſtes
Viuere quem vellet, ſi pateretur amor
Militis egregij, vitam qui iure negauit
Omnibus indignis: & magis Aureolo.
Ille tamen clemens, qui corporis vltima ſeruans,
Et pontem Aureoli dedicat & tumulum.

MACRIANVS XI. MACRIANVS IVNIOR XII. QVIETVS XIII. capto *Valeriano*, eiuſque filio *Gallieno* contempto, quærebant milites aliquem principem, & quidem optimum, nè quiſpiam tyrannus exiſteret, vſurpante *Aureolo* imperium. Factus eſt igitur *Macrianus* cum *Macriano & Quieto* duobus filijs, cunctis militibus volentibus, Imperator; ac ſtatim contrà *Gallienum* venire cœpit, vtcumque rebus in Oriente derelictis. Sed cùm quadraginta quinque millia militum ſecum duceret, in Illyrico, vel in Thraciarum extremis congreſſus cum *Aureolo*, victus

victus & cum *Macriano* filio interemptus eſt. Triginta denique millia militum in *Aureoli* poteſtate conceſsêre. Sed vbi comperit *Odenatus* Palmyrenorum Rex,ab *Aureolo* Macrianum patrem, Quietum, & eius fratrem Macrianum victos, milites in eius poteſtatem conceſſiſſe, quaſi *Gallieni* partes vindicaret, *Quietum* adoleſcentem cum *Baliſta* præfecto dudum interemit. Idem quoque adoleſcens digniſſimus Romano Imperio fuit, vt verè *Macriani* filius, & *Macrianus* etiam frater: qui duo afflictis rebus potuerunt Rempublicam gerere. *Poll.*

XIV. ODENATVS, & HERODES XV. eius filius, Palmyrenorum principatu obtento, *Odenatus* totius Orientis imperium tenuit. Quare aſſumpto nomine primùm regali,cum vxore *Zenobia* & filio maiore, cui erat nomen *Herodes*, minoribus *Heremiano*, & *Timolao*, collecto exercitu contrà Perſas profectus eſt. Niſibin primùm, & Orientis pleraque cum omni Meſopotamiâ in poteſtatem recepit: deindè ipſum Regem victum fugere coegit: poſtremò *Cteſiphonta* vſque, *Saporem* & eius liberos perſecutus, captis concubinis, captâ etiam magnâ prædâ, ad Orientem vertit, ſperans quòd *Macrianum*, qui imperare contrà *Gallienum* cœperat, poſſet opprimere. Compoſito igitur magnâ ex parte orientis ſtatu, à conſobrino ſuo Mæonio, qui & ipſe imperium ſumpſerat, interemptus eſt cum filio ſuo *Herode*, qui & ipſe poſt reditum de Perſide cum patre Imperator eſt appellatus. *Poll.*

XVI. MÆONIVS Odenato eius conſobrino occiſo,Imperator appellatus, ſed breui à militibus pro ſuæ luxuriæ meritis interemptus eſt.

XVII. BALISTA, vir inſignis, eruditus, ad gerendam Rempublicam in conſilijs vehemens, in expeditionibus clarus, in prouiſione annonariâ ſingularis. Vtrum imperauerit, Scriptores inter ſe ambigunt. Multi enim dicunt, *Quieto* per Odenatum occiſo, *Baliſtæ* veniam datam; tamen eum imperaſſe, quòd nec *Gallieno*, nec *Aureolo*, nec *Odenato* ſe crederet. Alij aſſerunt, priuatum eum in agro ſuo, quem apud Daphnen ſibi comparauerat, interemptum. Multi & ſumpſiſſe illum purpuram, & mo-

more Romano imperaſſe, exercitum duxiſſe, & de ſe plura promiſiſſe dixerunt: occiſum autem per hos quos *Aureolus* miſerat ad comprehendendum *Quietum* Macriani filium: quem prædam ſuam eſſe dicebat. *Poll.*

XVIII. VALENS Proconſul Achaiæ, quem *Macrianus* vehementer reformidans, ſimul quòd in omni genere vitæ ſatis clarum norat, ſimul quòd inimicum ſibi eſſe inuidiâ virtutum ſciebat, miſſo Piſone nobiliſſimæ tunc & conſularis familiæ viro, interfici præcepit. Valens diligentiſſimè cauens & prouidens, neque aliter ſibi poſſe ſubueniri exiſtimans, ſumpſit imperium, & breui à militibus interemptus eſt.

XIX. PISO, vir ſummæ probitatis, & temporibus ſuis *Frugi* dictus, qui ex illâ Piſonum familiâ ducere originem dicebatur, cui ſe *Cicero* nobilitandi cauſâ ſociauerat. *A Macriano* ad interficiendum *Valentem* miſſus, vbi eum prouidum futurorum imperare cognouit, Theſſaliam conceſſit: atque illic paucis ſibi conſentientibus, *Theſſalicuſque* appellatus, interemptus eſt.

XX. AEMILIANVS cùm ſciret ſibi vndecumque pereundum, ex multitudine ad eius domum collectâ, quę eum omni ſeditionum inſtrumento, & furore perſequebatur, ſumpſit imperium. Conſenſerunt ei Ægyptiacus exercitus, maximè in Gallieni odium: nec eius ad regendam Rempublicam vigor defuit. Nam Thebaidem totamque Ægyptum peragrauit, & quatenus potuit, barbarorum gentes forti auctoritate ſubmouit. Deniquc *Alexander*, vel *Alexandrinus* virtutum merito vocatus eſt. Et cùm contra Indos pararet expeditionem, miſſo *Theodoto* Duce, *Gallieno* iubente, dedit pœnas: ſiquidem ſtrangulatus in carcere, captiuorum veterum more perhibetur. *Poll.*

XXI. SATVRNINVS, vir prudentiæ ſingularis, grauitatis inſignis, vitæ amabilis, victoriarum barbararum vbique notarum, cùm diſſolutionem Gallieni pernoctantis in publico ferre non poſſet, & milites non exemplo Imperatoris ſui, ſed ſuo regeret, ab exercitibus ſumpſit imperium, Eâ vero die, quâ à militibus eſt amictus peplo imperatorio, concione adhibitâ dixiſſe fertur, *Commilitones bonum Ducem perdidiſtis, & malum prin-*

cipem

Digitized by Google

cipem feciſtis. Denique cùm multa ſtrenuè in imperio feciſſet, quòd eſſet ſeuerior, & grauior militibus, ab iiſdem ipſis à quibus factus fuerat, interemptus eſt. *Poll.*

TETRICVS SENIOR XXII. & TETRICVS IVNIOR XXIII. Victoria ſiue Victorina, cùm *Mater caſtrorum* ab exercitu nuncupata eſſet, *Tetricum* Seniorem Auguſtum appellari fecit, eiuſque filium Cæſarem nuncupauit. Et cùm multa Tetricus feliciter egiſſet, diuque imperaſſet, ab *Aureliano* victus, cùm militum ſuorum impudentiam, & procacitatem ferre non poſſet, volens ſe grauiſſimo principi & ſeueriſſimo dedit, quem per triumphum vnâ cum filio duxit eodem tempore, quo & *Zenobiam Odenati* vxorem cum filijs minoribus *Odenati*, *Herenniano*, & *Timolao*. *Poll.*

XXIV. TREBELLIANVS factus in Iſauriâ princeps, ipſis Iſauris ſibi Ducem quærentibus, cùm alij archipiratam vocaſſent, ipſe ſe Imperatorem appellauit. Sed per Gallieni Ducem *Cauſiſoleum* natione Ægyptium, fratrem *Theodoti*, qui Aemilianum ceperat, ad campum deductus, eſt victus & ociſus.

HERENNIANVS XXV. & TIMOLAVS XXVI. Filij Odenati Palmyrenorum Regis, & Zenobiæ, quæ vſurpato ſibi imperio, diutiùs quàm fœminam decuit, Rempublicam obtinuit, paruulos hoſce Romani Imperatoris habitu præferens purpuratos, eoſdemque adhibens concionibus, quas illa viriliter frequentauit. Sed de eorum exitu incertum eſt. Multi enim dicunt eos ab *Aureliano* interemptos, multi morte ſuâ eſſe conſumptos. *Poll.*

XXVII. CELSVS auctore Vibio Paſſieno proconſule Africæ, & Fabio Pomponiano Duce limitis Libyci, Imperator eſt appellatus, peploque deæ cœleſtis ornatus. Hic priuatus ex Tribunis in Africâ poſitus, in agris ſuis viuebat: Sed eâ iuſtitiâ, & corporis magnitudine, vt dignus videretur imperio. Quarè creatus per quandam mulierem, *Gallienam* nomine, conſobrinam *Gallieni*, ſeptimo die interemptus eſt, atque adeò etiam inter obſcuros principes vix relatus. Corpus eius à canibus conſumptum eſt, Siccenſibus, qui *Gallieno* fidem ſeruauerant perur-

K gen-

gentibus : & nouo iniuriæ genere imago in crucem ſublata, perſultante vulgo, quaſi patibulo ipſe *Celſus* videretur affixus. *Poll.*

XXVIII. ZENOBIA bellicoſiſſima mulier, quæ ſe de Cleopatrarum Ptolomæorumque gente iactabat, poſt *Odenatum* maritum, imperiali ſagulo per humeros induta, diademate etiam ornata, loco filiorum ſuorum vt Semiramis imperabat: adorata eſt more Regum Perſarum, ad conciones galeata proceſſit cum limbo purpureo, gemmis pendentibus per vltimam fimbriam, mediâ etiam ciclade, veluti fibulâ muliebri adſtrictâ, brachio ſæpè nudo. Fuit vultu ſubaquilo, fuſci coloris, oculis ſupra modum vigentibus nigris, venuſtatis incredibilis: tantùm candor in dentibus, vt margaritas eam plerique putarent habere, non dentes. Vox clara & virilis, animus caſtus. Eam in triumpho duxit *Aurelianus*, vt infrà dicemus. *Poll.*

XXIX. VICTORIA, ſiue VICTORINA, vbi filios ac nepotem à militibus vidit occiſos, *Poſthumum*, deindè *Lollianum*, *Marium* etiam, quem Principem milites nuncuparunt interemptos, *Tetricum*, de quo ſuperius dictum eſt, ad imperium hortata eſt, vt virile ſemper facinus auderet. Inſignita eſt prętereà hoc titulo, vt *Caſtrorum* ſe diceret *matrem*. Sed *Tetrico* imperante, vt plerique loquuntur, occiſa: vel, vt alij aſſerunt, fatali neceſſitate conſumpta. *Poll.*

XXX. CENSORINVS Tyrannus, vir vt *Pollio* refert, planè militaris, & antiquæ in curiâ dignitatis, bis conſul, bis præfectus prætorij, ter præfectus vrbis, quarto proconſul, tertio conſularis, legatus prætorius ſecundo, quarto ædilitius, tertio quæſtorius, extrà ordinem quoque legatione Perſicâ functus, etiã Sarmaticâ. Poſt omnes tamen honores, cùm in agro ſuo degeret ſenex atque vno pede claudicans, vulnere quod bello Perſico Valeriani temporibus acceperat, factus eſt Imperator, & ſcurrarum loco *Claudius* appellatus eſt. Cùmque ſe grauiſſimè gereret, neque à militibus ob diſciplinam cenſoriam ferri poſſet, ab his ipſis, à quibus factus fuerat, interemptus eſt. Habemus igitur ad Gallieni ludibrium in triginta tyrãnorum numero duas fœminas, quæ potius imperatricum, quàm tyrannorum nomen me-

meruêre. Siquidem omni conſumpto pudore, fatigatâque Republicâ, eouſque peruentum eſt, vt *Gallieno* nequiſſimo agente, optimè etiam mulieres imperarent, quo nihil prodigioſius vnquàm paſſa eſt Reſpublica Romana.

ANNO CHR. 270.

MARCVS AVRELIVS CLAVDIVS XXXV. Romanorum Imperator è Dalmatis oriundus, ex Gallieni morientis ſententiâ Imperator deſignatus, à militibus electus, & à Senatu appellatus eſt Auguſtus. Morum grauitate, vitâque ſingulari inſignis, vini parcus, ad cibum promptus, ſtaturâ procerus, oculis ardentibus, lato & pleno vultu, digitis vſque adeò fortibus, vt ſæpè equis & mulis ictu pugni dentes excuſſerit. Fecerat hoc etiam adoleſcens in militiâ, cùm ludibrio Martiali in campo luctamen inter fortiſſimos quoque monſtraret. Nam iratus ei, qui non balteum, ſed genitalia ſibi contorſerat, omnes dentes vno pugno excuſſit. Hic Gothos, Illyricum, Macedoniamque vaſtantes, ingenti prælio vicit. Aduerſus ducenta millia Alemanorum haud procul à lacu Benaco in Syluâ, quæ Lugana dicitur, dimicans, tantam multitudinem fudit, vt ægrè pars dimidia ſuperfuerit. Infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis fuit, & multos procul dubio interfeciſſet, niſi tot hoſtibus circumuallatus fuiſſet. Scribit enim ipſe ad Senatum, trecenta & viginti millia Barbarorum in Romanum ſolum veniſſe, & conqueritur quòd nec arma, nec milites, nec ſagittarios habeat. Tandem ex graui & contagioſo morbo moritur Syrmij in Panoniâ, cùm imperaſſet annum vnum & menſes nouem. *Trebell. Eutrop. Lampr. Aurel. Vict.*

Poſt *Claudij* obitum frater eius *Quintillus* vir moderatione, virtute, innocentiâ Claudio fratri non inferior, delatum ſibi omnium iudicio ſuſcepit imperium, non hæreditarium, ſed me merito virtutum. Auguſtum eum Senatus appellauit. Sed cùm *Aureliani* viribus, quem milites Imperatorem fecerant, ſe imparem videret, qui ad vrbem aduentare nunciabatur, venas ſoluit, atque die 18. imperij deceſſit. Alij, vt *Pollio*, *Eutropius*, & *Caſſio-*

Digitized by Google

dorus ſcribunt, quòd ſe grauem & ſerium militibus oſtendiſſet, ac verum Principem præſeferret, eo mortis genere, quo Galba, & Pertinax periêre, interemptum eſſe.

ANNO CHR. 275.

VALERIVS AVRELIANVS XXIX. Romanorum Imperator, Syrmij, aut in Daciâ Ripenſi obſcuris ortus parentibus, à primâ ætate nullum diem prætermiſit, quo ſe non armorum exerceret officijs. Fuit decorus,& gratiâ viriliter ſpecioſus: ſtaturâ procerior, neruis validiſſimis, vini & cibi paulò cupidior, libidinis raræ, ſeueritatis immenſæ, diſciplinæ ſingularis. Adultâ ætate per gradus ad militares dignitates euectus propter inſignem virtutem bellicam, hinc virtutis viâ ad imperij faſtigium aſcendit. Nam *Claudius* Imperator bellum contrà Gothos ipſi potiſſimum credidit, in quo ſecundis prælijs vſus Rempublicam in integrum reſtituit. Vndè Claudius ipſum ſucceſſorem imperij elegit, & ipſe ſtatim conſenſu omnium regionum factus eſt Imperator. Initio autem imperij, omnes nationes Aquilonares contrà Romanum imperium coniurantes, incredibilem multitudinem per eam partem Italiæ, quæ Alemaniam reſpicit, Italiam intrant,igne, cæde, rapinis omnia vaſtantes. Quibus occurrens *Aurelianus* magnâ cæde ſuorum in fugam verſus eſt, ex eo quòd in denſiſſimis ſyluis barbari ſe continentes, Romanos à dorſo perſequentes interimunt. Ipſe tum Imperator fugiens, vix cum paucis euaſit, ex quâ calamitate ita trepidata eſt vrbs,vt multi relictis mœnibus fugere tentauerint, ſed congregato milite victus *Aurelianus*, barbaris rurſum pugnaturus occurrit, illoſque tribus licet difficillimis bellis vicit, vno non longè à Placentiâ, altero iuxta amnem Metaurum,tertio Ticinenſibus campis: quo vltimo prælio tantam ſtragem barbarorum fecit, vt præ multitudine occiſorum, victores victos inſequi impedirentur; adeò vt vſque ad internicionem deleti ſunt, vt ex ſexcentis armatorum millibus, vix ſexta pars ſuperfuerit. Finito hoc bello, *Aurelianus* irarum plenus Romam petit, vindictæ cupidus, quam ſeditionum aſperitas ſuggerebat, qua-

Digitized by Google

quarum authoribus interemptis in nonnullos Senatores cruentiùs ſæuijt, cùm his leue quiddam, & quod contemni à mitiore principe potuiſſet, vel vnus, vel leuis, vel vilis obijceret.

Canabam, ſiue *Canabandem* Regem Gothorum nouos vltrà Danubium motus parantem, cum quinque millibus interfecit: quo in prælio captæ ſunt decem mulieres virili habitu pugnantes, quas ab Amazonibus ortas eſſe dicebant. His potitus victorijs, *Zenobiam* in Oriente imperantem aggreditur, cùmque illam cepiſſet, atque in conſpectum ſuum ſic appellaſſet: *Quid ò Zenobia auſa es inſultare Romanis Imperatoribus*? illa dixiſſe fertur: *Imperatorem te eſſe cognoſco qui vincis: Gallienum, & Aureolum, & cæteros, Principes non putaui*. Igitur deuictis hoſtibus, de Oriente, & Occidente triumphauit. Duxit in triumpho currus regios tres, argento, auro, gemmiſque diſtinctos. Ipſe inſidens curru triumphali trahebatur quatuor ceruis. Triumphati ſunt *Tetricus* & *Zenobia*, quæ per triumphum ducebatur eâ ſpecie, vt nihil pompabilius Populo Romano videretur. Iam primùm ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum onere laboraret, fertur enim mulier fortiſſima ſæpiſſimè reſtitiſſe, cùm diceret ſe gemmarum onera ferre non poſſe. Vincti erant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis: nec collo aureum vinculum deerat, quod ſcurra Perſicus præferebat. Huic ab *Aureliano* viuere conceſſum eſt. Ferturque vixiſſe cum liberis, matronæ iam more Romanæ, datâ ſibi poſſeſſione in Tiburi, quę hodieque *Zenobia* dicitur non longè ab *Adriani* palatio, atque ab eo loco cui nomen eſt *Conche*; *Tetricus* autem Lucaniæ præfectus factus eſt, filio eius in Senatu manente.

His geſtis ad Gallias profectus, Vindelicos obſidione barbaricâ liberauit; deindè ad Illyricum redijt, paratoque magno potius quàm ingenti exercitu, Perſis quos eo quoque tempore quo Zenobiam ſuperauit, glorioſiſſimè iam vicerat, bellum indixit. Sed cùm iter faceret, apud Cænophrurium, manſionem quæ eſt inter Heracliam & Byzantium malitiâ notarij ſui, & manu Mucaporis interemptus eſt. Cauſam occidendi, & quemadmodum fuerit occiſus, *Flauius Vopiſcus* ita refert: *Aurelianus*,

quòd

quòd negari non poteſt ſeuerus, truculentus, ſanguinarius fuit princeps. Hic cùm vſque adeò ſeueritatem tetendiſſet, vt & filiam ſororis occideret, non in magnâ, neque ſatis idoneâ cauſâ, iam primùm in odium ſuorum venit. Incidit autem, (vt ſe res fataliter agunt) vt *Mneſteum* quendam, quem pro notario ſecretorum habuerat, libertum (vt quidam dicunt) ſuum, infenſiorem ſibi minando redderet, quòd neſcio quid de quodam ſuſpicatus eſſet, *Mneſteus*, qui ſciret *Aurelianum* neque fruſtrà minari ſolere, neque, ſi minaretur ignoſcere, breue nominum conſcripſit, mixtis ijs quibus *Aurelianus* verè iraſcebatur, cum ijs de quibus nihil aſperum cogitabat, addito etiam ſuo nomine, quo magis fidem faceret ingeſtæ ſollicitudinis: ac breue legit ſingulis quorum nomina continebat, addens diſpoſuiſſe *Aurelianum* eos omnes occidere, illos verò debere ſuæ vitæ, ſi viri ſunt ſubuenire. Hi cùm exarſiſſent timore qui merebantur offenſam, dolorem miſcentes qui beneficijs atque officijs quibus *Aurelianus* videbatur ingratus, in ſupradicto loco iter facientem principem ſubitò adorti, interemerunt. Hic finis *Aureliano* fuit, principi neceſſario magis, quàm bono. Sed *Mneſteus* poſteà ligatus ad ſtipitem, beſtijs obiectus eſt. Imperauit annis 6. minus paucis diebus *Vopiſc. Eutrop. Aurel. Vict.*

ANNO CHR. 276.

M. CLAVDIVS TACITVS XXXVII. Romanorum Imperator, vir nobilis Romanus, qui Romæ Senatoris, & poſteà conſulis functus erat officio. Occiſo ſeueriſſimo principe *Aureliano*, exercitus retulit ad Senatum de Imperatore deligendo: idcircò quòd nullum de his faciendum putabant, qui tam bonum principem occiderant. Verùm Senatus electionem in exercitum refudit, ſciens non libenter iam milites accipere Imperatores, quos Senatus elegerat. Denique id tertio factum eſt, vt ita per ſex menſes Imperatorem Romanus Orbis non haberet. Tandem eligitur *M. Claudius Tacitus*, cui prima cura fuit, vt omnes qui *Aurelianum* occiderant, interimeret, bonos maloſue; cùm iam ille vindicatus eſſet, eos qui à Meotide eruperant,

perant, barbaros conſilio, atque viribus compreſſit. At iſti viro magnificum fuit, quòd tantâ gloriâ ſuſceperit imperium. Geſſit tamen propter breuitatem temporum nihil, interemptus apud Pontum inſidijs militaribus ſexto menſe imperij ſui. *Vopiſc.*

FLORIANVS Taciti frater arripuit imperium, non Senatus authoritate, ſed ſuo motu, quaſi hæreditarium eſſet imperium, cùm ſciret adiuratum eſſe in Senatu *Tacitum*, vt cùm mori cœpiſſet non liberos ſuos, ſed optimum aliquem principem faceret. Denique vix duobus menſibus imperium tenuit, nam occiſus eſt Tarſi à militibus ſuis, qui æſtimabant neminem poſſe digniùs imperare, quàm *Probum*, quem ab omni exercitu intelligebant electum. *Vopiſc.*

ANNO CHR. 281.

BONOSVS Dux militum egregius, quem *Aurelianus* Imperator frequentèr in aulâ habuit. Hic bibit, quantum hominum nemo, de quo *Aurelianus* dixerat, *non eum natum eſſe vt viuat, ſed vt bibat*. Si quando legati Barbarorum ad *Bonoſum* veniſſent, ipſis propinabat vt eos inebriaret, & ab his per vinum omnia cognoſceret, & extorqueret veritatem: is quoque ſumpſit imperium, ſed facilè victus eſt. Poſteà cùm à *Probo* ſuperatus laqueo vitam clauſiſſet, emanauit iocus, *Amphoram* pendere non hominem. *Vopiſc.*

ANNO CHR. 282.

M. AVRELIVS PROBVS XXXVIII. Romanorum Imperator, è Pannoniâ Ciuitate Sirmienſi nobiliore matre, quàm patre oriundus; hic enim ex hortulano dux militum factus fuit. *Tacito* fatalitèr abſumpto, cùm Tribuni manipulatim milites alloquerentur, dicentes, requirendũ eſſe principem aliquem fortem, ſanctum, verecundum, clementem, probum, quaſi diuino nutu ab omnibus acclamatum eſt: *Probe Auguſte Dij te ſeruent?* Oneratus igitur imperio inuitus & retrectans, & ſæpè dicens: *Non enim & vobis expedit milites: non mecum benè agitis.*

Ego

Ego enim vobis blandiri non poſſum. Cùm tamen deponere rem inuidioſiſſimam, vt ipſe dicebat, non liceret, egit perſonam à milite impoſitam. In *Aureliani* & *Taciti* inſidiatores animaduertit. *Floriani* ſocijs pepercit, quòd non Tyrannum aliquem videbantur ſequuti, ſed ſui principis fratrem. Gallias à Barbaris occupatas ingenti præliorum felicitate reſtituit. Quoſdam imperium vſurpare conatos, ſcilicet *Saturninum* in Oriente, *Proculum* & *Bonoſum* Agrippinæ certaminibus oppreſſit. Quid? Si Probum cum alijs Imperatoribus aut principibus, qui fortes, qui clementes, qui prudentes, qui mirabiles extiterunt, conferas, intelligitur hic princeps, aut par fuiſſe, aut melior. Quinquennio enim imperij ſui tot bella geſſit, multaque manu ſuâ fecit. Ille verò conſcius ſui, non barbaros timuit, non tyrannos: vir ſanè probus, vir Aureliano, Traiano, Adriano, Antoninis, Claudioque præferendus, quia in illis varia, in hoc omnia præcipua tunc fuêre: qui omnium iudicio bonorum factus eſt Imperator, orbem terrarum pacatiſſimum fecit, de quo dictum eſt, quòd *Probus* diceretur, etiam ſi *Probus* nomine non fuiſſet. Verùm cùm probitate omnes anteiret, militemque ſuum nunquam otioſum eſſe perpeſſus, dicens, *annonam gratuitam militem comedere non debere*; ac proindè militari manu Galliam Pannoniaſque & Mœſorum colles vinetis repleuerat. Hic cùm Syrmium veniſſet, ac ſolum patrium fœcundari cuperet, multa millia militum ad faciendam foſſam poſuit, cùmque multo labore onerarentur, illius pertæſi, aliqui tumultuantes, ſeditionem aduerſus *Probum* mouerunt, illumque confugientem in turrim ferratam (quam ſpeculæ causâ editiſſimam exædificauerat) interfecerunt, anno imperij ſui quinto, ſeu vt alij volunt ſexto. Eius autem mortem Senatus grauiſſimè tulit, eique ſepulchrum fecit huiuſmodi titulo marmori inciſo. *Hic Probus Imperator, & verè Probus ſitus eſt. Victor omnium gentium Barbararum: Victor etiam Tyrannorum.* Aurel.Vict.Vopisc.Eutrop.

AN-

ANNO CHR. 284.

M. AVRELIVS CARVS XXXIX. Romanor. Imperator, ſeu Romæ, ſeu Narbonæ ſeu in Illyrico genitus (nihil enim certi conſtat) militibus charus, à *Probo* præfectus prætorij factus, eo interfecto Auguſtum habitũ ſumpſit, *Carinum, Numerianumque filios Cæſares* appellauit. Deſtinato ad Gallias tuendas *Carino*, fluxis prauiſque moribus iuuene, *Numerianum* lectiſſimum diſertiſſimumque adoleſcentem, ſecum in Perſicum bellum, quod *Probus* apparauerat, duxit. Verùm antequam ad Parthos veniret, Sarmatas *Probi* morte feroces, adeò vt non ſolùm Illyricum, ſed etiam Italiam inuaſuros timeret, vno prælio contudit, quadraginta millibus ex illis occiſis, & pluribus captis: deindè Perſas fortitèr ſtrauit, notiſſimaſque eorum vrbes cepit. Verùm gloriæ auidus, ſuprà Tigridem fluuium caſtra ponens, ictu fulminis perijt anno imperij ſecundo. *Aurel.Vict.Vopiſc.*

Caro mortuo, *Numerianus* eius filius ab omnibus Imperator appellatus eſt: quamuis enim *Carinus* frater eius maior eſſet, hic tamen virtuoſus ac maximæ eloquentiæ erat; is nunciato ſibi Perſarum tumultu, eos repreſſit. Deindè victor cùm ad Vrbem exercitum reduceret, cœpit oculorum dolore grauari, ita vt in lecticâ vndique clausâ portaretur, nè à ſole, vel puluere læderetur. Eum ſic afflictum *Aper Arrius* ſocer ſuus, qui inuadere conabatur imperium, per inſidias occidi procurauit. Cùmque interrogaretur *Aper* de ſtatu eius, reſpondebat benè valere. Sed poſt aliquot dies ex fœtore cadaueris re proditâ, *Aper* cuius dolo putabatur occiſus, captus, & ante ſigna legionum manu *Diocletiani* occiſus eſt.

Supererat autem *Carinus* maior natu filiorum *Cari* in Galliâ degens. Hic cùm Cæſar à patre decretis ſibi Galliâ, Italiâ, Illyrico, Hiſpanijs, Britannijs, ac Africâ relictus eſſet, ſed eâ lege, vt omnia faceret, quæ Auguſti faciunt, ipſe ſe omnibus vitijs, ac fœditatibus maculauit, amicos optimos quoſque relegauit, peſſimum quemque elegit, ſuperbas ad Senatum litteras dedit, vxores nouem duxit, pulſis plerumque prægnantibus, mi-

Digitized by Google

mis, meretricibus, cantoribus atque lenonibus palatium impleuit; denique huic laſciuire, libidinari, in ſuos ſæuire, & *Caligulam* quendam aut *Neronem* agere, vita erat. Habuit gemmas in calceis, balteum gemmatum, hominibus improbis multum detulit, ac à nullo ſe vitio temperauit. Itaque & *Carus*, eius ſceleribus cognitis, exclamaſſe fertur: *Non eſt meus*, ſtatueratque Conſtantium, qui poſteà Cæſar eſt factus, tunc autem Præſidem Dalmatiæ, in locum eius ſubrogare, illum verò occidere. Hic vbi fratrem à ſocero interemptum, *Diocletianum* Auguſtum appellatum comperit, maiora vitia & ſcelera edidit, quaſi iam liber à frenis domeſticæ pietatis, nec ei tamen defuit vigor mentis; nam contrà *Diocletianum* multis prælijs conflixit, vltimo in Dalmatiâ victus eſt [& occiſus à ſuo Tribuno, cuius dicebatur coniugem polluiſſe. *Aurel.Vict.Vopiſ.Eutrop.Oroſ.*

ANNO CHR. 292.

CARAVSIVS cùm Galliâ pulſus eſſet, & Britanniam ſeptem annos contrà Diocletianum obtinuiſſet, occiditur per *Allectum* familiarem ſuum, qui ab hoc anno in triennium ferè Britanniam poſſedit. *Eutrop.*

ANNO CHR. 304.

VALERIVS DIOCLETIANVS XL. Romanorum Imperator ex Dalmatiâ oriundus, vir obſcuriſſimè natus, adeò vt à pleriſque *Scribæ* filius, à nonullis *Amilini* Senatoris libertinus fuiſſe credatur. Ante imperium dictus fuit *Diocles* à matre *Dioclea*; vbi verò orbis Romani potentiam accepit, *Graium* nomen in Romanum morem conuertit, & ſe *Diocletianum* appellauit. Corpore fuit robuſtus & formoſus. Ab ineunte ætate artibus bellicis deditus, & induſtriâ ſuâ ad varios dignitatum gradus aſcendit. Primò autem imperij ſui anno, *Amandus* quidam, & *Helinandus* in Galliâ, collectâ ruſticorum, quos *Bagandas* vocabant, multitudine, pernicioſos tumultus excitarunt. *Diocletianus* propterea *Maximianum Herculeum* quendam commilitonem ſuum Cæſarem fecit, & in Gallias miſit, quos ille fa-

facilè deuicit. Hi duo Auguſti *Diocletianus*, & *Maximianus*, inter ſe concordantes rurſus duos Cæſares, quos ſibi adiunxêre, fecerunt: Ille quidem *Galerium Maximinum*; hic *Conſtantium Chlorum*. *Diocletianus* initio clemens & modeſtus fuit. Tandem tamen proſpero ſecundarum rerum curſu, eò vſque inſolentiæ proceſſit, vt mortalitatis oblitus, ſe tanquam Deum adorari voluerit, velut in ipſo eſſet cœleſtis maieſtatis; ideò fratrem ſolis & lunæ ſe nuncupauit. Proijcere ſe quoque homines humi venerabundos, atque oſculum pedibus figere pati cœpit: & gemmas calceis veſtibuſque inſeruit: cùm ante ipſum omnes Imperatores conſulari tantùm ſalutatione contenti fuiſſent: & ſolam Chlamidem purpuream priuato habitui adieciſſent. Quòd maius eſt inæſtimabili furore cœpit in Chriſtianos ſæuire, eoſque aceruatim collectos, alios gladio obtruncari, alios ignibus comburi iuſſit. Tandem poſt omnem tyrannicam rabiem, poſteaquam ſingularem Chriſtianorũ in morte conſtantiam perſpexiſſet, de imperio deponendo cepit conſilium, anno vigeſimo Principatus exacto. Quamuis vero *Maximianus* initio Diocletiani conſilium approbare noluerit, tandem tamen *Diocletianus* in ſententiam ſuam collegam pertraxit. Itaque ſub vnâ die *Diocletianus* apud Nicomediam, *Maximianus* verò apud Mediolanum depoſuerunt imperium, *Conſtantio* atque *Galerio* adminiſtrationem reipublicæ relinquentes. Poſteà ipſi quoque amicis confeſſi ſunt, ſe id ex deſperatione feciſſe, quòd Chriſtianos delere, eorumque Religionem extinguere non potuiſſent. Tandem cùm *Diocletianus* nouem annos poſt imperium priuatam vitam duxiſſet, ſuſpectans mortem indecoroſam, venenum hauſiſſe dicitur anno Chriſti 313. ætatis 78. *Eutrop. Niceph. Euſeb.*

ANNO CHR. 309.

VALERIVS MAXIMIANVS HERCVLEVS XLI. Romanorum Imperator, genere Pannoninus apud Syrmium ortus, inciuilis ingenij, ferus, ſeuerus, luxurioſus, & acerrimus Chriſtianorum perſecutor. A *Diocletiano* vt diximus, Cæſar

Digitized by Google

creatus, & ab eodem Auguſtus appellatus eſt. Cùm imperaſſet annos 18. ſuaſu *Diocletiani* imperium depoſuit, ſed poſteà eum pœnituit, quòd collegæ aſſenſerat; ideò Treuiris conſilia iterum init de imperio inuadendo, & Conſtantino amouendo, militeſque pecuniâ tentat. Indè tumultus ortus, quòd milites indignarentur, hæc ab illo tentari. Eum tumultum tamen ipſe ſuppreſſit, cùm diceret ſe hoc figmento experiri voluiſſe, an milites *Maxentium* filium ſuum amarent. Indè profectus ad *Conſtantinum* generum ſuum in Gallias, illi inſidias ſtruxit. Sed res aperta eſt viro per *Fauſtam* vxorem(ea enim ſalutem mariti tueri, quàm patris ſcelus tegere maluit)*Maximianum* igitur *Conſtantinus* perſequitur, captumque Maſſiliæ ſtrangulari iuſſit. Cadauer eius Mediolani ſepultum eſt. *Aurel.Vict.Zoſim.*

ANNO CHR. 312.

M. AVRELIVS MAXENTIVS Tyrannus, *Valerij Maximiani* filius, cuius ſoror *Fauſta* nupta erat *Conſtantino* Imperatori, dedignatus habere ſocium Conſtantinum in imperio, de ipſo inuadendo conſilia agitat. Hic referente *Zoſimo*, intrà muros incluſus dijs victimas offerebat, & aruſpices de belli euentu conſulebat, ipſis quoque Sibyllinis oraculis perueſtigatis; cùmque reperijſſet oraculum, quo ſignificaretur in fatis eſſe, vt qui ad perniciem Populi Romani ſpectantia deſignaret, miſerabili morte periret: de ſemetipſo id accipiebat, qui quaſi Romam adortos, eamque capere cogitantes propulſaret. *Euſebius* verò narrat quòd cùm *Maxentius* machinis præſtigiarum magis quàm ſubiectorum beneuolentiâ confideret,& nullo modo extrà portas ciuitatis egredi auſus eſſet, & omnem locum, agrum, & ciuitatem etiam, quæ ipſius ſubijciebatur imperio, ingenti armatorum multitudine, & infinitis copijs muniuiſſe: Imperator *Conſtantinus* Dei auxilio nixus, primam, ſecundam, & tertiamTyranni aciem adoritur,& omnibus primo impetu perfacilè ſubactis, vniuerſam propè Italorum peragrat regionem, adeò vt iam quamproximè Romam aduentaret. (Hæc ipſe) Igitur cùm *Conſtantinus* in Italiâ ſibi ſubieciſſet Seguſium, Ver-

cel-

cellas, Brixiam, Veronam, Aquileiam, Placentiam, Mutinam, & alias, vrbem Romam petit, cum exercitu nonaginta millium peditum, octoginta millia equitum:cui obuiam progreditur *Maxentius* portâ flumentanâ, & ad pontem Miluium Tiberim traijcit, cum exercitu centum & ſeptuaginta millium peditum, octodecim millium equitum. Cùm prælio congrederentur, & *Maxentius* videret ſuos equites victos, nè vrbe excluderetur, per pontem in vrbem redire maturauit,quem ſecutus eſt totus exercitus, cuius pondere pons fractus, omnes in flumen præcipites egit, & *Maxentius* pondere thoracis demerſus vix inueniri potuit. Accidit pugna die 24. Septembris vltimo die natalis ſui, imperij expleto ſexennio, antequam ſeptennium inchoaret. Vbi autem de Tyranno in Tiberim prolapſo atque extincto nuncium ad *Conſtantinum* perlatum eſt; mox eius corpus ab vrinatoribus quæri iubet:quo reperto ſectum caput ſummæ haſtæ affigendum curauit, Romamque deferri. *Prudentius* aduerſus *Symachum* ſcribens de victoriâ in *Maxentium* virtute Crucis obtentâ, hos verſus cecinit:

Teſtis Chriſticolæ Ducis aduentantis ad Vrbem
Miluius exceptum Tiberina in ſtagna tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Maieſtate regi, quod ſignum dextera vindex
Prætulerit, qualia radiarunt ſtemmate pila.

Hæc & alia plura ille.

ANNO CHR. 313.

MAXIMINVS IVNIOR, Galerij Maximini è ſorore nepos, acerrimus Chriſtianorum perſecutor fuit, & ſi non truculentior, tamen non inferior *Maximino* auunculo ſuo. Bellum geſſit contra *Licinium*, qui contractis copijs, primùm clade quidem afficitur, poſt tamen *Naximinum* Thraciâ expellit, vbi *Maximinus* copias colligit, ſed maiori clade victus, abiectis inſignibus imperij fugit, ſeque in Ciliciâ Tarſo includit, vbi furore accenſus, multos ſuorum, quòd bellum ſuaſiſſent, occidit, & ipſe ne viuus caperetur, ſe ipſum Tarſi ſtrangulaſſe *Pomponius*

nius Lætus refert, cùm quadriennio Cæſar, & triennio Auguſtus imperaſſet.

ANNO CHR. 314.

VALENS à LICINIO Imperatore Cæſar factus, vt ſocium belli contrà *Conſtantinum* haberet, deſperatâ victoriâ, factâque pace *Conſtantinus* Dalmatiam, Macedoniam, Mœſiam, & Daciam retinuit. *Licinius* autem Thraciam cum Aſiâ, Ægypto, & Oriente accepit, & *Valens* Cæſar occiſus eſt. *Zoſim.*

ANNO CHR. 319.

CLOGIVS Rex Francorum, in prælio contrà Gallos cadit, cùm vix biennium regnaſſet. Succedit frater *Clodomirus*, qui regnat annis 18. *Trith.*

ANNO CHR. 321.

RAVSIMVNDVS Rex Sarmatarum prælio cum *Conſtantino* congreſſus, victus, fugatus, & interfectus eſt. *Zoſim.*

ANNO CHR. 324.

C. VALERIVS LICINIVS, vir ignobilis, ex agricolis parentibus in Daciâ ortus, à *Galerio Maximino*, Auguſtus appellatus, Mediolanum cum Conſtantino Magno progreſſus, *Conſtantiæ* Conſtantini Sororis nuptias celebrauit. Bellum cum *Maximino*, quem glorioſè vicit, geſſit, omneſque eius regiones ſibi ſumpſit. *Conſtantinus* id iniquum eſſe dicens, portionem æquam petijt. Cùm hoc negaret *Licinius*, diſſidium ortum, bello eum aggreſſus eſt, & tribus prælijs vicit; ideò perditis omnibus victori ſe permiſit. Scribunt quidam, ante deditionem vxorem *Conſtantiam* conceſſiſſe ad fratrem, eamque oraſſe pro mariti imperio; deindè pro titulo tantùm: & non impetraſſe. Cùm pro ſalute precaretur, flexiſſe animum fratris. Ita iuſſum eſſe *Licinium* ſine purpurâ & inſignibus ad *Conſtantinum* venire: miſſumque eſſe Theſſalonicam, vt illìc priuatus cum vxore vitam degeret. Sed ibi quieſcere non potuit, idcircò de recuperando impe-

rio

rio conſilia egit, militeſque conſcripſit. *Conſtantinus* his cognitis, eum occidi iuſſit. *Licinius* itaque Theſſalonicæ à militibus interemptus eſt, cùm vixiſſet annis 70. imperaſſet annis ferè 15. *Aurel. Vict.*

CRISPVS Conſtantini Magni filius ex *Mineruina* ſuſceptus, quem pater vehementer dilexit ob raras eius virtutes, eumque Cæſaris titulo ornauit. Verita autem *Fauſta* (ſed reuera infauſta) poſterior eiuſdem Conſtantini vxor, ne priuignus *Criſpus* peritiâ, & fortitudine ſuâ filio ſuo obeſſet, finxit illa, ſe eius amore captam, ideòque eum ſæpius ad libidinem prouocaſſe. Renuentem verò, & deteſtantem incæſtum ad maritum detuliſſe, quaſi pudicitiæ ſuæ vim inferre voluerit. Quarè *Conſtantinus* pater, iræ nimium indulgens, & nullâ ratione iuris naturalis habitâ, filium *Criſpum* Polæ in oppido Iſtriæ interfici iuſſit, ſicut & factum eſt. Cùmque *Conſtantini* mater *Helena* tantam calamitatem ægro ferret animo, & intolerabilem ex cæde iuuenis dolorem perciperet, atque veritatem facti, & delationem falſam demonſtraret: quaſi conſolans eam *Conſtantinus*, malum malo maiori, ſed iuſto ſanauit. Nam cùm balneum accendi ſuprà modum iuſſiſſet, eique *Fauſtam* incluſiſſet, ex nimio vapore, atque calore ſuffocatam, mortuamque extraxit. *Zoſim.*

Suſcepit Conſtantinus Magnus ex Fauſta tres filios, nempè *Conſtantinum* II. *Conſtantem* & *Conſtantium*. Et duas filias, *Conſtantiam & Helenam*. *Conſtantinus* morti proximus, Teſtamentum condidit, quo filios ſuos tres pronunciauit Auguſtos. Diuiſerat *Conſtantinus* imperium in duas partes, Occidentalem ſcilicet, & Orientalem. *Occidentis* iterum duas partes fecerat: Galliam, & Italiam. Gallia comprehendit ipſam Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, & Germaniam. Habuitque Gallia prouincias ſeptendecim, Hiſpania ſeptem, Britannia quinque. Italia comprehendit ipſam Italiam, Africam, & partem Illyrici. Habuitque Italia prouincias ſeptendecim, Affrica quinque, pars Illyrici ſex. *Orientis* iterum duas partes fecerat: Aſiam ſcilicet, & Thraciam. Thracia habuit prouincias duas, Macedoniam, & Daciam; Aſia verò Aſiam ipſam, Ægyptum, & Pontum. Aſiæ Prouinciæ vigin-

gintiquinque; Ponti decem fuerunt. Hinc *Aquila* Imperij Romani pingitur biceps. Quò pertinet vennſtum diſthicon:

Picta biceps Aquila, *hinc occaſum*, *hinc aſpicit ortum*:
Alter (ait) *noſtri eſt Cæſaris*, *alter erit*.

Filij *Conſtantini Magni* poſt eius mortem ſucceſſerunt patri. Ac *Conſtantinus* quidem ex teſtamento patris Hiſpaniam, Galliam, Alpes, & Britanniam: *Conſtans* Italiam, Africam, Græciam,& Illyricum. *Conſtantinus* minimus natu Thraciam, Aſiam, Ægyptum, & Orientem regendum ſuſcepit.

ANNO CHR. 335.

CALOCÆRVS in Cypro ſumit imperium,contrà quem *Dalmatius* mittitur anno trigeſimo *Conſtantini*, qui eũ captum Tarſum in Ciliciam adducit, & viuum comburit. *Hieron.*

ANNO CHR. 340.

CONSTANTINVS II. ſiue iunior XLIV. Romanorum Imperator, *Conſtantini Magni*, & *Fauſtæ* filius, cùm ſuperbior & inquetior eſſet cæteris, non contentus prouincijs à patre traditis, poſthabitâ pietate erga parentem mortuum, & fratres, confiſus opibus Gallicanis, & equitibus Hiſpanis, & Alpino peditatu, contrà fas & ius bellum fratri *Conſtanti* intulit, vt imperio eum deijceret: & primùm inuaſit propinquas regiones, & Aquileiam vſque peruenit. *Conſtans* ipſi exercitum opponit, à quo vincitur; & cùm in fugâ vltimus eſſet, & ſine diademate, vt ignotus occiditur propè Aquileiam, & in flumen Alſam proijcitur anno ætatis 25. imperij triennio nondum finito. *Eutrop. Pompon. Lat. Socr. Ced.*

ANNO CHR. 350.

CONSTANS ſecundus *Conſtantini Magni filius* cùm anno ætatis ſuæ 20. fratrem ſuum bello ſuperaſſet, ſolus imperium tenuit Occidentis. Fuit autem initio iuſtus & ſtrenuus, ſed poſteà ſiue debilitate naturæ, ſiue amicis ſuadentibus, animum ad delicias flexit; & cùm ex Pannoniâ in Gallias abijſſet,

vena-

venationibus, voluptatibus, & fœdis libidinibus ſe dedit, omni imperij curâ omiſsâ; quapropter in odium venit, & exortâ contra eum inter Centuriones conſpiratione, in vrbe Germaniç Rheticâ clandeſtinis conſciorum conſilijs factus eſt Imperator *Magnentius*, qui tunc beneficio *Conſtantis* præerat Rethiæ, & quem *Conſtans* paulò ante in Illyriâ, in tumultu militari obiecto paludamento texerat, atque ſeruauerat, cùm milites eum occidere vellent. Igitur *Magnentius* dolo Imperator factus, percuſſores miſit, qui ſeruatori ſuo mortem inferrent. Hi *Conſtantem* ex venatione feſſum, in tentorio quieſcentem, nihilque tale cogitantem, trucidarunt, anno imperij 13. ætatis 30. *Eutrop. Pompon. Læt. Egnat.*

Nepotianus Conſtantini ex Sorore nepos, qui ante annos quatuordecim Conſul fuerat, in hiſce turbis imperium ſibi ſumit die 3. Iunij. Sed ab exercitu *Magnentij* victus, vitam & imperium amittit Calendis Iulij. *Faſti Sic.*

ANNO CHR. 353.

MAGNENTIVS Pſeudo-Imperator, & Tyrannus, *Conſtante* eius inſidijs occiſo, *Conſtantis* nomine ſub illius ſigno ſcripſit, qui vel cohortibus præerant, vel vrbibus, eoſque ſtatim venire ad Imperatorem miſit, quos omnes in itinere cædi iuſſit, vt non eſſent qui motum facerent. *Conſtantius* tunc in Oriente aduerſam fortunam in bello Perſico experiebatur. Itaque *Magnentius* ingenti exercitu Italiam petijt, & Mediolani aliquandiù commoratus, fratres duos *Decentium* & *Deſiderium* Cçſares fecit, & cum exercitu ad Hiſpaniam occupandâ, & vt Gallias tuerentur, dimiſit. *Conſtantius* in tanto imperij diſcrimine cædem fratris vlturus, ingenti exercitu aduerſus *Magnentium* comparato, ingenti illum prælio & memorabili, ad Murtiam fudit: quo Romani vires imperij penè concidere, 53. millibus vtrimque deſideratis. Mox cùm *Magnentius* bellum reparaſſet, & ad Lugdunum iterum victus eſſet, gladio ſibi latus aperuit; ſed & *Decentius* frater, qui Cæſar ab eo dictus fuerat, laqueo vitam finiuit. *Zoſim. Egnat.*

Digitized by Google

ANNO CHR. 354.

GALLVS Cæſar frater *Iuliani Apoſtatæ*, quem *Conſtantius* in Oriente reliquerat, vt imperium contrà Perſas defenderet, cùm in dies ſuſpectior fieret, blandè euocatur vnâ cum vxore *Conſtantiniana* ſorore *Conſtantij*, Mediolanum, vt deliberaret de imperio rectè adminiſtrando. Sed *Conſtantiniana* febre correpta in Bithyniâ moritur. *Gallus* verò cùm Conſtantinopolim veniſſet, ludos edit. Indè cùm Iſtriam verſus adhuc in hyeme proficiſceretur, à præſidiarijs *Conſtantij* accipitur, & *Polam* Iſtriæ deducitur, vbi cùm rationem gubernationis & tyrannidis dare non poſſet, capite truncatur, quod ad *Conſtantium* defertur, qui adeò hoc facto intumuit, vt ſe *Dominum Mundi* vocari vellet. Multos ex *Galli* aulâ Conſiliarios etiam adduci iuſſit, quorum pleroſque Aquileiæ trucidauit. *Ammian.*

ANNO CHR. 355.

SYLVANVS Dux præſtantiſſimus, Germanis Galliam vaſtantibus, in Galliam à *Conſtantio* miſſus benè rem gerit. Indè in inuidiam vocatus ab illis inſimulatur de inuadendo imperio; *Syluanus*, qui innocens tum erat, cùm noſſet *Conſtantij* in huiuſmodi crimine inexorabilem ſæuitiam, vt ſe defenderet, reuera ſumit imperium, contrà quem mittitur *Vrſicinus* Dux, qui admiſſus perſuaſit militibus, vt *Syluanum* occiderent. *Ammian.*

ANNO CHR. 359.

ARBETIO, vir clarus, & olim Conſul, vxoris literis, quas inconſideratius ſcripſerat, in ſuſpicionem affectati imperij ductus, interficitur. *Ammian.*

ANNO CHR. 360.

THEODOMIRVS, Francorum Rex, cùm decem annis præfuiſſet, cadit in prælio contrà *Iulianum*, ſuccedit *Clogio*, qui regnat annis 18. *Trith.*

AN-

ANNO CHR. 363.

IVLIANVS APOSTATA XLV. Romanorum Imperator, filius *Conſtantÿ* fratris *Conſtantini M.* & *Baſilinæ*, quæ eum Conſtantinopoli genuit vnâ cum fratre *Gallo*. In pueritiâ *Euſebio* Nicomedienſi Epiſcopo educandus & enutriendus traditus fuit, à quo in verâ Religione informatus, quam etiam prompto ſpiritu amplexus & profeſſus eſt. Cùmque ingenio valeret, eloquentiæ laude clarus eſſet, citò *Lectoris* officium in Eccleſiâ Nicomedienſi ipſi aſſignatum fuit. Quòd ſi ingenium, indolemque egregiam ad veram pietatem, quam puer imbiberat, conuertiſſet, inter egregios principes adnumerari potuit. Sed cùm priuatim *Libanium* (qui Chriſtianorum acerrimus hoſtis erat, & tunc Nicomediæ rethor) in religione conſuleret, eumque prælegentem audiret: item *Iamblicum*, *Maximum*, *Byzantium*, & alios Philoſophos Etnicos, ab his prauis præceptoribus deprauatus, eorumque blanditijs deceptus, à mente ſanâ & verâ Religione abductus, Ethnicanâ religione imbutus & infectus eſt. Vxor eius fuit *Helena* Conſtantini M. filia, quam ipſi *Conſtantius* Imperator, cùm ab eo Cæſar crearetur, in matrimonio iunxit. Hanc autem *Conſtantÿ* coniux *Euſebia* in odio habuit, propterea quòd ſterilis eſſet. Poculum igitur toxicatum ei porrexit, & perſuaſit, ſi illo vteretur, ipſam grauidam & fœcundam redditum iri, quòd & factum eſt: Euentus tamen fuit infelix. Nam quoties grauida facta, toties abortum peperit. Tandem cùm Maritus eius *Iulianus* contrà *Conſtantium* exercitum educeret in Thraciã, ex anguſtiâ partus diſceſſit. Sic de maligno ſemine eius nemo qui imperium capeſſeret, ſuperfuit, cùm ipſe poſt amiſſam coniugem, egregiâ caſtitatis laude venereum nihil attingeret, iuuante parſimoniâ ciborum & ſomni, quibus domi, foriſque tenacius vtebatur. Initio principatus ſpem boni Principis de ſe præbuit; ſed poſteà vitijs, atque flagitijs fœdiſſimis multiplices gloriæ curſus obnubilauit. Fuit autem *Iulianus* collega *Conſtantÿ* ſexennio: quo mortuo ſolus imperiũ adminiſtrauit annum vnum, & menſes ſeptem. Simulatâ per aliquod tẽpus in Chriſtianos ſæuitiâ, poſteà

ſe aperuit, ac hoſtem Chriſtianorum acerbiſſimum præſtitit, os in Cœlum poſuit, & Altiſſimo maledixit. In bellum contrà Perſas profecturus, interminatus erat ſe *Galilæos* (ita *Chriſtianos* nominabat) poſt victoriam de Perſis relatam funditus euerſurum. Sed ante victoriam triumphum cecinit incautus, quia

Partem ad vtramque volat dubijs victoria pennis. Ouid. Vel
Ancipiti quondam bello turbatur vtrinque.

Etenim leuiſſimus ſæpè atque inopinatus caſus ex victo victorem, & ex victore victum exercitum reddit: Et nunquam minus, quàm in hoc euentus reſpondet. Incerta eſt fortuna pugnantium, priuſquàm ad ſummum perueniatur, ſicut in ipſo *Iuliano* accidit, qui cum exercitu ſexaginta quinque millium die 5. Martij Antiochiâ diſceſſit, & aduerſus Perſas profectus, initio habuit felices ſucceſſus, occiſoque magno hoſtium numero, vrbem Perſiæ primariam, Cteſiphonta obſedit. Petenti pacem Regi Perſarum, *Iulianus* dare recuſauit. Perſæ verò commeatum intercluſerunt, ideò in caſtris *Iuliani* magna fuit penuria, eiuſque exercitus fame & ſiti preſſus eſt. Tandem hoſtes acceſſerunt, & pugnatum eſt acritèr die 18. Iunij (vti duo Hiſtorici ſcriptores *Eutropius* & *Ammianus*, qui huic expeditioni interfuêre ſcribunt.) Iterum autem congreſſi ſunt die 26. Iunij, vbi *Iulianus* haſtâ vel iaculo vulneratus eſt. Sed nemo in hunc vſque diem certi aliquid ſcire poteſt, an *Iulianus* à Perſâ aliquo, an verò à ſuo milite, an ab Angelo, vel Dæmone occiſus ſit: Multum enim Eccleſiaſtici Scriptores hac in parte diſcrepant; vulnere autem illo mox extinctus eſt anno ætatis 32. cùm ſolus annum vnum & menſes ſeptem poſt *Conſtantij* mortem imperaſſet. Moriturus fertur manum ſanguine ſuo impleuiſſe, illumque in aerem proieciſſe, & Chriſtum debellatorem ſuum, rabioſè allatraſſe hoc ſcommate *Viciſti Galilæe viciſti*. Galileæos enim per contumeliam Chriſtianos nominabat, ipſumque Chriſtum Galilæum, ita ſimul & victoriam confeſſus eſt, & blaſphemiam euomuit: ſed cùm Chriſtum & Chriſtianos illuſiſſet, illuſio reddita eſt in ſinum ipſius. Quòd in pulcherrimo hoc emblemate oſtenditur:

Cernis, vt is cœlum fœdo qui conſpuit ore:

Non

Non cœlum: imò ſuos conſpuit ipſe ſinus?
Et tu qui cœlum Domini contemnis, in illum
Non quot verba iacis, tot tibi probra vomis?

ANNO CHR. 364.

IOVINIANVS, vel IOVIANVS XLVI. Romanorum Imperator, filius *Varroniani* Pannonici & viri præclari. Poſt *Iuliani* necem, milites omiſsâ omni dilatione, alterâ die *Iouiniano* infulas imperiales imponunt. Erat vir fortis & nobilis, ac illo tempore millenarius, quo *Iulianus* electionem propoſuit, vt aut ſacrificarent, aut militiâ carerent: cingulum magis elegit amittere, quàm ſacrificare; hunc tamen neceſſitate conſtrictum retinuit *Iulianus*, qui cùm violentèr a militibus traheretur ad imperium, clamabat, *non ſe velle paganis imperare*, *cùm ipſe Chriſtianus eſſet*, cùmque vox omnium reſpondiſſet, *ſe quoque Chriſtianos*, ſuſcepit imperium. Mox ipſe ſollicitus quo pacto exercitum, vtpotè hoſtibus concluſum, educeret, repentè pio principi ſuam prouidentiam oſtendit Deus. Nam Perſarum Rex, miſsâ legatione petiuit pacem: deindè cibaria militibus deſtinauit, & forum venaliũ eis in deſerto pręparari præcepit, celebratiſque fœderibus, exercitum reduxit incolumem: quæ pacta, quantum ad gloriam, Romanis turpia, ſed tempori congruebant. Poſtquam pacem cum Rege Perſarum feciſſet, Conſtantinopolim cum exercitu properauit apud oppidũ Dadaſtana inter Galatiam, & Bithyniam, lęſus hyberno frigore, cùm in cubiculum recens calce illitum veniſſet, & calefieri id ex prunis iuſſiſſet, ſiue odore noxio, ſiue calefactione ſubitâ, ac nimiâ, nocte ſuffocatus, mortuus inuentus eſt die 17. Februarij, cùm imperaſſet menſes 7. dies 22. vixiſſet annos 23. vel vt alij volunt 33. vel vt quidam 40. *Eutrop. Oroſ. Sozom.*

ANNO CHR. 365.

PROCOPIVS cognatus *Iuliani*, quem Iulianus etiam voluerat ſucceſſorem, Calend. Nouembr. ſumit imperium, latuerat hic diù in Cappadociâ, & extremâ inopiâ coactus Chalce-

Digitized by Google

cedone tandem amicos inuenit, quibus fretus Conſtantinopolim properat, & pellectâ in ſocietatem ſuam multitudine, dum cognationem ſobolis *Conſtantini* iactat, Regiam occupat. *Valens* Imperator turbatus *Procopij* aſtu, quòd & Conſtantinopoli potitus eſſet vnâ cum Regiâ, & deindè Scytharum auxilia decem millia accerſiuiſſet, quibus tot regiones occupaſſet, in animo habuit ad conditiones pacis deſcendere, quòd & feciſſet, niſi à Ducibus prohibitus fuiſſet. Ideò Nicomediam occupat, & Chalcedonem obſidet, ſed probris exagitatus, obſidionem ſoluit. Indè accipit noua auxilia ex Germaniâ, & prȩlio cum Procopio congrediens militibus teſſeram dat: quo facto Procopij exercitus ſigna ad Valentem detulit, & Procopius fugit in ſyluas, ſed cùm luna veſpertino ortu eum proderet, captus & trucidatus eſt. Ita refert *Ammianus*, qui huic bello interfuit.

ANNO CHR. 366.

SAPORES Rex Perſarum, liberatus bello Romano Armeniam inuadit, & Regem ex inſidijs captum exoculat, & poſteà interficit, munitiones etiam quaſdam intercipit; & cùm *Valens* mitteret, qui interim Armeniæ præeſſet, is etiam à Sapore eijcitur. *Ammian.*

ANNO CHR. 373.

QVADI & MARCOMANNI, ad quorum fines præſidiaria caſtra iuſſu *Valentiniani* extruebantur, tumultuantur: quapropter *Gabinius* præfectus præſidiorum Regem eorum inſidijs circumuentum trucidat, quâ iniuriâ irritati Danubium transeunt, & tempore meſſis incurſionem faciunt, parumque abfuit, quin *Conſtantia* filia, quæ *Gratiano* nuptum adducebatur, capta eſſet, niſi carpento abrepta celeriter Sirmium abducta fuiſſet: vincunt præterea duas legiones Romanas, & vlterius progreſſi eſſent, niſi *Theodoſius Iunior* à tergo ipſos inuaſiſſet & ſtrauiſſet, quâ vi fracti domum redeunt. *Ammian.*

AN-

ANNO CHR. 375.

VALENTINIANVS I. vel MAGNVS XLVII. Romanorum Imperator,oriundus fuit ex oppido Pannoniæ Cibalâ, quod non procul fuit à Tauraro, quod nunc eſt Belgradum. Pater ei erat *Gratianus*, humili apud Cibalas Illyrias ſtirpe ortus,cui venalitium funem portanti quinque milites extorquere nequiuerant, atque ex eo corporis robur ad militiam, militia ad prætorianam dignitatem aditum aperuerat. Cùm *Iulianus* ſacrificare cogeret idolis milites, maluit Tribunatu ſuo excidere *Valentinianus*, quàm fide, colaphumque impegit Sacerdoti, vt erat animi vehementior, luſtrales ei aquas aſpergenti, ſeque indè non expiatum, ſed turpi labe pollutum dicens. Quod factum *Iulianus* conſpicatus, *Valentinianum* ad Caſtellum in ſolitudine ſitum relegarit, ibique vitam degere iuſſit. At *Valentinianus* anno & paucis menſibus interiectis, imperium tanquam mercedem ſuæ pietatis & confeſſionis obtinuit. Mortuo enim *Iuliano*, ab Imperatore *Iouiniano* ab exilio reuocatus, & iterum Tribunus militum factus eſt. Poſt huac in Niceâ Bithyniæ exercitus *Valentinianum* ordinauit Imperatorem, vtpotè virum optimum, & imperio digniſſimum. Cùm autem imperium ſuſcepiſſet, & exercitus tentaſſet alium ei aſſociare conſortem, ille reſpondit: *Veſtrum*, inquit, *o milites, fuit mihi dare iugum imperij, meum ideò, & non veſtrum eſt cogitare de bonis cõmunibus*. Cuius verba mirati milites eius ſecuti ſunt voluntatem, at ille fratrem de Pannoniâ vocatum *Valentem*, in conſortium regni aſſumpſit: & ſibi occiduas partes retinens, fratri Orientales regendas conceſſit. *Valentinianus* cùm iam tertium ageret annum cum fratre *Valente*, *Gratianum* filium ſuum, necdum plenè puberem, hortatu vxoris ſuæ Seüeræ Auguſtum creauit. Generauit autem & alium filium *Valentinianum* de aliâ vxore Iuſtinâ, quam viuente Seuerâ, nec tamen repudiatâ, duxiſſe probatur. Hæc adeò dilecta *Seueræ* fuit, vt eius pulchritudine Seuera capta, diceret aliquando Imperatori, *Iuſtinam tanta venuſtatis eſſe, vt digna ſit Imperatori nubere*. Paulò poſt *Valentinianus* Iuſtinam

nam

nam ducere ſtatuit, legem proponens publicam, quòd impunè quiſque bina matrimonia ſuſcipere poſſet, multiplicandę ſobolis causâ. Lege latâ, *Iuſtinam* duxit vxorem, nec tamen *Seueram* abiecit. Sed exemplum Imperatoris nemo imitatus eſt. Demùm *Valentinianus* imperij ſui anno 11. cùm gens Sarmatarum ſe per Pannonias diffudiſſet, bellum contrà eos parauit; ſed territi *Valentiniani* aduentu, pacem petiuêre. Ibi cùm legatione Quadorum (apud Brigionem oppidum, quod Brega Sileſiæ eſſe exiſtimatur) reſponderet, qui latrocinia excuſabant, irâ vehementi perculſus & inter exordia reſpondendi tumidior, increpabat verborum obiurgatorio ſono nationem omnem, vt beneficiorum immemorem & ingratam, paulatimque lenitus & ad molliora propenſior, tanquam ictus telo vitalia, voceque ſimul obſtrictâ, ſuffectus igneo lumine cernebatur: & repente cohibito ſanguine letali ſudore perfuſus, ne laberetur ſpectantibus exulibus, concurſus miniſtrorum vitę ſecretioris, ad conclaue ductus eſt intimum. Vbi locatus in lecto, exiguas ſpiritus reliquias trahens, animum denique diù colluctatum efflauit, anno quinquageſimo quinto, imperij duodecimo nondum completo. Moriturus vnâ ſe tantùm gloriari victoriâ dixit. Rogatus, qua? reſpondit: *Inimicorum nequiſſimum deuici carnem meam*. Sed glorioſiùs viciſſet, ſi primâ vxore adhuc viuente, ſecundam non duxiſſet. *Ammian. Pompon. Lætus. Aurel. Vict. Socrat. Niceph.*

ANNO CHR. 378.

VALENS poſt fratris *Valentiniani* diſceſſum, cum *Gratiano*, & *Valentiniano Iuniore* imperauit quatuor annis. Tum liber effrenatâ audaciâ legem dedit, vt Monachi & Clerici diuinis deputati, ad militiam ſecularem cogerentur. A blandimentis *Domitiæ*, vel *Dominicæ* vxoris ſuæ callidæ & aſtutæ fœminæ perſuaſus, vt à verâ religione deficeret, Arianiſmum amplexus eſt: ſic imperium vt Tyrannus adminiſtrauit. Sciſcitatus à *Necromantico*, quis poſt ſe regnaturus eſſet? quatuor literas demonſtrauit Θ. Ε. Ο. Δ. dicens: Hoc nomen imperij culmen

poſt

poſt *Valentem* ſuſcipere (indicabat Dæmon *Theodoſium. M.* Imperatorem.) Quare Valens omnes qui *Theodori*, vel *Theodoſii*, vel *Theoduli* vocabantur, occidi iuſſit, ſed non potuit *Theodoſium M.* ſucceſſorem occidere. Inter quos etiam *Theodoſius* vir fortis, nobilis, & Dux præſtantiſſimus ex Hiſpaniâ genus ducens, eſt occiſus, qui tamen paulò poſt *Firmum* quendam tyrannidem affectantem, Africam, & Mauritaniam ſibi ſubijcientem, iuſſu Valentis multis prælijs oppreſſum, ad voluntariam mortem coegerat, & ſic Africam recuperauerat. De quo *Theodoſio*, qui fuit pater *Theodoſii M.* fertur, quòd cùm iuſſus eſſet à Valente interfici, baptizare ſe feciſſe, & mox iugulum percuſſori præbuiſſe. Difficilia bella geſſit *Valens* cum Gothis, cum quibus ſæpè dubio Marte pugnatum eſt. Tandem, *vt Socrates habet* Conſtantinopolim venit die 20. Maij, vbi à plebe probris laceſſitur, quòd Gothos in Thraciam recepiſſet, qui etiam iam ſuburbia Conſtantinopolis vaſtaſſent, cui iratus Valens ab vrbe diſceſſit die 11. Iunij. Gothi ſibi metuentes, Epiſcopum de pace ad Valentem mittunt, ſed nihil impetrant; imò vindictæ cupidus, etiam *Gratiani* exercitum, qui propè aderat, expectare noluit, ſed die 9. Auguſti pugnat, vbi, cùm Gothi ex inſidijs equitatum viciſſent, pedites in anguſtias cogunt, eoſque trucidant, quanquam non cadant inulti. Præſtantiſſimi viri in hac clade deſiderati ſunt, & vix tertia pars exercitus effugit. *Valens* deſertus à ſuis armigeris, neminem habet, qui ſe tueatur, ideò ſagittâ vulneratus, in caſam quandam munitam deportatur, quæ obſeſſa, cùm qui intus eſſent, validè ſe defenderent, tandem allatis virgultis incenditur, & Imperator crematur, hoſtibus ignorantibus, quis intus eſſet. Qui ex incendio fugientes capti ſunt, hæc hoſtibus nunciarunt. Extinctus eſt, cùm imperaſſet annos 14. menſes 4. dies 9.

ANNO CHR. 383.

EVGENIVS Scotorum Rex in Britanniâ, cùm annis 21. regnaſſet, cadit in prælio contrà *Maximum*, & Scoti ita victi à Maximo Britanniâ pelluntur, abeuntque in Scandiam, vbi exulant annis 27. *Buch.*

FLAVIVS GRATIANVS XLVIII. Romanorum Imperator filius *Valentiniani I. & Seueræ*, cùm nondùm pubertatis annos egreſſus eſſet, à patre inſignibus imperij ornatus fuit. Igitur patre, ac patruo mortuo ad imperium aſſumptus, *Valentinianum II.* fratrem conſanguineum, quem exercitus puerum adhuc vix quadrimum Imperatorem ſalutauerat, ab imperij ſocietate non repulit; ſed omnia ei communia fecit, & imperium cum eo diuiſit. In imperij adminiſtratione, laudatiſſimus, pius, religioſiſſimus, humanus, & liberalis ſemper extitit. Tandem cùm *Maximus* quidam Dux exercitus Romani, qui in Britanniâ tyrannidem arripuerat, Gallis ex improuiſo adoriretur, *Gratianus* contrà eundem pugnaturus legiones ab eo defecerunt, à quibus exceptus *Maximus*, eiuſmodi dolo Imperatorem circumuenit. *Andragathius* Præfectus Claſſis, & ſocius *Maximi* lecticâ geſtatus, occurrere *Gratiano* iuſſus eſt. Interim rumor eſt ſparſus, aduentare vxorem Gratiani, quæ Lugduni Galliæ maritum expectaret. Hunc rumorem *Gratianus* verum eſſe ratus, neque inſidias metuens ad vehiculum vltrò accurrit, ex quo *Andragathius* armatus proſiliens *Gratianum* nihil tale timentem occidit die 25. Auguſti, cùm vixiſſet annos 29. (ſecundùm Marcellinum 24.) imperaſſet annos 16. dies 6. cum patre *Valentiniano* ann. 8. & paucos menſes: cum patruo *Valente*, & fratre *Valentiniano* iuniore annos tres: cum *Theodoſio* annos 4. & menſes fere ſeptem *Socrat. Aurel. Vict. Cruſ.*

ANNO CHR. 388.

MAXIMVS occiſo *Gratiano*, facilè totam Galliam occupat, deindè occupatis Gallijs, ad totius orbis aſpirans imperium, cum incredibili bellico apparatu contrà *Valentinianum* ad Italiam tranſire diſponit. *Theodoſius* intereà iuſtis de cauſis ac neceſſarijs, ad bellum ciuile permotus, cum duobus Auguſtis, vnius interfecti vltionem, alterius reſtitutionem pararet, aduerſus *Maximum* tyrannum, ſolâ fide maior, ſed longè minor vniuerſi apparatus bellici comparatione, prorupit: ab Oriente ſiquidem digreſſus, cum orientalibus copijs Romam venit.

Aqui-

Aquileiæ tunc *Maximus* conſederat. *Andagrathius* autem Dux ſummam belli adminiſtrabat, qui aſtuto conſilio omnes alpium, ac fluminum aditus communiens, dum nauali expeditione incautum hoſtem præuenire, & obruere parat, ſpontè eadem, quæ obſtruxerat clauſtra, deſeruit, atque marino itinere ire obuiam *Theodoſio* parat. Sed *Theodoſius* terreſtri itinere feſtinans, nemine ſentiente, vacuas alpes intrauit, atque Aquileiam, vbi *Maximus* cum paruis copijs erat, hoſtem illum trucem, & ab immaniſſimis quoque Germanorum gentibus tributa, atque ſtipendia ſolo terrore exigentem, ſine dolo ac controuerſiâ clauſit, capit & occidit. Milites enim ſui, terrore Maieſtatis *Theodoſii* vinctum tradunt, & ſic occiditur. *Andragathius* autem comes, qui nauali expeditione incautum hoſtem præuenire parauerat, cognitâ *Maximi* nece, ac de cætero *Theodoſio* reſiſtere deſperans, præcipitem ſe in vndas dedit, ne acerbiore afficeretur ſupplicio. Sicque ſubmerſus vitam finiuit, & ambo tyranni, & parricidæ iuſtas luerunt pœnas. *Zonar. Ammian. Victor* etiam filius Maximi ab exercitu Valentiniani vincitur, comprehenditur, & interficitur. *Theodoſius* verò Valentiniano reddit omnia, quæ *Maximus* obtinuerat, monetque vt relictis Arianis Orthodoxam fidem ſequatur, & ab Orthodoxorum perſecutione abſtineat. *Sigon.*

ANNO CHR. 392.

VALENTINIANVS II. VALENTINIANI I. Imperatoris, & *Iuſtinæ* filius, quem *Theodoſius* Reipublicæ propagator, atque defenſor acerrimus, in occidente collegam habuit, puerum adhuc, gerendoque imperio ineptum. Igitur pro eo *Iuſtina* mater eius, corporis multo pulchrioris, quàm animi fœmina, Arianâ tabe infecta, imperium moderabatur. Hæc viuente marito, qui orthodoxus erat, non auſa fuit profiteri, quòd Ariano dogmati eſſet adicta. Ipſo autem mortuo, quia filius adoleſcens erat, palam id profeſſa, & Catholicos quos potuit, ſedibus ſuis eiecit. *Valentinianus*, cùm in Gallijs tranſijſſet, ibique tranquillè rempublicam ageret, apud Viennam dolo *Arbo-*

Digitized by Google

gaſtis comitis ſui ſtrangulatus, atque vt vltimam voluntariam ſibi conſciuiſſe mortem putaretur, laqueo ſuſpenſus eſt, quo extincto *Arbogaſtes* noluit ſibi imperium vſurpare, ſed tyrannum creauit *Eugenium*, eligens hominem, cui titulum Imperatoris imponeret, ipſe acturus imperium. Vir barbarus, animo, conſilio, manu, audaciâ, potentiâque nimius contraxit vndique innumeras, inuictaſque copias, vel Romanorum præſidijs, vel auxilijs Barbarorum. Alijs poteſtate, alijs cognatione ſubnixus. Denique extabat genere Francus cultorque ſordidiſſimus idolorum. Igitur *Eugenius* atque *Arbogaſtes* cùm inſtructâ acie alpium tranſitus tentarent, *Theodoſius* expers cibi ac ſomni orationi incumbens, totam noctem peruigil exegit, cùm tamen ſe eſſe deſtitutum à ſuis ſciret, ab hoſtibus circumſeptum neſciret, fiducialiter arma corripiens, ſignoque crucis ſignum prælio dedit, ac ſe in bellum, etiam ſi nemo ſequeretur, victor futurus immiſit. Nam conſultus *Ioannes Anachoreta* eum victorem ſpoponderat. Quem cùm *Arbitio* hoſtilium partium comes ignarum circumpoſitis excæpiſſet inſidijs, conuerſus mox ad reuerentiam Auguſti, eum non ſolùm periculo liberauit, verùm etiam auxilio inſtruxit. Cùmque ad congreſſionem ventum eſſet, vehemens turbo ventorum à parte *Theodoſii* in ora hoſtium ruit, qui ab eius parte ſpiculâ miſsâ valentèr hoſti infigeret, & hoſtili manu miſsâ repelleret. Nec morâ paruâ ſuorum datâ ſtrage victori ſe *Theodoſio* hoſtilis exercitus proſtrauit. *Eugenius* captus, atque interfectus eſt, *Arbogaſtes* ſuâ ſe manu percuſſit, præmiſerat namque prius *Theodoſius* decem millia armatorum Gothorum, quæ ab *Arbogaſte* comite funditus deleta ſunt. Quos vtique *Theodoſio* perdidiſſe magis lucrum, quam detrimentum fuit. Ad cuius laudem ob inſignem victoriam, *Claudianus* Poeta eximius, ſed infidelis, inter cætera hos verſus cecinit.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes: cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Poſt Valentinianum imperarunt *Theodoſius Magnus*, *Arcadius*, *Honorius*, & *Theodoſius II.* de quo infra.

ANNO CHR. 398.

GILDO in Africâ ante hac imperio fidus, impedit ne frumenta Romam mittantur, contrà hunc ſe offert *Mazeſceles* frater Gildonis; Gildo cùm hæc comperiſſet, fratris liberos iugulat, & ſcelus ſcelere cumulat. Indè *Honorius* Imperator *Mazeſcelem* mittit in Africam contrà Gildonem, ſeptuaginta millium militum exercitu inſtructum. *Mazeſceles* primò milites Romanos ad ſe traducit, indè Barbaros fugat, *Gildo* victus arreptâ naui fugit, ſed vento in Africam repellitur, vbi capitur & ſtrangulatur, & vrbs Roma ſtatim difficultate annonæ ſubleuata eſt. *Zoſim.*

ANNO CHR. 399.

EVTROPIVS, cuius quidem ſumma apud *Archadium* Imperatorem potentia fuit, & primus ex Eunuchis dignitatem conſularem ab Imperatore obtinuit, ſed *Rufino* cui ſucceſſit nihilo melior fuit. Erat *Rufinus* homo improbus, à quo *Arcadius* totus pendebat, ſed eiuſdem Arcadij iuſſu à militibus mille vulneribus confoſſus in fruſta conciſus fuit. De quo *Claudianus lib.1.in Rufin.* cecinit.

Sæpè mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cùm diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi,
Præſcriptoſque maris fines, annique meatus,
Et lucis noctiſque vices: tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerſo tempore naſci,
Qui variam Phœben alieno iuſſerit igne
Compleri, ſolemque ſuo porrexerit vndis
Littora: tellurem medio librauerit axe.
Sed cùm res hominum tanta caligini volui
Adſpicerem, lætoſque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rurſus labefacta cadebat

Rel-

Religio, cauſæque viam non ſpontè ſequebar
Alterius, vacuo quæ currere ſemina motu
Affirmat, magnumque nouas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi: quæ Numina ſenſu
Ambiguo vel nulla putat, vel neſcia noſtri.
Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum.

Eutropius igitur Magiſtratum vendidit: prouincias, quibus vellet, eripuit: honoratiſſimos quoſque calumniatus eſt, eoſque in exilium egit. *Stiliconem* etiam in Occidente hoſtem imperij publicè declarari iuſſit: inſuper *Gildonem* comitem, de quo ſupra, in Africâ ad ſuas partes traduxit, & vt Africam occuparet, eamque tanquam iuſſu Arcadij obtineret, decreuit. Et hic notandum ipſum ſedulò operam dediſſe, vt lex ab Imperatoribus promulgaretur, ne quiſquam ad Eccleſias, tanquam ad aſylum profugeret: ſed vt hi qui profugerant, indè abriperentur, grauioreſque pœnas luerent. Quà lege confeſtim ille ipſe pœnas dedit. Nam cùm illius fallacia deprehenſa, quòd Imperatori perfidus eſſet, Imperiumque affectaret, Imperator ipſum è medio tollere ſibi propoſuit. Quòd cùm *Eutropius* animaduerteret, ad Eccleſiam vbi ſecurus eſſe putabat, confugit. Verùm ſecundùm legem latam ex templo extractus eſt, illique caput præſcidi *Arcadius* iuſſit. *Socr. Zoſim.*

ANNO CHR. 400.

GAINA comes & Dux Arcadij, *Arcadium* ex imperio excuſſurus, aſtu Conſtantinopolim Gothorum auxilio occupare conatur, ſed re proditâ Gothi, qui in ipſam vrbem traducti erant, trucidantur; ideò ad Helleſpontum properat, cùm hoſtis ab Imperatore declaratus eſſet. Contrà *Gainam* ab Arcadio mittitur *Frauita*, qui maris Præfectus erat: hic cùm Gainæ copiæ tranſire conantur, vincit, demergit, & victor ad Imperatorem redit. Prop̄tereà Conſul in ſequentem annum deſignatur. *Gaina* victus trans Iſtrum cum ſuis properat, vbi *Huldes* Hunnorum princeps, vt Arcadio rem gratam faceret, ſæpius prælio cum Gaina congreditur, eum vincit tandem, & obtruncat,

Digitized by Google

cat, caputque eius die 3. Ianuarij ſequentis anni, vt *Marcellinus* habet, Conſtantinopolim mittit. *Zoſim.*

ANNO CHR. 405.

RADAGAVSIVS Rex Gothorum, 200000. militum, in Italiam duxit, in Venetam regionem, Æmiliam & in Hetruriam tranſijt. *Stilico* ſe hoſti nulli obijcit, quòd eæ regiones eſſent patentioribus campis, in quibus paruis ſuis copijs ab immensâ illâ multitudine timebat. *Radagauſius* verò diuinitus conterritus. Nam cùm Florentiam iam obſidione præmeret, Feſulani montis iugo vrgente vndique timore concluditur, agminaque, quibus anguſta dudum videbatur Italia, latenti ſpe in vnum, ac paruum verticem truduntur. Vbi cùm fame & ſiti conficerentur, *Stilico* ipſum aggreditur, & ſaluis ſuis omnibus ad centum millia hominum trucidat. Rex *Radaguſius* ſolus ſpem fugæ arripiens, in fugâ captus à Romanis in vincula conijcitur, ac paulisper retentus, vitâ priuatur. Tanta verò multitudo captiuorum Gothorum fuiſſe fertur, vt viliſſimum pecudum modo ſingulis aureis paſſim greges hominum venderentur. *Zoſim. Paul. Diac. Oroſ.*

ANNO CHR. 407.

IN Britanniâ *Milites* tumultuantur, & nouum Imperatorem per tumultum eligunt *Marcum* quendam; mox eo occiſo eligunt *Gratianum*, & hoc quoque occiſo eligunt *Conſtantinum* ex infimâ militiâ hominem, tantummodò propter nomen, ſine merito virtutis, qui impetum in Gallias facit, & milites Romanos ad ſe traducit. *Zoſim. Bed.*

ANNO CHR. 408.

STILICO Honorij imperatoris ſocer, Wandalorum perfidiæ, & doloſæ gentis genere editus, cùm tutor conſtitutus eſſet imperij Occidentis à *Theodoſio M.* immemor beneficiorũ à Theoſio in ſe collatorum, immemor etiam affinitatis cum *Honorio*, regnum *Eucherio* filio affectans, ingentia reipublicę mala intulit. Igi-

Igitur Romanæ irruptionis gentes copijs, viribuſque tolerabiles, hoc eſt Alemannorum, Sueuorũ, Wandalorum, Burgundionum, vltrò in arma ſuſcitauit, eaſque pulſare Gallias voluit, vt ſub hac neceſſitate à genero in filium extorquere poſſet imperium. Tandem vbi Imperatori *Honorio*, exercituique Romano hæc tam ingentia damna patefacta ſunt, commoto iuſtiſſimè exercitu occiſus eſt *Stilico*, qui vt vnum puerum purpurâ indueret, totius humani generis ſanguinem dedit. *Eucherius* tum fugâ in Picenum euaſit, paulò poſt tamen retractus, iugulatus eſt. *Zoſim. Paul. Diac.*

ANNO CHR. 411.

GERONTIVS Dux Honorij Imperatoris contrà *Conſtantinũ* tyrannum in Gallias mouet, & filium *Conſtantem* Viennæ concludit, capit, & trucidat, patremque *Conſtantinum* Arelati obſidet. Interim *Honorius* etiam *Conſtantium* Ducem in Gallias mittit ad euertendum *Conſtantinum*, qui iam Francos, & Alemannos in auxilium euocauerat; ſed *Conſtantius* diſpoſitis Francorum inſidijs ducem capit, & exercitum eius trucidat, Conſtantinumque, qui iam depoſuerat purpuram, capit, & Honorio mittit, à quo occiſus eſt.

ANNO CHR. 413.

HERACLIANVS Africæ comes, qui Honorij partes hactenus fortiter defenderat, ſuperbiâ elatus ab *Honorio* deſciuit, & imperium ſumpſit, cùm immenſa ſatis, incredibilique claſſe nauium Romam contenderet, & littora Italiæ crudeliſſimè vaſtaret, à *Marino* duce Honorij victus eſt, & amiſſo exercitu, arreptâ naui ſolus Carthaginem redijt, vbi à militibus occiſus eſt. *Oroſ.*

ANNO CHR. 415.

ATHAVLPHVS Alarici Regis Gothorum affinis, hoc mortuo, Gothi Athaulphum Regem conſtituentes, Romam redeunt: ſi quid reſiduum fuit more locuſtarum eradunt, aufe-

ren-

rentes deindè *Gallam Placidiam*, ſororem Honorij, quam ſibi Athaulphus apud forum Cornelij connubio copulauit. Eam diuino iudicio velut obſidem ac pignus Roma huic barbaro Regi tradidit. Nam ad hoc mariti animum acerrimo ingenio, ſubtilibuſque blandimentis eum inflexit, vt vltrò à Romanis pacem expeteret, qui ad Gallias proficiſcens, apud Barcinonem quando equos ſuos in ſtabulo contemplari vellet, à *Dobbio* ſeruo ſuo, cuius dominum interfecerat, trucidatus eſt. Poſt quem *Genſericus* regnum capiens, dum pacem Romanis ſeruare diſponit, & ipſe à ſuis peremptus eſt. Deinde *Walia* regnandi iura ſuſcipit, ad hoc electus à Gothis, vt pacem infringeret. Hoc cognitu non indignum eſt, quòd cùm *Honorio* nunciatum eſſet *Romam* perditam, miratus eſt illã ſubitò perijſſe, quam paulò ante feſtiuiſſimè ludentem viderat. Intelligebat hoc de *Gallina* quadam pugnaci, cui nomen *Romæ* indiderat, doluitque ſe fruſtrà turbatum fuiſſe. *Agath. Paul. Diac.* Huic *Athaulpho* Pithæus ſequens Epitaphium poſuit.

Bellipotens valida natus de gente Gothorum,
Hic cum ſex natis Rex Athaulphe *iaces*.
Auſus es Hiſpanas *primus deſcendere in oras*,
Quem comitabantur millia multa virum.
Gens tua tunc natos & te inuidioſa peremit,
Quem poſt amplexa eſt Barcino *multa gemens*.

ANNO CHR. 418.

PLINTHA comes quidam imperium in Paleſtinâ inuadens, à Ducibus *Theodoſij* victus & occiſus eſt. *Marcell.*

ANNO CHR. 419.

GVNDERICVS Wandalorum Rex cùm annis 16. regnaſſet, & crudelitèr in Catholicos graſſatus eſſet, à Dæmone correptus interijt. Succedit *Geiſericus*, qui regnat totis annis nonaginta octo. *Iſidor.*

Digitized by Google

ANNO CHR. 412.

MAXIMVS & IOVINVS, qui ſibi imperium in Hiſpaniâ ſumpſerant, vincti Romæ abducti, & interfecti ſunt. *Sebaſtianus* tyrannus Iouini frater, continuò creatus, occiſus eſt. *Tertullus* Conſul, qui ſe principem in Senatu futurum gloriatus eſt, pari nihilominus exitu perijt. Hinc *Honorius* deuictis Gothis Romæ triumphauit. *Attalus* verò à Gothis Imperator factus, poſmodum à *Conſtantio* captus, miſſuſque Honorio, truncatâ dexterâ manu, Liparam relegatus eſt. *Paul. Diac.*

ANNO CHR. 425.

IOANNES, qui ſcriba fuerat, cùm fortunam ſuam ferre non poſſet, defuncto *Honorio* abſque liberis, inuadit imperium, iungit ſibi Duces, *Caſtinum* & *Aetium*, & cùm ſenſiſſet id Theoſio non placere, & bellum ſibi metuendum eſſe, *Aetium* ad Hunnos mittit, qui contrahat milites. Interim cùm *Ardaburius* eſſet Rauennæ in captiuitate, ſocios ſibi fidos adiungit, & ad *Aſparem* filium, quid faciendum ſit perſcribit, qui aſſumpto equitatu celeriter & improuiſo Rauennam venit, & paſtore quodam Duce per paludem portis patentibus Rauennæ recipitur, vbi *Ioannem* cùm decimum octauum imperij menſem compleuiſſet, capit, & ad *Placidiā* mittit, cuius iuſſu primùm manibus, poſt capite truncatur. *Aetius* verò, qui Hunnos adducebat, cùm audiret Ioannem captum, paciſcitur cum *Aſpare*, vt in gratiam recipiatur, & vt Hunnis munera dentur, quibus acceptis ad ſuos ſponte redierunt. *Socr.*

ANNO CHR. 444.

SATVRNINVS Comes mittitur à Theodoſio Imperatore ad occidendum *Seuerum* Presbyterum, & *Ioannem* Diaconum, qui *Eudociæ* Auguſtæ erant à concionibus. *Eudocia* irata protinus *Saturninum* trucidat, hinc iratus *Theodoſius* ſpoliat coniugem regijs miniſtris, & apud Aeliam vſque ad mortem cuſtodiri iuſſit. *Marcell.*

AN-

ANNO CHR. 445.

ATTILA ab externo bello otioſus, rabiem in fratrem *Bledam* conuertit, & vt ſolus imperio potiretur eum interficit, & omnes ſibi obedire iuſſit. *Marcell.*

ANNO CHR. 450.

THEODOSIVS II. ſiue IVNIOR LI. Romanorum Imperator, *Arcadij & Eudoxiæ* filius, qui adhuc in cunis vagiens à patre ſuo Auguſtus eſt appellatus, & cùm eſſet moriturus eum teſtamento hæredẽ imperij ſcripſit, & tutorem ei adiunxit, non fratrem *Honorium*, ſed *Isdigerdem* Regem Perſarum, cum quo fœdus inierat. Cùm in Oriente imperaret, auditâ *Honorij* patrui morte, *Valentiniano* Conſtantij, & Placidiæ filio imperij inſignia dedit. Manſuetiſſimum ac leniſſimum Principem ferunt fuiſſe Theodoſium, minimèque omnium cruentum, lectioni ſacrarum literarum, & pietati impensè addictum. Tandem accidit, vt cùm venatione ſe exerceret, equo delapſus, vertebram dorſi luxauit, & mortuus eſt die 29. Auguſti, cùm imperaſſet poſt patrem annos 42. menſes ferè tres. Succedit ipſi *Marcianus*.

ANNO CHR. 451.

THEVDERICVS Gothorum Rex peremptus eſt in prælio contrà *Attilam*. Ceciderunt ad centum octuaginta millia ex vtrâque acie, præter nonaginta millia Gepidarum & Francorum, qui mutuis vulneribus ceciderunt, *Iornand. Sigebert.* Imperauerat autem *Theudericus* annis 23. cui ſuccedit *Thoriſmundus* eius filius.

ANNO CHR. 453.

ATTILA Mundzucci filius, fortiſſimarum gentium dominus, qui ſolus primuſque Scythica & Germanica regna obtinuit, atque vtrumque imperium captis vrbibus terruit: ſe Regem ſcripſit Hunnorum, Medorum, Gothorum, Danorum, metum Orbis, Deique flagellum. Cùmque ad Vrbem Romam,

Digitized by Google

cui minimè parcendum putauit, properaret, *Valentinianus* tunc Imperator, legatum Pontificem *Leonem* ad eum vt Vrbi parceret miſit, adiectis mandatis, vt quacumque conditione poſſet, *Attilam* non ſolùm à progreſſione auerteret,ſed etiam ad Italiam primo quoque tempore relinquendam impelleret. Haud reſpuit in tantâ rerum aſperitate laborem vllum egregius, ac S. Pontifex, ſed comitatu honeſtiſſimo ſumpto, quam maximâ potuit, ad eum celeritate contendit;nactuſque ipſum ad Mincium,vt proximè conſidentem, ac ſæua adhuc ſecum de petendâ Româ conſilia volutantem,ſe veniſſe à *Valentiniano* legatum oſtendit. Non potuit homo non minus moribus, quàm genere barbarus, tam ſancti, tamque venerandi antiſtitis aſpectu non grauiter commoueri, itaque benignè, atque honorificè illum excepit, & liberè, quæ peteret, expromere iuſſit. Quo facto, omnia quæcumque voluit, impetrauit: hominemque illum ferum, atque ab omni religione auerſum, graui diuinæ iuſtitiæ commemoratione adeò permulſit, vt ipſum adhuc quibuſdam quaſi facibus inflãmatum ad cupiditatem ſcelerati facinoris obeundam, promiſſo annuo tributo, ab eiuſmodi conſilio reuocarit. Additur res auditu mirabilis, *Attilam* non tam grauiſſimâ Leonis oratione placatum, quàm aſpectu Viri à tergo *Leonis* aſſiſtentis, atque ipſi gladium, ni obedientem ſe gereret,intentantis, fuiſſe perculſum,quòd ipſe poſteà disertè confeſſus eſt; nam cùm à ſuis reprehenderetur, quòd tam facilè Pontificis Romani nutui, auctoritatique ceſſiſſet, reſpondit, non ſe illum fuiſſe reueritum, ſed alterum prope illum in habitu Sacerdotali aſtantem, formâ auguſtâ, & canitie venerabili præditum, diſtrictoque gladio ſibi mortem, ni dicto audiens eſſet, acerrimè minitantem: illum autem *Petrum* principem Apoſtolorum fuiſſe noſtri merito crediderunt. Vulgo etiam inter Hunnos ſermo crebuit, Attilæ ferociam à duabus tandem feris fuiſſe perdomitam, *Lupo* in Galliâ, & *Leone* in Italiâ, cùm *Lupum* Tricaſinum Epiſcopum, & Pontificem ſignificare *Leonem* vellent. Ita motis à *Mincio* caſtris,Noricum verſus iter ſuſcepit, ne per loca ruinis ſtrata, agroſque recenti adhùc igne fumantes,atque ab omni genere alimentorum inopes exercitum

præ-

prætioſâ potius, quàm neceſſaria prædâ onuſtum reduceret, atque indè tranſmiſſo Danubio in Scythiam ſuam peruenit, famâ ſæui prædatoris potius, quàm conſtantis bellatoris relatâ. Poſt hæc *Honoria* Valentiniani Imperatoris ſoror,libidine inflãmata, eunuchum legatum ad *Attilam* miſit, coniugium & regnum ei offerens. Miſit igitur *Attila* legatos ad *Valentinianum*, qui ſuaſionibus minas addiacentes *Honoriam* petebant: ſed prius quàm legati Romam reuerterentur, *Attila* (qui alioquin etiam more gentis plures habebat coniuges) puellæ cuiuſdam eximiæ, cui *Hildico* nomen fuit, nuptias cum eâ celebrauit, in quibus cum vino & Veneri nimium indulſiſſet, iamque ſupinus obdormiuiſſet, ferociter ſternens, nocte eâ extinctus eſt, ſanguine copioſo per os,atque per nares erumpente. Indè ſilentio noctis cadauer ſepulturæ mandatum, idque auro, argento, ferroque munitum eſt; ſcilicet, vt ferro gentes edomitas, auro, argentoque ſpoliatũ imperium indicarent: addidêre indè arma hoſtibus adẽpta, cæteraque pretioſa fortibus viris erepta inſignia. *Marcellinus* Aetij impulſu *Attilam* à muliere confoſſum hoc anno notauit, alij in priorem retulerunt. *Sigon. Iornand. Antonius Vulpius* Nouocomenſis, *Attilæ* hoc Epitaphium conſcripſit.

Quid tot conſpiciens, viator, altum
Erecta ad tumulum trophæa, totque
Victorum exuuias Ducum, vrbiumque
Tot cadauera, totque de ſubactis
Triumphos populis, ſtupes anhelus?
Rex ille Attila, Numinum flagellum,
Tu noſti reliqua: hìc iacet; viator
Cerne vt nunc etiam cinis ſuperbus
Spiret imperium, minas, furorem;
Hunc caſus niſi narium ſoluta
Vena, dum thalamis nouaque nupta
Indulget nimis, abſtuliſſet; orbis
Euerſus, titulos, decuſque, monſtro
Fatali cumularet, & trophæa.

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 454.

THORISMVNDVS Gothorum in Galliâ Rex, quòd *Aetius* ſibi nulla auxilia contrà *Attilam* tuliſſet, imperij prouincias inuadit, & Arelatem obſidet, nec vi ab Aetio depelli potuit; quapropter de pace agitur, & *Aetius* Thoriſmundo orbiculum aureum gemmis ornatum, pendentem libras quingentas offert, qui in theſauris Gothorum conſeruatur. Sed cùm Thoriſmundus poſt victoriam, & pacem factam inſolentius gereret in odium venit, & cùm fortè ægrotaret, à fratribus ſuis trucidatur, hac fraude: cùm ſe curandi gratiâ ſanguinem mitteret, à cliente inimicos falſo adeſſe nunciante, armis ſubtractis, occiſus eſt, ita tamen vt ſcalpello arrepto, antequam opprimeretur, nonnullos ex inſidiatoribus ſtrauerit: regnauit autem annos tres: ſuccedit ipſi *Theodericus* frater, qui regnat annis 13. *Iorand. Ithac. Sigon.*

AETIVS patricius Romanus vir bellicoſiſſimus, & fideliſſimus Dux *Valentiniani* Imperatoris, qui Attilam in campis Catalaunicis fugarat, eique terror fuerat, ab ipſo *Valentiniano* peremptus eſt: *Maximus* (qui poſteà *Valentiniano* occiſo imperium rapuit) vxorem habebat formoſiſſimam, de quâ infrà, cuius pudicitiæ *Valentinianus* inſano amore incenſus, vim intulit. Quod nefarium facinus cùm vindicare *Maximus* cuperet, & cùm ſe *Valentiniano* vitam eripere ſine certo periculo non poſſe, viuente *Aetio* animaduerteret, ipſum ante de medio ſibi tollendum exiſtimauit. Itaque rem aggreſſus, eunuchos regij corporis cuſtodes ſpe, præmijſque corruptos induxit, vt *Valentiniano* perſuaderent, *Aetium* rebus geſtis inflatum, nouas res in Galliâ meditari. Quòd cùm princeps credidiſſet, continuò cogitare de illius delendi ratione inſtituit; cùm autem in hanc curam animum intendiſſet, fortè ex amico quodam quæſiuit, num *Aetij* mortem vtilem fore reipublicæ iudicaret: cui ille, *Minimè verò* inquit *immò ſi illum ſuſtuleris, tu quidem dexteram manu altera deſecabis*. Quâ voce haud quaquam deterritus, *Aetium* Romam acciuit, & ſatellitibus in palatio collocatis, vbi acceſſit per eos incautum vnâ cum Boetio amico fœdiſſimè trucidauit. Quo ex-

tin-

tincto, ſimul omne Occidentalis Imperij præſidium concidit: tanta fuerat in eo virtutis indoles, tanta auctoritas, atque ad omnes res conſulendas, atque agendas conſilij promptitudo, animique alacritas. *Sigon. Procop. in Vandal. Pau. Diac.*

ANNO CHR. 455.

VALENTINIANVS TERTIVS LII. Romanor. Imperator, *Conſtantij* Patricij Romani, & *Placidiæ* filius, cùm puer ſex annorum eſſet, Cæſar creatus eſt à *Theodoſio* II. Cùm verò feliciter rem gereret, acclamatione totius Italiæ Auguſtus ab Auguſto *Theodoſio* appellatus eſt: Corpore, membris, & facie egregia atque ſpectabilis fuit perſona, ſed animi dotibus, quæ ad imperium requirebantur, caruit. Quia pater immaturâ morte obierat, & mater educationem neglexerat, adeò vt otio atque voluptati deditus, omnis generis vitia, atque flagitia perpetraret. Vndè occidentale imperium ſub eo, & cum eo ruinam eſt paſſum; Ipſe namque poſtremus Imperatorum in Occidente vſque ad Carolum Magnum fuit. Cùmque *Valentiniani* ab inſtantibus curis laxatus eſſet animus, res duas omnium maximè improbatas, ac reipublicæ, ſibique demùm pernicioſiſſimas eſt aggreſſus, quarum vna fuit turpioris libidinis, altera ſtolidæ cuiuſdam temeritatis; violator enim pudicitiæ vxoris *Petronij*, & *Aetij* interfector extitit. Vxorem ille *Petronij Maximi* perditè deperibat; erat autem *Maximus* Senator, idemque patricius, nepos illius Maximi, quem *Theodoſius* Gratiani vlciſcendi causâ ſuſtulerat. Hanc igitur formâ excellentem cùm miſerè amare cœpiſſet, blanditijs primùm ad ſui obſequium allicere nixus eſt; vbi verò pectus eius munitum pudicitiâ reperit, ad artem ſe contulit, quippe *Maximum* ad ſe accerſiuit, & de induſtriâ ludere cum eo talis inſtituit, certoque auro propoſito, annulo eius ludi victor potitus eſt, quem ſtatim *Maximi* nomine clam ad illius coniugem miſit, eamque iuſſu mariti ſigno accepto, properare in Palatium ad ſalutandam *Eudoxiam* Auguſtam præcepit. Mulier annulo mariti conſpecto, nullâ de re ſuſpicans adijt, ac ſtatim in gynæceum à paratis ad id mulie-

bus

Digitized by Google

bus deducta eſt. Neque ita multò poſt *Valentinianus*, Maximo relicto, libidine ardens acceſſit, atque amorem textatus, caſtiſſimæ mulieri ſtuprum nefarium intulit, *Sextum Tarquinium* imitatus, qui violatione *Lucretiæ* regnum ex vrbe deiecit. Dimiſsa indè mulier, vt iniuriam violatæ pudicitiæ vindicaret, viro rem prodidit, ipſumque, vt qui tanto probro occaſionem aperuiſſet, prope deteſtabunda increpuit, ac mox rei indignitate per ſe ſatis accenſum quibuſdam quaſi furiarum facibus ad tantam perſequendam contumeliam incitauit. *Maximus*, vt iniuriam vxori illatam vlciſceretur, & cùm ad perimendum *Valentinianum* animo iam eſſet erectus, *Oſtilam* & *Tranſilam* fidos quondam Aetij ſatellites, indignitate Domini necis iniectâ, ac muneribus & pecuniâ in præmium periculi oſtentatâ, impulit, vt *Valentiniano* parum ab eis cauenti manus afferrent. Nec conſilium fefellit euentus, die 17. Martij conuenerunt, atque hominem inermem, neque de eiuſmodi inſidijs cogitantem, in campo Martio pro tribunali concionantem nacti circumſteterunt, & per *Ocillam* Aetij bucellarium ex aduerſo venientem gladio confoderunt, ac vitâ exuerunt. In eo tumultu *Heraclius* eunuchus cecidit; cùm pro domini ſalute ſuum caput offerret, fidemque in extremo etiam caſu præſtare contenderet. Totâ indè non ſolùm regiâ, ſed etiam vrbe tanti facinoris magnitudine conſternatâ, nemo extitit, qui ſe *Maximi* conatibus aduerſarium exhibuerit. Obijt *Valentinianus* anno imperij ſui trigeſimo, ætatis verò trigeſimo quinto. Mortem eius occaſus imperij in Occidente ſecutus eſt. Nam Roma primò à Tyrannis, poſtea ab ipſis Barbaris agitata eſt, Franci Galliam, Scoti, Picti, & poſt eos Saxones Britanniam, Hunni Europam, Wandali Africam, alij alias prouincias Occuparunt ac vaſtarunt, donec nomen & maieſtas imperij in occidente concidit. *Sigon.*

Maximus, occiſo *Valentiniano*, ſtatim palatium cum ſatellitibus ingreſſus eſt, & imperium nemine obſtante arripuit, ſtatim autem pœnituit eum arrepti imperij, propter negotiorum molem quotidiè ſuſtinendã. Imperii nihilominus adminiſtratio fuit tyrannica. Nam occupato imperio, ſtatim *Eudoxiam* Valentinia-

tiniani vxorem vi compreſſam, ſibi matrimonio ſociauit, vxore ſuâ paulò ante amiſsâ, quo facto, parati ad id, promiſſis muneribus, milites ipſum Imperatorem leuarunt. Tumultuantibus autem Francis & Gothis in Italiâ, *Auitum* magiſtrum militiæ fecit, & Galliæ conſulere iuſſit. Dum hæc autem aguntur, *Maximus* nouo alio, & magis tetro ſcelere eſt appetitus, quod non ipſi ſolùm, ſed vrbi etiam Romanæ pręſens, ac memorabile exitium attulit. Is primâ nocte cum Eudoxiâ cubans, illud in ſermone imprudenter iniecerat, ſe nimio illius amore incenſum viro eius *Valentiniano* inſidias tetendiſſe: eaque vox altius, quàm opus fuiſſet, in pectus *Eudoxiæ* pęnetrarat, itaque mulier, ſiue propriæ contumeliæ impotens, ſtatim animum ad perniciem Maximi appulit, ac mox, alijs auxilijs deſperatis, occultè nuncium ad *Genſericum* Regem in Africam cum literis, ac muneribus ampliſſimis miſit, magnoperè obteſtans, vt ad ſe, ciuitatemque Romanā infeſtâ *Maximi* tyrannide liberandā, ac ſimul ad *Valentiniani* mariti necem iniuſtiſſimam vindicandam accederet; id enim ipſum fœderi, amicitiæque debere, quo nuper ſe cum eo per *Honorium* filium obſidem aſtrinxiſſet. His literis acceptis *Genſericus* erectus, optatam potius, quàm ſperatam occaſionem vltrò oblatam arripuit, ac ſubitò ſpe ingentis, atque opimæ prædæ illectus, claſſem ad expeditionem Romanam inſtruxit, ac trecentis millibus Wandalorum, Maurorumque impoſitis, curſum Romam verſus prope fatalem intendit, vt quòd Alaricus ſummis votis expetitum, ac maximis viribus tentatum vix extorſit, id ipſe vltrò quaſi à fortunâ porrectum acciperet, ideſt, vt Romam à principio originis ſuæ ab hoſtili clade propè intactam ſecundâ irruptione affligeret, ac Wandalicæ feritatis veſtigia ad omnem poſteritatis memoriam in ipſo quoque imperij domicilio impreſſa relinqueret. Itaque dum *Maximus* aulam, atque imperium inter ſæuos militum, popularium, fœderatorumque tumultus nihil ex Africâ aduerſi metuens regit, ecce de improuiſo pridie Idus Iunias, nec opinantibus omnibus, *Genſericus* claſſem valido milite, atque omni bellico apparatu refertam ad littora Romana appellit, nec non

Digitized by Google

exercitum ad omnem vrbis oppugnationem inſtructiſſimum repentè exponit, atque explicatis ordinibus ducere ad mœnia eius inſtituit. Quâ re cognitâ, tantus è veſtigio ciuitatem pauor inuaſit, vt eodem momento vrbs capta omnibus videretur. Itaque populares iuxta, ac nobiles de ſuâ ſalute ſolliciti vrbe ſe tumultuosè proripuerunt, atque in montes, ſyluaſque, vt tutiores futuri, latebris profugerunt. Quâ trepidatione animaduersâ *Maximus* & ipſe formidine anxius, ac propè ab omnibus auxilijs deſtitutus, ex vrbe exceſſit, ſeque cæteris non tam fœdæ, quàm periculoſæ fugæ ſocium præbuit. Fugientem autem ac ſolum vbi Senatores quidam inimici eius viderunt, veteres ſubito offenſionum acerbitates animo reuocarunt, atque iracundiâ incitati per occaſionem lapidibus inceſſerunt, ac mox tractum, laceratumque per *Vrſum* Romanum militem in Tiberim proiecerunt. Quæ poſtquam *Genſericus* accepit, poſt triduum vrbem neceſſario præſidio vacuam, nemine reſiſtente ingreſſus, à *Leone* quidem Pontifice, & Eudoxia flexus, ne vrbem incendat, eam tamen totam per quatuordecim dies diripuit: & non ſolùm priuatas ciuium domos ſpoliauit, ſed etiam aurea vaſa è Templo Hieroſolymitano à Tito allata rapuit, eaquæ vnâ cum *Eudoxia*, & duabus filijs *Placidia*, & *Galla*, multiſque millibus captiuorum, ſecum in Africâ aſportauit. *Procop. Zonar. Iornand. Sigon.*

Auitus, qui eo tempore apud *Theodoricum* Gothorum Regem legationem obibat, decernitur Imperator, ſi ipſe imperium recipere velit, quod maxime ſuadet Rex *Theodoricus*, & milites promptâ voluntate ipſum Imperatorem coronant. In Italiam regreſſus, dimiſſoque Gothico auxilo, cùm ob *Maximum*, & dignitatem imperatoriam à *Marciano* Imperatore, & populo in odio haberetur, *Recimer* Sueuus militiæ magiſter eum iuſſu *Marciani* Imperatoris Româ pepulit, comprehenſumque coegit imperio ſe abdicare: ne igitur contemptus viueret, Placentiæ Epiſcopus factus eſt, cùm tantùm decem menſes & quindecim dies Imperator in occidente fuiſſet. Verùm cùm Senatus non contentus hac degradatione, mortis pœnam illi irro-

Digitized by Google

irrogaret, in Gallias fugit, vbi mærore animi mortuus eſt. *Sigon.*

ANNO CHR. 456.

RECTIARIVS Sueuorum Rex, cum exercitu obuiam veniens *Theodorico* Gothorum Regi, ab ipſo ad Vrbicum fluuium fugatus & captus, cùm fugâ euadere non poſſet, occiſus eſt, atque ita regno Sueuorum potitus *Theodoricus*, ipſis præfecit *Acliulphum*, qui ſtatim rebellauit *Theodorico*, atque ob id ſtatim pœnas dedit; quapropter Sueuis permittitur, vt ſibi Regem ex ſuis creent, qui regnum deferunt ad *Maſdram*, qui id obtinet annis quatuor. *Vaſæus.*

ANNO CHR. 460.

MASDRAS Sueuorum in Hiſpaniâ Rex, cùm annos ferè quatuor regnaſſet, occiditur menſe Maio: ſuccedit ipſi *Frumarius*, qui ſimiliter annos quatuor regnat. *Iſidor.*

ANNO CHR. 461.

MAIORANVS, militiæ Magiſter à *Leone primo* creatus, & ad imperium Occidentale occupandum miſſus, cùm in Italiam veniſſet, propè Rauennam, ſexto ab vrbe lapide in loco, qui ad Columellas dicebatur, Imperator exercitu approbante, leuatus, atque Auguſti nomine inſignitus eſt. Indè in Vrbem ingreſſus *Recimere* Patricio in conſiliorum, rerumque omnium ſocietatem accepto, rebus conſulere neceſſarijs cœpit. Non multò poſt Gallicâ clade permotus *Maioranus* Auguſtus, aſperâ adhuc hyeme, magno labore cum exercitu Alpes traſcendit, vt Galliam armis pacaret primùm, deindè afflictam beneficijs recrearet. Itaque acri inito bello, Gothos ex omnibus quæ occupauerant oppidis expulit, ac pace datâ, prouinciam perluſtrauit. Quo facto, *Sidonius* qui tum pangendis carminibus excellebat, ipſum victoriâ ouantem nobili Panegyrico ſalutauit, in quo præſidium rebus Galliæ afflictis, atque in primis Lugdunenſi popoſcit, inquiens:

Et quia laxatis nimium ſpes vnica rebus
Veniſti, noſtris petimus, ſuccurre ruinis,
Lugdunumque tuam, dum præteris aſpice victor.
Ocia poſt nimios poſcit te fracta labores.
Qui pacem das, redde animum: boue, fruge, colono,
Ciuibus exhaucta eſt. Stantes fortuna latebat.
Dum capitur, væ quanta fuit! poſt gaudia princeps
Delectat meminiſſe mali, popularibus, igni
Et ſi concidimus veniens tamen omnia tecum
Reſtituis, fuimus veſtri quia cauſa triumphi,
Ipſa ruina placet.

Igitur cùm rebus Galliæ diſponendis intentus abeſt, *Recimer* & *Seuerus*, ambo Patricij, conſpiratione initâ, inter ſe pepigerunt, vt Recimer *Maiorano* vitam adimeret, *Seuerus* imperij faſtigium vſurparet. Interim *Maioranus*, ne otioſus in Galliâ verſaretur, Alanos indè pellere, vt qui infirmioribus opibus eſſent, quàm aut Burgundiones, aut Franci, contendit: cuius impetum cùm illi ſuſtinere non poſſent, Italiam ſe petere, eamque vaſtare velle oſtenderunt, atque ita illum ex Galliâ ad tuendam Italiam redire coegerunt. Ea res *Recimeri* deſtinati facinoris perpetrandi occaſionem aperuit. Cùm enim *Maioranus* Derthonam oppidum perueniſſet, *Recimer* ſiue vltrò profectus, ſiue ab illo accerſitus, cum exercitu propius acceſſit die 2. Auguſti ipſum nihil aduerſi ſuſpicantem per diſpoſitos ſatellites comprehendit, atque imperio abdicare coactum, protinus die 7. Auguſti ad fluuim Hyram occidit, cùm imperaſſet annos quatuor & menſes quatuor. Secutum eſt interregnum vſque ad diem 19. Nouemb. quo Imperator declaratus eſt *Seuerus*, qui imperauit annos 3. menſes 9. *Itach. Sigon.*

ERIDICVS frater Theoderici Regis Gothorum cum Francis pugnans, occiditur iuxtà Ligerim Galliæ Gelticæ fluuium. *Vaſæus*.

AN-

ANNO CHR. 464.

BEORGOR Rex Alanorum in Galliâ, ſiue à Theodorico Rege Gothorum latè regnum in Galliâ extendere cupiente adactus, ſiue cœcâ prædandi libidine ſtimulatus, ſummâ hyeme, quâ *Ruſticus*, & *Olymbrius* conſulatum geſſerunt, exercitum ex Galliâ eduxit, ac ſuperatis Alpibus, in campos ſubiectos degreſſus, Liguriam latè populari, atque effusè vaſtare more barbarico inſtitit. Quâ re cognitâ, *Seuerus* tunc Auguſtus *Recimerem* cum firmiſſimo delectu ei iuſſit occurrere. Nihil felicius illâ expeditione per multos ante annos contigit Romanis; nam *Recimer* Alanum ſæuientem ad Bergomum nactus 8. Idus Februarias ad prælium ſic adduxit, vt non ſolùm exercitum profligarit, ſed Regem etiam congreſſum acie interemerit. *Sigon. Caſſiod.*

ANNO CHR. 465.

SEVERVS, occiſo *Maiorano*, Auguſtus Ricimeris ope declaratus eſt. *Recimer* autem ex victoriâ de Alanorum Rege obtentâ elatus, magnificos indè adeò ſpiritus ſumpſit, vt Seuerum etiam ipſum contemnere cœpit, & venenum occultè adminiſtrarit. Hinc *Seuerus* Imperator cùm annos tres & menſes nouem imperaſſet, moritur die 15. Auguſti fraude *Recimeris* interfectus. Senatus Romanus cùm tot hoſtes eſſent imperij, petijt à Leone, vt mitteret Imperatorem, ſi videatur, ſed in hac conſultatione, & hunc, & ſequentem annum conſumpſit. Interregnum igitur fuit anni vnius & menſium ferè 8. *Sigon.*

ANNO CHR. 466.

THEODORICVS Gothorum Rex, cùm annis ferè tredecim regnaſſet, ab *Euarico* fratre Toloſæ occiditur, & ipſe regnat annis ſexdecim. *Vaſæus*.

AN-

ANNO. CHR. 468.

ARVANDVS præfectus Galliæ, onere alieni æris oppreſſus, metu creditorum ſucceſſurus ſibi optimates æmulabatur, omnium colloquia deridebat, conſilia explorabat, officia contemnebat, donec odio publico flagrans, & prius cinctus cuſtodiâ, quàm poteſtate diſcinctus, capi ab Imperatore, & Romam duci eſt iuſſus: quò vbi peruenit, apud *Fl. Aſellium* hoſpitem, Comitem ſacrarum largitionum in Capitolio cuſtodiendus eſt datus. Intereà legati prouinciæ Galliæ *Tonantius Ferreolus Præfectorius Afranij Sagrij* conſulis è filia nepos, *Thaumaſtus*, *& Petronius* homines ſummæ prudentiæ atque eloquentiæ opinionem habentes, atque Aruernorum primores Aruandum publico nomine accuſaturi ſequuntur. Hi inter cætera, quæ ſibi prouinciales agenda mandauerant, interceptam epiſtolam deferebant, quam Aruandi ſcriba exceptus dominum dictaſſe profitebatur. Hæc ad Regem Gothorum epiſtola mittebatur, pacem cum Leone Imperatore diſſuadens, Britannos ſuper Ligerim ſitos oppugnari oportere demonſtrans, cum Burgundionibus iure gentium Gallias diuidi debere confirmans, & ad hunc fermè modum plurima inſana complectens, quæ iram Regi feroci, miti pudorem accenderent. Hanc epiſtolam ad læſæ maieſtatis crimen pertinere iuriſconſulti dixerunt. Hoc ei intendi periculum *Aruandus* ab Sidonio, Auxanioque admonitus reſpondit, ſe conſcientiâ ſuâ munitum vix aduocatos in repetundarum defendendo crimine admiſſurum. Interim reus Aream Capitolinam albatus percurrebat, ac fictis ſalutationibus, atq. occurrentium adulationibus ſtudebat, ac ſerica, gemmas, & pretioſa quæque inuolucra, quaſi mercaturus, explicari iubebat: & inter agendum præcipuè de legibus, temporibus, Senatu, & principe querebatur. Poſt paucos dies Senatus in tractatorium frequens conuenit. Eò reus, accuſatoreſque citati intromittuntur, ac ſuis quiſque locis pro dignitate ſedere iubentur: cùm patres conſurrexiſſent, legati poſt Prouinciale mandatum epiſtolam protulerunt, quæ cùm ſenſim recitaretur *Aruandus*

uandus vltrò ſe dictaſſe imminentis periculi ignarus aſſeruit, idque bis, terque poſt repetitâ confeſſione rogatus reſpondit. Itaque ſtatim à iudicibus, atque accuſatoribus acclamatur, reum eum læſæ maieſtatis teneri. Quo conſenſu perſpecto *Aruandus* examinatus expalluit, ſerò intelligens poſſe reum maieſtatis etiam pronunciari eum, qui non affectaſſet habitum purpuratorum. Subitò igitur iure geminæ præfecturæ, quam per quinquennium repetitis faſcibus geſſerat, ſpoliatus, & plebeæ familiæ redditus, publico carceri adiudicatus eſt. Indè iudicio comperendinato capite mulctatus in inſulam eſt coniectus, vbi vſque ad inimicorum dolorem deformatus ex Senatus conſulto Tiberiano triginta dierum vitam poſt ſententiam traxit, vncum, & gemonias, & laqueum carnificis in horas expectans. Hæc de iudicio Aruandi ſcripſit *Sidonius*.

ANNO CHR. 469.

DINZIO Attilæ filius cum expeditâ Hunnorum manu occurrit Regibus Oſtrogothis, qui Satagas in mediâ Pannoniâ inuasêre; atque ad Baſſianam progreſſus, agros effusâ populatione diripuit. Quâ re cognitâ Oſtrogothi Satagis omiſſis, in illum ſe tanto impetu retulerunt, vt fuſo exercitu, interfecerint, ac reciſum caput Conſtantinopolim miſerint, atque ab illo die Gothorum arma Hunni exhorruerunt. *Sigon. Marcell.*

ANNO CHR. 472.

ANTHEMIVS à Leone Imperatore mittitur, vt Occidentale imperium regeret. *Recimer* verò Dux, ex cuius nutu imperium pendebat, filiam ſuam Imperatori deſpondet, vt ita gener illius fieret, ipſumque in poteſtate haberet. Verùm *Recimer* cùm ſibi ſatis potentiæ habere videretur, nec alterius opibus indigere, noluit alieno imperio ſubeſſe. Inſidias igitur ſtruit ſocero: Quæ cùm patefactæ eſſent Mediolanum fugit, & bellum Imperatori minitatur: ſed pax conciliatur per *Epiphanium* Epiſcopum Ticinenſem virum doctum & pium. *Recimer* nondùm quieſcere potuit, ſed ſequenti anno, quo cum *Anthe-*

nio

nio erat reconciliatus, bello eum proſecutus eſt, & cum magno, eoque infeſto exercitu Romam perrexit, atque obſidendæ vrbis causâ apud Anienis pontem caſtra fecit. Quâ re perſpectâ Romani in magnas rerum anguſtias rurſus adducti, alij *Anthemio*, alij *Recimeri* ſe adiunxerunt, & ciuitatem inteſtino diſſidio dixtraxerunt. Cùm autem in longum obſidio traheretur, grauius fame laborare, & poſt famem premi peſtilentiâ incœperunt ſpes vna erat in auxilijs Gothorum ex Galliâ accerſitis, quæ & ipſa repente præciſa eſt; nam *Blimerem* cum firmâ manu ad vrbem profectum *Recimer* aggreſſus, inito ad pontem Hadriani certamine, non ſolùm vicit, ſed etiam interemit. Quo ſucceſſu erectior, atque audacior factus 5. Idus Iulias vrbem, toto vrgente exercitu, magnâ mole inuaſit, ac demùm repulſis defenſoribus, in poteſtatem redegit; atque ingreſſus eandem, quam *Alaricus*, & *Genſericus* ante attulerant, trepidationem, ac tumultum inuexit; nam & *Anthemium* captum morte affecit, anno imperij 5. menſe 3. nullâ neque ſoceri pietate, neque Imperatoris reuerentiâ ductus, & vrbem, quæ flammis ac peſtilentiæ acerbitate afflicta erat, militibus miſerè populandam, diripiendamque permiſit. Itaque præter duas regiones in quibus ipſe cum ſuis conſederat, omnia immani ſunt prædatorum libidine lacerata. *Recimer* tamen hoc ſcelere perpetrato, non diù lætatus eſt. Nam die 34. poſt generi cædem, morbo repentino correptus, extinctus eſt. Succedit *Anthemio Anicius Olybrius*, qui imperat menſes tres, & dies 23. moriturque 23. Octob. ſequitur interregnum menſium quatuor. *Sigon.*

ANNO CHR. 474.

PEROZES Perſarum Rex, cùm annos ſexdecim regnaſſet, ab Hunnis interficitur cum toto exercitu, cùm profundam foueam feciſſent, & inſidijs quorundam in eam procraxiſſent. Potiti ſunt tum temporis *Hunni* inſigni vnione, quem poſteà *Iuſtinianus* Imper. centum auri libris redimere voluit. *Cedren.*

AN-

ANNO CHR. 476.

ORESTES Gothus Comes à *Nepote* Imperator creatus, & contrà Francos & Gothos in Galliam miſſus, hoſtium ſecurus, filium ſuum *Momyllum* Auguſtum, ſiue Imperatorem creauit, qui poſtea, quòd exiguæ ſtaturæ eſſet, *Auguſtulus* appellatus eſt vulgò. Firmatâ ab Oreſte cum Genſerico, atque alijs pace, improuisò adeſt *Odoacer* Herculorum & Turcilingorum Rex, qui Danubium tranſgreſſus in Italiam Veronam peruenit, & perſecutus Oreſtem, qui inferior viribus erat, Ticinum includit, & vrbem tandem capit, militibus diripiendam præbet, & die 23. Auguſti proclamatur Rex Italiæ. Placentiam indè profectus, *Oreſtem* die 28. Auguſti occidit exercitu inſpectante, indè Rauennam venit, quam vrbem in poteſtatem accipit, & *Momyllum* Auguſtulum, qui ſe abdicauerat, in Muculanum Campaniæ caſtrum in exilium eijcit, atque ita finis factus eſt imperio Occidentali, quod ſteterat poſt victum Pompeium, incipiendo à Iulio Cæſare annos 522. *Procop.*

ANNO CHR. 477.

ODOACER ad conſtituendum regnum animum adijciens, ſibi Gothos adiunxit, & tertiam partem agrorum ipſis in Italiâ attribuit, quòd & *Oreſtes* ipſis promiſerat. Conſulum dignitatem ad contundendam eorum ſuperbiam abſtulit, & ſedem regni Rauennæ conſtituit, regnatque in Italiâ annos 16. Verùm vt terrorem Romanis inijceret, ſibique authoritatem pararet, occidit *Frauitam* Comitem Rauennæ die 11. Iulij. *Chron. Vet.*

BASILISCVS frater ſocrus Imperatoris *Zenonis* exercitu inſtructus, *Zenonem* Conſtantinopoli eiecit. Cùm autem *Zenon* ad cædem quæreretur, in Iſauriam fugit, neminique cognitus vitam cum coniuge interdum herbis, & radicibus tolerauit. *Baſiliſcus* improuisò potitus imperio Orthodoxos eiecit, & Eutychianos exules reuocauit, & Concilium Chalcedonenſe abrogare præcepit. Sed cùm menſibus viginti exulaſſet *Zenon*,

Q im-

Digitized by Google

imperium recuperauit. *Armatus* enim magiſter militiæ à *Baſiliſco* Zenoni oppoſitus, exercitum Zenoni tradidit. Ipſe *Baſiliſcus* in templum fugit, ſed indè abſtractus cum coniuge & liberis in exilium miſſus, frigore & inediâ perijt, cùm prohibitum eſſet, ne ipſi quicquam ſuppeditaretur. *Procop.*

ANNO CHR. 480.

IVLIVS NEPOS olim Imperator occiditur ex inſidijs à ſuis comitibus die 9. Maij. *Chron.Vet.*

ANNO CHR. 481.

VORTIMERVS Britannorum Rex, à ſuis in turrim compellitur, & crematur. *Annal.Britann.*

ANNO CHR. 484.

GVNDEBALDVS Gundenici Regis Francorum filius maximus natu, *Gundemari, Chilpericiq.* fratrum armis impijs petebatur: qui ipſi ætate medij, *Gundebaldum*, *Odiſellumque*, hunc ſtirpis minimum pellere domo, ac vniuerſum regnum occupare contendebant, adoleſcentiâ feroces, ac Transrhenarum gentium ſubnixi auxilijs. In Heduorum finibus victus *Gundebaldus*, depoſitis inſignibus regijs, ſe ad tam certos amicos, in tam fidas, tutaſque latebras contulit, vt cùm nulla fugæ indicia extarent, cæſus in acie creditus ſit. Proindè cùm velut confecto bello Tranſrhenana auxilia ſe domum recepiſſent, tunc *Gundebaldus* in lucem redijt. Ad eum velut miraculo reſtitutum, qui interemptus ferebatur, cùm concurſus vndique fieret, Viennam Burgundię tunc contributam vrbem, fratreſque qui victoriâ fræti illuc vſque progreſſi erant, in eâ obſidet. Oppidani haud ægrè ceſsêre. *Gundebaldus* primo tumultu comprehenſum *Chilpericum* ſecuri percuſſit. *Gundemarum* in extremâ ſpe è turri ſe defendentem, ſubiecto igne, exuſtiſque foribus, concremauit. *Crotildem* coniugem Chilperici, ligato ad collum ſaxo aquis immerſit. *Paul. Aemil. Sigeb.*

AN-

ANNO CHR. 485.

HONORICVS Rex Wandalorum, & Alanorum, ab Arianis eò deducitur, vt Catholicos damnaret, & die 24. Febr. edictum promulgaret, quo omnia ſupplicia ijs, qui ad Arianos non tranſijſſent, conſtitueret; qno pacto infinita hominum multitudo, dimiſſis per Africam tortoribus: aut fuſtibus, aut ſuſpendio, aut ferro, aut igne necati ſunt; pręcipuè autem conuertere oculos nobiles matronæ nudatæ atque inſpectante populo tortæ, virique nonulli, quorum alios cernere erat ſine manibus, alios ſine pedibus, quoſdam oculis erutis, quoſdam linguis euulſis, partim naribus, auribuſque defectis, partim ſpatulis nimio ſuſpendio vulſis, caput quod eminere ſolebat, in medio ſcapularum habere demerſum, dum in altis ædibus ſuſpendio cruciati, agitatis funibus, per aerem errantes inanem penderent, ex quibus nonnulli diſruptis funibus, ex illâ altitudine procidentes, aut cerebrum cum oculis afflixerunt, aut confractis oſſibus, vel ſubitò, vel poſt paululum expirarunt. Singulorum nomina apud *Victorem* extant deſcripta. Eorum aliquot ſe vidiſſe Conſtantinopoli refert *Procopius* poſt præciſas linguas priſtino eloquio reſtitutos. Nec multis poſt diebus *Honoricus* peſſimus Tyrannus iudicio Dei percuſſus, dum acerbitate odij ſui inauditâ aduerſus Catholicos crudelitate inflammat, computruit, & à vermibus viuus conſumptus eſt, cùm imperaſſet annos ſeptem, & menſes decem. *Gregor. Turon. lib. 2. cap. 3.* inquit: Tunc Sol teter apparuit, ita vt vix ab eo, vel tertia pars eluceret; credo namque pro tantis ſceleribus, & ſanguine innocenti. *Honericus* etiam proprijs ſe manibus laniabat, & magno cruciatu vitam iuſtâ morte finiuit. Regnum *Gundamundo* Genzonis fratris filio tradidit, qui teſte *Procopio* Catholicos aſperioribus porrò vexare ſupplicijs inſtitit. *Sigon.*

ANNO CHR. 491.

ZENON ISAVRICVS LV. Romanorum Imperator, vir obſcuriſſimi ſanguinis & tùm facie deformis, tum moribus

Digitized by Google

bus planè tyrannicis. Hic *Theodoricum* Oſtrogothorum Regem, cùm vnicè diligeret, in Italiam aduerſus *Odoacrem* miſit, conſulem priùs à ſe factum. Pulſus verò à *Baſiliſco*, factione vxoris, cùm in Iſauriam conceſſiſſet, non multò poſt reuerſus, & Baſiliſcum expulit (quem & inediâ mori coegit) & annos 17. tyrannum veriùs, quàm principem egit. Tandem comitiali morbo, quo frequenter corripiebatur, extinctus putabatur, atque ideò ſepelitur; ſed in ſepulchro ad vitam rediit, & miſerè ſub ſaxo lamentabatur: ſed nemo ipſum liberabat, cùm *Ariadna* coniux ſeuerè id prohibuiſſet:ideò fame tandem mortuus eſt, cùm ipſe ſuos lacertos deuoraſſet. Succedit *Anaſtaſius* ab Ariadnâ aſcitus, qui imperauit annos 27. & menſes 3. *Zon. Cedren.*

ANNO CHR. 493.

ODOACER Rex omnium, quos Italia, & Roma pertulit, barbarorum mitiſſimus, poſt multas, ſed inanes eruptiones, ac certamina edita, cùm conſumptis rebus ferè omnibus, quæ mandi poterant, extremâ vrgeretur inopiâ, ſilentio noctis, auxilio à virtute petito, vniuerſum aduerſus *Theodoricum* eduxit exercitum. Quòd vbi ille ſenſit, & ipſe ſuos in aciem promouit. Cæterum commiſſo prælio, tantâ vi *Odoacer* pugnauit, vt *Theodoricum* cum ſuis præcipiti fugâ ſe referre coegerit. Cui caſtra ineunti mater in portâ obuiâ, *Quo tendis*, inquit, *fili! neque enim locus ſupereſt, quo te fugiens recipere poſſis, niſi ego veſtem tollam, & eò te, vnde in lucem prodiſti, recipiam*. Quibus verbis irritatus, ac pudore ſuccenſus iuuenis egregius, collectâ ſuorum, quos nanciſci potuit, exiguâ quidem, ſed validâ manu, inuectus in hoſtes, qui ſecuri victoriæ latè iacebant in campo, reuertit, ac magnâ eorum ſtrage factâ, *Odoacrem* in vrbem iterum ſe condere compulit. Creſcebat indè cibariorum omnium generis in dies intus inopia, foris autem Gothi diuturnæ ad vnam vrbem manſionis tædio langueſcebant, itaque feſſis vtrinque corporibus, animiſque aut grauatè legati vltrò, citròque miſſi audiri de pace ſunt cœpti. Neque enim *Ioannes* Epiſcopus

Odoa-

Odoacrem ad pacem accipiendam hortari, ſi honeſtæ, ac tolerabiles ferrentur conditiones, deſinebat: nec præſentem vrbis cladem, & ciuium ſeruitutem proponere deſiſtebat. Itaque, cum Theodoricus petijſſet, vt æquo cum Odoacre imperio Rauennam, & Regnum Italicum obtineret; Odoacer aſſenſus eſt. Ita, icto in hanc conditionem fœdere, Theodoricus 3. Kal. Martias obſidionem laxauit, ac primum claſſem oppidum inijt, deinde 3. Nonas, Epiſcopo cum Clero,& Sanctorum reliquias obuiam prodeunte, Rauennam à ſuis Rex acclamatus, intrauit, ac ſecum Odoacrem in Palatio, quod Hilautum appellabatur, amicè, ac familiariter habuit: Poſt aliquot inde dies, vt appareret, quam infida omnis regni eſſet ſocietas, eundem, partem Italiæ ex fœdere pacto ſibi ab eo paratas criminatus,ibi ipsū cum filio, ac primoribus eius per diſpoſitos ſicarios interfecit.Hinc *Theodoricus* occupato Italiæ regno,id obtinet annis 33. & menſibus 6. *Sigon.Caſſiod.*

ANNO CHR. 497.

ATHENODORVS Princeps captus, finem impoſuit bello Iſaurico, quod hactenus geſtum fuit, cuius caput Tharſum in Ciliciam allatum eſt, vbi contabuit. *Marcell.*

ANNO CHR. 498.

LONGINVS frater Zenonis quondam Imperatoris, qui Anaſtaſio in Iſauriâ bellum fecerat, tandem capitur, & Conſtantinopoli in Theatro circumducitur, inde Niceæ varijs cruciatibus interficitur. *Marcell.*

ANNO CHR. 499.

CLODOVÆVS I. Rex Francorum, anno decimoquinto regni ſui, arma Alemanis trans Rhenum habitantibus inferens cum lectiſſimo Francorum robore aduerſus eos ire contendit, quâ re præreptâ, Alemani egregiè inſtructi, & ipſi circa Ripas Rheni ſe obiecerunt. Ita commiſſo ad Tolbiacum oppidum prælio, acriter à Francis, Alemaniſque pugnatum eſt; ab illis,

illis, ne auitæ belli gloriæ, ab his, ne patriæ libertatis poſſeſſionem amitterent. Cum autem flagrante certamine, ac multis vtrinque cadentibus, Clodouæus ſuam inclinare aciem cerneret, neque eius ſuſtinendæ humanam vllam rationem inireт, tum oculis in cœlum ſublatis, lacrymabundus, *Chriſte potens bellorum*, inquit, *polliceor, me ſacra tua, quæ adhuc reſpui, cum meo populo ſuſcepturum, ac tibi ex animo ſeruiturum, ſi tuo beneficio victoriam de hoſtibus Alemanis retulero*. Quâ oratione completâ, repente Alemani infeſto quodam quaſi fulmine tacti Francis terga dare cœperunt, & victoriam quam iam propè habebant in manibus, tradiderunt, mox cum *Regem ſuum* in acie cecidiſſe animaduerterent, pacem ab illo quoque ſupplices petierunt. Igitur Clodouæus inſigni, & miraculoſâ victoriâ potitus, à *Vedaſto*, qui poſt factus eſt Epiſcopus Attrebatenſis in capitibus doctrinæ pietatis inſtituitur, & Rhemos ad *S. Remigium* proficiſcitur, vbi cum tribus millibus hominum baptizatur. *Sigon.Pau.Aem.Greg.Tur.*

ANNO CHR. 503.

PETZA Theodorici Italiæ Regis Dux, contra Bulgaros cum expedito exercitu miſſus, bellum tam magnâ dexteritate geſſit, vt Gepidarum, & Bulgarorum Regem trucidauerit. *Sig.*

GODIGISILVS frater Gundobadi Burgundiorũ Regis, Viennæ à proprio fratre obſeſſus, vbi interclufis in vrbem commeatibus famem imminere ingentem vidit, inopes, atque egenos omnes emiſit: quo facto ſimul etiam Architectus quidam, cui aquæductus cura mandata erat, egreſſus eſt, qui iratus quòd vrbem poſſet, oſtendit, atque acceptis idoneis militibus, per ſpiraculum aquæductus ingreſſus, lapidem magnum, quo ille obſepiebatur, ferreis vectibus minuit, atque ita aditu patefacto, in vrbem milites introduxit, qui defenſoribus ex mœnibus deturbatis, ſigno dato obſeſſores in vrbem vocarunt, atque ita & populum interceptum ſtrauerunt, & *Godigiſilum* incolumitatis cauſa ad Eccleſiam profectum, ibi cum Epiſcopo occiderunt. *Sigon.*

AN-

ANNO CHR. 507.

ALARICVS, filius Eurici apud Toloſenſem vrbem princeps Gothorum efficitur, eosque rexit annis 32. Qui cum à pueritiâ vitam in otio, & conuiuio peregiſſet, tandem prouocatus à Francis, in regione Pictauenſis vrbis prælio inito, extinguitur, eoque interfecto Regnum Toloſanum occupantibus Francis deſtruitur. *Iſid.*

ANNO CHR. 508.

NAZALEOD Rex Britannorum opponens ſe Saxonibus in WueſtSaxoniâ occiditur in prælio à *Certicio* fortiter ipſi reſiſtente, & cum eo quinque millia Britannorum. *Huntin.*

ANNO CHR. 511.

GISALARICVS, qui in Hiſpaniâ regnum Gothorum occupauerat, & iam 4. annis adminiſtrarat, à *Theoderico* Veronenſi, qui illud regnum nepoti ſuo ex filiâ, & *Alarico* aſſerere conabatur, regno pellitur: *Giſalaricus* verò in Africam fugit, auxilia Wandalorum adducturus: cùm verò nihil impetraret, occultè in Galliam redit, vbi tandem occiditur, & *Theodoricus* regnum illud Gothorum tutorio nomine annis 15. ferè adminiſtrauit, cùm iam Italiam poſt occiſum *Odoacrem* octodecim annis obtinuiſſet. *Iſid.*

ANNO CHR. 516.

CLOCHILIACVS Danorum Rex, qui claſſe Belgium vaſtabat, à *Theodoberto* Francorum Rege apud Antuerpiam cum toto exercitu ceditur, & Marchionatum eius vrbis, *Ethiloni* Bauariæ Duci permittitur. *Annal. Friſ.*

ANNO CHR. 517.

BALDERICVS frater Herminfridi Regis Herulorum vincitur, & trucidatur à *Theodorico* Francorum Rege, operâ eiuſdem fratris Herminfridi, qui eum in auxilium euocauerat, cùm

Digitized by Google

cùm iam antea fratrem alterum *Bertharium* nomine vitâ expuliſſet. Verùm cùm Theodorico promiſſam acquiſitę regionis portionem minimè conceſſiſſet, capitules inter eos exarſerunt inimicitiæ. *Sigon.*

ANNO CHR. 518.

ANASTASIVS DICORVS LVI. Romanorum Imperator ex Macedoniâ oriundus, *Zenone* miſerabiliter mortuo, Ariadna, ipſum de ſententiâ ſenatus, & legionum, *Vrbicio* eunucho, cuius magna erat authoritas, ſuffragato, ad imperium euexit *Dicori* porrò nomen ex eo habuit, quòd pupillis oculorum fuit diſſimilibus, alterâ nigriore, alterâ magis ad glaucum colorem declinante. Antequam coronaretur, fidei confeſſionem ſcriptam, quam polliceretur, ſe in dogmatibus Eccleſiaſticis nihil eſſe nouaturum, ab eo exegi Patriarcha *Euphemius Anaſtaſio* autem imperatorio habitu in circo ſedenti, populus vno ore acclamauit; *ſicut vixiſti, ita etiam impera*. Quippè nondum ſumpto imperio, ante galli cantu templum adire ſolebat, ibique dum concio dimitteretur, adſtabat Deum placans, frequenter ieiunabat, & eleemoſinam pauperibus, ac mendicis erogabat. Initio ſui imperij fuit probus, pacificus, iuſtus, & beneficus, & rempublicam benè adminiſtrauit, ſed poſteà degenerauit. Nam paulò ante obitum, cùm multos de inſidijs ſuſpectos haberet, eos in carcerem coniecit, vt ſupplicio eos afficeret, inter quos etiam *Iuſtinus*, & *Iuſtinianus*, qui poſtea rerum potiti ſunt, fuerunt: ſed deterritus eſt ſomnio; nam apparuit ei in ſomnio ſpecies quædam terribilis: *Tibi quidem, Imperator*, inquiens, *permiſſum eſt reliquos inſidiatores tollere: Iuſtino autem, & Iuſtiniano nè quid mali feceris: nam vterque ſuo tempore Deo inſeruiet*. Illos igitur *Anaſtaſius* dimiſit, & à crimine læſæ Maieſtatis eos abſoluit. Eutychianæ hæreſi infectus, longè, latèque ea peſtis in Eccleſia graſſata eſt, ipſeque varijs modis contrà Eccleſiam peccauit. Interim *Hormiſda* Pontifex de nouâ hæreſi a *Seuero* illatâ ſollicitus, vt *Anaſtaſium* ad Catholicos traheret, iterum legatos ad eum miſit *Euodium* Epiſcopum

Ti-

Ticinenſem, & *Peregrinum* Meſſanenſem, litteraſque Catholicam fidem aſſerentes, & libellum pœnitentiæ addidit. *Anaſtaſius* verò non ſolùm ſalutaribus legatorum verbis, monitiſque non paruit, verùm etiam eos corrumpere conatus, vbi fruſtrà ſe laborare animaduertit, extemplo vrbe, ne mandatis obediret, eiecit, atque in fragilem depoſitos nauim dimiſit, adiectis cuſtodibus, ne oppidum Græciæ vllum attingerent. Legati tamen tantâ ſolertiâ fuerunt, vt ope Monachorum epiſtolas in omnibus ciuitatibus diuulgarint, quas Epiſcopi ciuitatum metu Imperatoris miſêre Conſtantinopolim: quibus rebus *Anaſtaſius* inflammatus, eò indignatione prouectus eſt, vt literis ad Pontificem datis, auſus ſit dicere, *ſe velle imperare non imperari*: cuius vt impiæ vocis meritas breui poſt pœnas perſoluit. Nam apparuit ei in ſomnis ſpecies terribilis hominis codicem manu tenentis, qui illo aperto, & nomine ipſius inuento, ei dixit: *Ecce propter peruerſitatem fidei tuæ annos de vita tua quatuordecim deleo*, ſimulque eos expunſit. Excuſſo autem ſomno confuſus *Anaſtaſius* ſomnium illud *Amantio* cubiculi præfecto narrauit, qui ſe quoque alterum vidiſſe eodem pertinens addidit, nempè ſe coram illo adſtantem à porco dilaniari, quæ ſomnia *Proculus* coniector adhibitus ita interpretatus eſt, vt mortem vtrique impendere reſponderit. *Anaſtaſius* verò cùm ab Oraculo didiciſſet, ſibi igne pereundum eſſe, vt ſortis neceſſitatem eluderet, ciſternam in palatio fabrefecit, quò in ipſo, ſi contingeret incendij periculo ſe reciperet. Verùm ea res fruſtra fuit; nam 6. idus Iulij ſubortâ ſæuâ cœli tempeſtate, repentè fulmine ictus interijt, cùm vixiſſet annos 27. menſes 3. *Zonar. Cedr.* Succedit *Iuſtinus*, natione Thrax, appellatus Auguſtus à Prætorianis militibus, quibus pręfectus erat.

ANNO CHR. 523.

ZELIOBES Rex Hunnorum, cum exercitu viginti millium, ad *Cabadem* Regem Perſarum venit, offerenſque auxilia contrà Imperatorem Romanum, ſed à Cabade vnâ cum exerci-

tu trucidatur, quòd ſuſpectus eſſet de proditione, cùm tam à Perſis, quàm à Romanis munera accepiſſet. *Sigeb.*

Huic *Cabadi*, propter legem, quâ vxores iuſſerat eſſe communes, regnum ademptum, ipſeque vinctus in carcerem, qui λήθη i. e. *Obliuio* dicitur, coniectus, atque eius loco, *Baldus* frater Rex creatus fuerat. Cùm autem eius coniux aditum ad eum peteret, tandem cuſtos carceris eâ conditione promiſit ſe aditum conceſſurum eſſe, ſi ſecum concuberet. Illa marito hæc ſignificat, qui ſpe liberationis iubet vxorem voluntati cuſtodis parere. Quòd cùm faceret, mulier poſteà familiariter intromiſſa, virum tandem liberauit, indutum muliebri veſte: qui cùm euaſiſſet, adiutus ab amicis regnum recuperauit, & fratrem, qui biennio regnauerat, interfecit.

ANNO CHR. 526.

CROTHILDIS Regum Francorum mater, memor parentes ſuos à *Gundobado* patruo Burgundiorũ Rege interemptos, *Clodomirum*, & reliquos filios alloquuta rogauit, vt domeſticam iniuriam vindicantes *Sigiſmundum*, & *Godomarum* Gundobadi iam mortui filios armis inuaderent, quòd illi pietati maternæ obſequuti, ſummo animi ſtudio ſuſceperunt, atque exercitu ad eos adducto exercitum eorum fuderunt; ex Regibus *Godomarus* eſt elapſus. *Sigiſmundus*, cùm ad ſaltus Agaunos fugâ raperetur, vnâ cum vxore, & filijs captus, Aurelijs in cuſtodiam datus eſt. Francis indè domum abeuntibus, *Godomarus* receptis viribus, & recollectis Burgundionibus regnum recuperauit, contrà quem *Clodomirus* ire contendens, *Sigiſmundum* necari cum vxore, & filijs iuſſit, corporaque eorum in puteum iecit, atque *Theodorico* fratre ad opem ferendam accito, Burgundiam petijt, & coniunctis copijs, in agro Vienneſi acie cum Godomaro decertauit. Verùm fugientem inſequens, incautus in medios hoſtes delapſus, occiditur: cuius caput cùm Burgundiones conto præfixum ſuſtuliſſent, eius rei ferre dolorem Franci non potuerunt, atque irâ elati facto impetu in fugam *Godomarum* coniecerunt, & pulſis Burgundionibus, regionem ſui iuris fecerunt, quæ poſteà à Godomaro eſt recepta. *Sigon.*

AN-

ANNO CHR. 527.

HERMINFRIDVS Rex Herulorum, qui *Balderican*, & *Bertharium* eius fratres, iam ante vitâ expulit, vt ſupra innuimus, à *Theodorico* Francorum Rege bello petitus, vincitur, & occiditur, totamque Thuringiam *Theodoricus* ſibi vindicauit: prælium factum ad Vnſtrutum fluuium, qui cadaueribus adeò repletus fuit, vt Francis tranſitum per cadauera daret. *Theodoricus* autem auxiliaribus Saxonibus dedit partem Thuringiæ verſus ſeptentrionem, ad Hercyniam ſyluam, ad Vnſtrutum, & Helmam fluuios, vbi hodie eius rei veſtigia ſunt *Saxaburgum* & alia loca. *Greg. Turon. Sigeb.*

ANNO CHR. 531.

REGES Franciæ fratres & patrueles tandem mouent in Hiſpaniâ contrà *Almaricum* affinem, qui nullo apparatu militum inſtructus fugere conatur, ſed quòd pretioſiſſima quæque oblitus eſſet, reuertitur in aulam, indè ab exercitu Francorum concluditur, & ipſe fugiens ad templum occiditur, cùm vltra annos quinque regnaſſet. *Iſidor.*

ANNO CHR. 534.

AMALASVENTA Athalarici Regis Gothorum in Italiâ mater, videns ſe in odio eſſe apud Gothos, poſt filij obitum, regnum ad *Theodabatum* tranſtulit, cùm nemo præter eum ex Theodorici genere ſupereſſet, literaſque ad Senatũ Romanum miſit, in quibus regnum ad *Theodabatum* tranſtuliſſe ſignificauit, virum non tam generis ſplendore fulgentem, quàm virtutis, & doctrinæ laude præſtantem. *Theodabatus* verò, veteribus ſimultatibus animo repetitis, omne ſuum ſtudium ad vlciſcendam ipſam, cui omnia debebat, *Amalaſuentam* conuertit. Itaque propinquos inimicorum eius reduxiſſe ab exilio non contentus, neceſſarios etiam morte affecit, atque ipſam demùm per cauſam conſeruandæ inter Gothos concordiæ in lacum Vulſinienſis inſulam relegauit, ibique firmo cuſtodiri præſidio iuſſit, cùm non-

dum legati ad *Iuſtinianum* miſſi in Græciam perueniſſent; veritus autem, ne eam rem *Iuſtinianus* iniquo animo ferret, *Liberium*, & *Opilionem* Senatores ſummiſit, qui ſe nihil durius eam conſuluiſſe, licet grauiſſimè prouocatum, docerent, atque *Amalaſuentam* in eandem, quam ipſe ſententiam ſcribere, compulit. *Petro* legato proficiſcenti *Iuſtinianus* mandauerat, vt palam cum Amalaſuentâ de cauſâ Lilybei tractaret; ſecreto autem de ratione Italiæ prodendæ cum ipſâ, & *Theodahato* conficeret. Petrus autem cùm in Græciam acceſſiſſet, obuius oratoribus *Amalaſuentæ* factus de *Theodahati* prouectione, indè, cùm Appolloniam perueniſſet, legatis Theodahati de Amalaſuentæ religione cognouit, quibus rebus *Iuſtiniano* nunciatis, ibi donec noua mandata acciperet, ſibi ſubſiſtendum putauit. *Iuſtinianus*, his acceptis, Petro mandauit, vt Amalaſuentam ad fugam in Græciam capeſſendam impelleret; Theodahato verò, & Gothis vt iuſtam ſuam aduerſus eos iracundiam aperiret. Ex legatis Theodahati vnus Liberius ſincerè, ac verè omnia, vt acta erant in Amalaſuentam, expoſuit; alter verò Opilio Theodahatum crimine fruſtra niſus eſt liberare. Interim Gothi Amalaſuentæ inimici Theodahato perſuaſerunt, præſens vitæ eius periculum imminere, niſi Amalaſuentæ vitam eripuiſſet, itaque permiſſu eius, ad inſulam in quâ erat, venerunt, atque eam nece ſtrauerunt: quæ res maximum Italis, Gothiſque mærorem intulit, erat enim fœmina, omnibus virtutibus ad alliciendos, & retinendos hominum animos ad miraculum exornata. Petrus in Italiam profectus, cùm Amalaſuentæ necem audiſſet, Theodahato, & Gothis apertè denunciauit, Iuſtinianum nullam fœderis cum eo icti rationem inpoſterum habiturum, & necem Amalaſuentæ armis proſequuturum. *Theodahatus* autem tantâ væcordiâ fuit, vt cùm interfectores eius in honore haberet, tamen id eos iniuſſu ſuo feciſſe contenderet. Quibus de rebus omnibus *Iuſtinianus* vbi certior fuit factus, bellum aduerſus eum parauit, quo deindè Gothorum in Italiâ imperium concidit; atque ipſa Italia omnis atrociſſimarum calamitatum exempla perſenſit. *Sigon.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 536.

THEODAHATVS Gothorum in Italiâ Rex, cùm nuncios accepiſſet à Neapolitanis, vt ipſis primo quoque tempore ſubueniret (erant enim à Belliſario obſeſſi) ille ſiue propter inſitam ingenij tarditatem, ſiue propter victoriæ deſperationem, quam ex aduerſis rerum futurarum ſignis, conceperat, omiſit. His rebus cognitis, Gothi qui circa Romam erant, mirati primùm, quod *Theodahatus* adeò ignauiâ obtorpuiſſet, vt nullo modo tantis Neapolitanorum malis occurreret; deindè ſuſpicati ne is Italiam *Belliſario* prodere cogitaret, conſilio capto, in locum non longè à Circeijs ſe contulerunt, ibique conuocati, omnibus probris in Theodahatum congeſtis, *Vitigem* Regem ſibi depopoſcerunt, virum non ſummo loco natum,ſed rebus militiæ bene geſtis ſpectatum; quâ re auditâ *Theodahatus* animatus repente Româ Rauennam ſe contulit. *Vitiges* autem extemplo Optarum Gothum priuatâ Theodahato ſimultate infenſum cum paratâ ſatellitum manu immiſit, qui illum aut viuum ad ſe adduceret, aut morte afficeret. Is profectus; atque illum in itinere in ſolo reſupinatum adeptus, tanquam victimam interfecit, cùm regnaſſet tribus annis. *Vitiges* autem regnauit annis quatuor. *Sigon. Procop.*

MVNDVS Dux militiæ in Dalmatiâ ſub *Iuſtiniano* Imperatore vnâ cum *Mauritio* eius filio contra Gothorum Duces prælio ambiguo decertauit, in quo *Mauritius* cecidit. Pater *Mundus* cladem vlturus, dum fugientes hoſtes, cupidius inſequitur, etiam ipſe trucidatur. *Procop.*

ANNO CHR. 540.

SALOMON præfectus Africæ deſertus à militibus interficitur ab hoſtibus Mauris, cui ſuccedit iuſſu Iuſtiniani *Sergius* patruelis. *Procop.*

AN-

ANNO CHR. 541.

ILDOBALDVS à Gothis Regi *Vitigi* ſuffectus fuit, ſed anno primo regni, inimicitiæ inter ipſum, & *Vraiam* ex ſorore Vitigis genitum, ortæ ſunt. Vxor Vraiæ balneum ingreſſa, vxorem Ildobaldi non tanquam Reginam coluerat, quòd ſe ipſa minus culta, & ornata erat; itaque *Ildobaldus* ab vxore ſollicitatus, Vraiam de maieſtate coarguit, ac comprehendi iuſſum, vltione ſupplicio affecit, atque ex eâ re in odium Gothorum incurrit, indignantium, quòd *Vraias* nimis leui de causâ eſſet extinctus. Acceſſit indè, quòd *Ildobaldus* Vraiæ vxorem Gotho cuidam coniugio copulauit, ac *Beſſam* grauiter offendit; itaque *Beſſas*, quod mulierem deperiret, in ſui factum contumeliam ratus, iracundiâ, ac dolore eò proceſſit, vt gratum ſe facturum Gothis exiſtimans, *Ildobaldum* inter epulas adortus necauit. *Sigon.*

ANNO CHR. 542.

ALARICVS in Gothorum regno *Ildobaldo* ſucceſſit, ſed eodem anno à Gothis per dolum extinctus, regnum ad *Totilam* Ildobaldi nepotem translatum eſt. *Sigon. Zonar. Eutrop.*

ANNO CHR. 547.

CVNIMVNDVS Gepidarum Rex, inito prælio cum *Alboino* Longobardorum Rege, in quo ex vtrâque parte ceciderunt ad ſexaginta millia, etiam ipſe occiſus fuit, ex cuius caluariâ ſibi poculum fieri fecit *Alboin*, filiamque eius *Roſimundam* duxit vxorem; Hunni verò Gepidarum ſedem occuparunt. *Sigebert.*

ANNO CHR. 548.

THEVDIVS Rex Gothorum in Hiſpaniâ, quamuis hæreticus, pacem tamen conceſſit Eccleſiæ Dei. Iſte Francorum Reges quinque Cæſarauguſtam obſidentes, omnemque ferè Tarraconenſem Prouinciam bello depopulantes, miſſo du-

ce Theodiſclo fortiter debellauit, atque à regno ſuo non pace, ſed armis exire coegit. Vulneratur autem à quodam in palatio, qui iamdiu dementis ſpeciem, vt Regem deciperet, ſimulauerat. Finxit enim arte inſaniam, & quaſi furore repletus perfodit principem, quo vulnere proſtratus occubuit, & vi gladij indignantem animam exhalauit. Fertur autem inter effuſionem ſanguinis coniuraſſe homines ſuos, ne quis interficeret percuſſorem ſuum, dicens recepiſſe ſe dignam viciſſitudinem, quòd & ipſe priuatim ducem ſuum ſollicitatum occiderat. Succedit ipſi *Theodiſclus* anno vno, & paucis menſibus. Hic pari coniuratorum manu inter epulas cœnæ, gladio confoſſus, extinguitur. *Iſid. Vaſæus.*

ANNO CHR. 549.

CORON præfectus Romæ à ſuis præſidiarijs militibus obtruncatus fuit, huiuſque facti veniam habere voluerunt, aut ad *Totilam* ſe defecturos, minati ſunt. Imperator ipſis immunitatem conceſſit. *Procop.*

ANNO CHR. 552.

THEODEBERTVS Francorum Rex, dum Vrum conficere conatur, latitat poſt arborem. Vrus contrà ipſum Regem interfecturus, tanto impetu in arborem fertur, vt ramus ingens defringeretur, vt eo ipſo die moreretur, poſtquam annos 22. regnaſſet. Succedit ipſi filius *Theodobaldus* adhuc ferè puer, qui regnat annis ſeptem. *Agath.*

ANNO CHR. 553.

TOTILA Gothorum in Italiâ Rex, conſcripto vndique exercitu totam Italiam inuadit, & Romam recuperauit. Capitolium incendit, præcipua ædificia diruit, & mœnium tertiam partem euertit: incolis etiam aliò translatis vrbem deformatam ac vacuam reliquit. Cùm autem *Iuſtinianus* intellexiſſet Gothos rurſus ſuperiores eſſe in Italiâ, *Beliſarium* ſecundo in Italiam miſit, qui Romam recepit, ciues hinc indè diſperſos reuoca-

ca-

cauit, & mœnia diſtructa reparare, & reſarcire cœpit. *Totila* triennio poſt rurſus Romam cepit, eamque aliquâ ex parte reſtaurauit, & quantum antea ſtudij in eâ deſolandâ, tantum nunc in eâ reparandâ adhibuit, & oſtendit, vt inſaniam quam ſuperior deſolatio ipſi pepererat, nouo beneficio mansuetudine, atque clementiâ aboleret. Quotquot etiam ad ſacras ædes confugerant, inuiolatos eſſe iuſſit. In illâ expeditione autem Romanorum nonnulli elapſi, Conſtantinopolim properant, & Romam iterum à *Totila* captam *Iuſtiniano* exponunt, qui ſtatim *Narſeten* eunuchum ſuum, & egregium bellatorem cum manu validâ miſit, vt afflictis ſubueniret. Is ingreſſus Italiam magno cum Gothis prælio conflixit: quibus ad internecionem penè conſumptis, *Totila* lethali vulnere affectus, ſtadijs octoginta quatuor confectis, cùm ad Capras veniſſet, menſe Auguſto ex vulnere moritur, anno tyrannidis decimo: quemadmodum Sanctiſſimus *Benedictus* Abbas prædixerat. Hic *Totilæ* exitus fuit, qui vt repente à fortunâ elatus fuerat, ſic inopinato quoque ab eâ ictu depreſſus eſt. *Sigon. Procop. Antonius Franciſcus Rainerius* ſub Totilæ effigie hęc poſuit carmina:

Hæc Totilæ effigies, quo iuncta leguntur in vno
Et decor, & robur, & pudor, & pietas.
Miſcetur decori robur, pudor emicat armis
Quàm forti apparet pectore, tam pius eſt.
Vrbem terrarum dominam capit, attamen vrbis
Seruat captiua templa, Deoſque colit.
Semiuir aſt illum valido domat agmine Narſes.
Infractum bellis omnibus ante virum.
Flebilior ſors nulla fuit, nam contigit illi
(Heu) prope fœminea procubuiſſe manu.

ANNO CHR. 554.

TEIAS vltimus Gothorum Rex in Italiâ, à Gothis qui è *Totilæ* prælio euaſerunt, Pado traiecto, cum ijs, qui in Piceno erant, Rex declaratus. Hic ipſo anno, quo *Totilas* victus, cũ *Narſete* ſtrenuè, ac fortiter dimicauit, & victus atque fugiens occi-

ditur, cuius caput nonnulli ſtatim præcidunt, atque haſtæ præfixum exercitibus vtriſque oſtendunt, vt Romanis animum adderent, Gothis autem timorem inferrent, qui tamen ne hac quidem iacturâ territi vſque ad noctem pugnarunt: prælio dirempto, vtrique in reparandâ in diem pugnâ eam noctem egêre, vbi illuxit, in certamen eodem modo reuerſi vſque ad veſperam dimicarunt, nec tamen alteri eorum ceſſerunt, licet magna vtrinque clades eſſet accepta, ſed crudeliùs efferati inſtiterunt, Gothis optimè ſcientibus, vltimum id eſſe cum Romanis certamen, Romanis fœdum exiſtimantibus, ſi non partâ victoriâ diſceſſiſſent. Demùm Gothi ſe victos confeſſi, primores ad *Narſetem* miſerunt, affirmantes ſe non dubitare, ſibi cum Deo certamen eſſe, atque impoſterum inter ſe malle, quàm cum Romanis, confligere, hiſque conditionibus pacem petere, vt liberis cum cæteris Gothis viuerent, & liberè ſuas terras tegerent, tributaque Romanorum Imperatori dependerent. Finitum itaque eſt bellum Gothicum, quod octodecim annos durauerat, & Gothorum in Italiâ imperium concidit, quod à principio *Odoacris* durauerat annis 77. à regno *Theodorici Veronenſis* vſque ad mortem *Teiæ* annos ferè 68. *Iuſtinianus* debellatis Gothis, Italiam tanquam occidentalis imperij prouinciam *Narſeti* ordinandam, ac gubernandam permiſit, qui tamquam *Proconſul* ſexdecim annos Italiam rexit. Deindè *Longobardi*, & *Exarchi* lacerauerunt eam, donec *Caroli Magni* virtute & felicitate Italiæ pax vtcunque reſtituta eſt *Sigon.*

GVBAZES Rex Laziorum, ab exercitu Iuſtiniani indictâ causâ interficitur, ideò Perſæ in Laziorum terram irrumpunt contrâ *Iuſtiniani* exercitum. Perſarum tantùm tria millia erant, & Romanorum exercitus quinquaginta millium, & tamen Romani turpiter vincuntur. Quapropter *Iuſtinianus* contra Duces ſuos, qui *Gubazen* trucidarant, capitis damnat. *Agath.*

ANNO CHR. 555.

AGILA, extincto *Theodiſclo*, Gothorum Rex creatur, regnans annis quinque. Cuius tertio anno *Athanagildus* tyrannidem regnandi cupiditate arripuit. Gothi autem apud Emeritam, fide ſacramenti oblitâ, *Agilam* interimunt, & *Athanagildo* ſe tradunt. *Iſid.*

ANNO CHR. 556.

PERSÆ in Laziorum finibus Phaſida vrbem obſident, quam Romani duces ſtrenuè defendunt, & Perſarum ad duodecim millia occidunt, & ita obſidio ſoluta eſt, cùm vix ducenti Romanorum cecidiſſent. Perſarum dux collectis reliquijs in Iberiam concedit, vbi hybernat. *Coſrhoes* verò pertæſus belli Ducem ſuum, qui ad Phaſida vrbem malè rem geſſerat, viuum excoriari iuſſit, & cum Iuſtiniano pacem fecit hac conditione, vt vterque, quod occupaſſet, haberet. *Agath.*

ANNO CHR. 557.

SINDVALDVS Brebtorum Rex, qui adhuc de Herulorum ſtirpe remanſerat, quem ſecum in Italiam veniens, ſimul *Odoacer* adduxerat, certamen cum Narſete habuit. Huic Narſes fideliter ſibi primùm adhærenti, multa beneficia contulit, ſed nouiſſimè ſuperbè rebellantem, & regnare cupientem, bello ſuperatum & captum celſa de trabe ſuſpendit. Eo quoque tempore Narſes patricius, per Dagiſteum magiſtrum militum, virum bellicoſum, & fortem, vniuerſos Italiæ fines obtinuit. Hic *Narſes* prius quidem chartularius fuit, deindè propter virtutum merita patriciatus honorem promeruit. Erat autem vir pijſſimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Baſilicis ſatis ſtudioſus, vigilijs, & orationibus in tantum ſtudens, vt plus ſupplicationibus ad Deum profuſis, quàm armis bellicis victoriam obtineret. *Iſid. Sigon.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 563.

CONOBALDVS Aquitaniæ Rex, ad ſocietatem belli aſcitus à *Chramno*, qui patri *Clothario* bellum inferebat, vincitur, & cùm vlterius effugere non poſſet, in Sacellum D. Martini ſe recepit, ex quo, cùm pollicitationibus educi non poſſet, vnâ cum Sacello viuus crematus eſt. *Clotharius* tamen id Templum magnificentius reſtituit. *Marc.*

ANNO CHR. 564.

CLOTHARIVS Rex Franciæ, filium ſuum *Chramnum* in Britanniam vſque perſequitur; ibi cùm *Chonobrus* Britonum Dux *Chramnum* bello contra patrem defenderet, prælio inito *Chonobrum* vincit, & in prælio trucidat. *Chramnus* verò mari fugere conatus, dum vxorem & filias properare iubet, capitur, & cum vxore, & filiabus in tuguriolo concluſus viuus crematur. *Gregor.* Sequenti anno *Clotharius* omnium ſuorum fratrum hæres factus, moritur anno regni quinquageſimo primo. Succedunt ipſi filij quatuor, qui iterum regnum in partes quatuor diuidunt: *Charibertus*, qui natu maximus, Pariſijs regnat annis nouem; *Chilpericus*, qui regnat Sueſſione: *Guntramnus*, qui regnat annis 3 . moritur abſque liberis: *Sigebertus*, qui & *Aribertus*, regnat annis 15. Eius coniux fuit *Brunechildis* Regis Athanagildis Viſigothorum in Hiſpaniâ, filia.

ANNO CHR. 567.

IVSTINVS prudentiâ militari celebris, cognatus *Iuſtini* Imperatoris, ſuſpectus apud ipſum, quaſi imperium affectaſſet, blandè reuocatur, & vinculis conſtrictus Alexandriam mittitur, vbi conſilio Auguſtæ occiditur cum alijs de hac re ſuſpectis. *Euag.*

ANNO CHR. 574.

ALBOIN Longobardorum Rex, ſtaturâ procerus, & ad bella peragenda coaptatus. Hic victo & occiſo *Cunimun-*

S 2 *do*

do Gepidarum Rege, ex eius cranio auro ſuperinducto, poculum fecit, filiamque eius *Roſimundam* duxit vxorem. Cùm in conuiuio, vltra quàm oportuerat apud Veronam lætus reſideret, cum poculo, quod de capite Cunimundi Regis ſui ſoceri fecerat, Reginæ ad bibendum vinum dari præcepit, atque eam vt cum patre ſuo lætanter biberet,inuitauit: *Roſimunda* vbi rem animaduertit, altum concipiens in corde dolorem, quem compeſcere non valens, mox in mariti necem, patris funus vindicatura, exarſit. Conſiliumque mox cum *Helmichis*, qui Regis Schilpor, hoc eſt armiger, & collactaneus erat, vt Regem interficeret, inijt. Qui Reginæ perſuaſit, vt ipſa *Peredeo*, qui erat vir fortiſſimus, in hoc conſilium adſciret. *Peredeo* cùm Reginæ ſuadenti tanti nefas conſenſum adhibere nollet, illa ſe noctu in lectulo ſuæ Veſtiariæ, cum quâ *Peredeo* ſtupri conſuetudinem habebat, ſuppoſuit, vbi *Peredeo* rem neſcius veniens cum Reginâ concubuit. Cùmque illa patrato iam ſcelere, ab eo quæreret, quam ſe eſſe exiſtimaret, & ipſe nomen ſuæ amicæ, quam eſſe putabat nominaſſet, Regina ſubiunxit: *Nequaqum vt putas, ſed ego Roſimunda ſum*, inquit. *Certè nunc talem rem Peredeo perpetratam habes, vt aut tu Alboin interficias, aut ipſe te ſuo gladio extinguat*. Tunc ille intellexit malum quod fecit, & qui ſponte noluerat, tali modo in Regis necem coactus aſſenſit. Tunc *Roſimunda*, dum ſe *Alboin* meridie ſopori dediſſet, magnum in palatio ſilentium fieri præcipiens, omnia alia arma ſubtrahens, ſpatham illius ad lectuli caput, ne tolli, aut euaginari poſſet, fortiter colligauit,& iuxta Helmichis conſilium Peredeo interfectorem, omni beſtiâ crudelior introduxit, *Alboin* ſubitò de ſopore expergefactus, malum quod imminebat intelligens, manum citius ad ſpatham porrexit, quam ſtrictius religatam extrahere non valens, apprehenſo tamen ſcabello ſuppedaneo, ſe cum eo per aliquod ſpatium defendit. Sed vir bellicoſiſſimus, & ſummæ audaciæ, nihil contra hoſtem præualens, quaſi vnus de inermibus interfectus eſt, vniuſque mulierculæ conſilio perijt, qui per tot hoſtium ſtrages bello famoſiſſimus extitit. Cuius corpus cum maximo Longobardorum fletu & lamentis, ſub cuiuſdam

dam ſcalæ adſcenſu, quæ palatio erat contigua, ſepultum eſt. Hoc parricidio vulgato, ipſa cum adultero ad pœnam à Longobardis quæſita, aſſumptis theſauris, alijsq. rebus pretioſiſſimis ad *Longinum* Exarchum Rauennæ fugit, vbi ſuaſu *Longini* etiam adultero ſuo ex balneis exeunti venenum bibendum porrexit, cuius partem cùm hauſiſſet, & ſenſiſſet, quidquid reliquum erat *Roſimundam* bibere coegit, atque vterque eodem veneno perijt. *Iſid.Diac.*

ANNO CHR. 575.

CLEPVS quidam vir nobiliſſimus, extincto *Alboin*, à Longobardis apud Italiam, in vrbe Ticinenſium, Longobardorum Rex ſtatuitur. Hic multos Romanorum viros potentes, alios gladio extinxit, alios ab Italiâ exturbauit. Tandem cùm annum vnum & ſex menſes, cum *Maſſana* ſuâ coniuge, regnum obtinuiſſet, à puero de ſuo obſequio gladio iugulatus eſt. Factum ſeptem annis poſt aduentum Longobardorum in Italiam. Longobardi comitijs habitis triginta Duces pari imperio creant: quæ Ariſtocratia durauit decennium, ſed Duces hi cùm intemperantiùs ſe gererent, in odium venerunt. *Iſid.Diac.*

ANNO CHR. 579.

SIGEBERTVS Francorum Rex, obtentis ciuitatibus illis, quæ citra Pariſios ſunt poſitæ, vſque Rothomagenſem vrbem acceſſit, volens eaſdem vrbes hoſtibus cedere. Quòd ne faceret à ſuis prohibitus eſt, regreſſus inde, Pariſios eſt ingreſſus: ibique ad eum *Brunichildis* cum filijs venit. Tunc Franci, qui quondam ad Childebertum aſpexerant ſeniorem, ad Sigebertum legationem mittunt, vt ad eos veniens, derelicto Chilperico, ſuper ſe ipſum Regem ſtabilirent. Ille verò hæc audiens, miſit qui fratrem ſuum in ſupra memoratâ ciuitate obſiderent, ipſe illuc properare deliberans. Igitur *Sigebertus* fratri ſuo *Chilperico* pugnâ congreditur, ibique *Theodebertus* filius Chilperici perimitur. Veniente autem Sigeberto ad villam, cui nomen eſt *Victoriacum*, collectus eſt ad eum omnis exercitus, & ſuperim-

rim-

rimpoſito clypeo ſibi Regem ſtatuunt. Tunc duo pueri cum cultris validis, quos vulgò Scramaſaxos vocant, infecti veneno, maleficiati à *Fredegunde* Reginâ Chilperici vxore, cùm aliam cauſam ſe gerere ſimularent, vtraque ei latera feriunt. At ille vociferans, atque corruens, non poſt multo ſpatio emiſit ſpiritum: ibique & *Charegiſilus* cubicularius eius corruit: ibi & *Sygila*, qui quondam ex Gothiâ venerat, multum laceratus eſt; & poſteà à *Chilperico* Rege comprehenſus, incenſis cum cauterijs candentibus omnibus iuncturis, ac membratim ſeparatus, crudeliter vitam finiuit. Fuit autem *Charegiſilus* ille tam leuis opere, quàm grauis cupiditate: de minimis conſurgens, magnus per adulationes cum Rege effectus eſt: competitor rerum alienarum, teſtamentorumque effractor: cui talis fuit vitæ exitus, vt non mereretur voluntatem propriam morte imminente complere, qui aliorum voluntates ſæpè deſtruxerat. Obijt *Sigebertus* quartodecimo regni ſui anno. *Brunechildis* Regina, interempto *Sigeberto*, cum filijs Childeberti regnum gubernans, propter inſolentiam morum, adeò intolerabilis erat Francis, vt meritò videretur Sybillam de ea vaticinatam eſſe. *Veniet* (ait) *Bruma de partibus Hiſpaniæ, ante cuius conſpectum gentes, vel gentium Reges peribunt, ipſa verò calcibus equorum dirupta, peribit.* Quæ quamuis ita eſſet inſolens, Dei Eccleſias honorabat. *Sigeb. Gregor. Tur.*

ANNO CHR. 580.

MACLIAVVS, & *Bodiccus* Britannorum Comites, ſacramentum inter ſe dederant, vt qui ex eis ſuperuiueret, filios partis alterius tanquam proprios defenſaret. Mortuus autem *Bodiccus* reliquit filium *Theodoricum* nomine. Quo *Macliauus* oblitus ſacramenti, expulſo à patriâ, regnum patris eius accepit. Hic verò multo tempore profugus vagusque fuit, qui tandem miſerante Deo, collectis ſecum à Britanniâ viris, ſe ſuper *Macliauum* obiecit, eumque cum filio eius *Iacob* gladio interemit, partemque regni, quam quondam pater eius tenuerat in ſuâ poteſtate reſtituit: partem verò aliam *Vuarochus* Maclia-

cliaui filius vindicauit. *Gregor. Tur.*

ANNO CHR. 581.

MEROVEVS Chilperici Regis Francorum filius, cum exercitu Pictauos â patre dirigitur; at ille relictâ ordinatione patris; Turonos venit, ibique & dies ſanctos Paſchæ tenuit: multum enim regionem illam exercitus eius vaſtauit. Ipſe verò ſimulans ad matrem ſuam ire velle, Rothomagum petijt, & ibi *Brunechildi* Reginæ coniungitur, eamque ſibi in matrimonio ſociauit. Hæc audiens *Chilpericus*, quòd ſcilicet contrà fas, legemque canonicam vxorem patrui accepiſſet, valdè amarus, dicto citius ad ſupra memoratum oppidum dirigit. At illi cùm hæc cognouiſſent, quòd eoſdem ſeparare decerneret, ad Baſilicam S. Martini, quæ ſuper muros ciuitatis ligneis tabulis fabricata eſt, confugium faciunt. Rex vero adueniens, cùm in multis ingenijs eos exindè auferre niteretur, & illi doloſè eum putantes facere non crederent, iurauit eis dicens: *Si* inquit, *voluntas Dei foret, ipſe hos ſeparare non conaretur*. Hæc illi ſacramenta accipientes, de Baſilicâ egreſſi ſunt, exoſculatiſque, & dignanter acceptis epulauit cum eis. Non multò poſt, cùm in cuſtodiâ à patre retineretur, tonſuratus eſt, mutatâque veſte quâ clericis vti mos eſt, presbyter ordinatur, & ad Monaſterium Cœnomannicum, quod vocatur *Aninſula*, dirigitur, vt ibi ſacerdotali erudiretur regulâ. Sed indè effugiens patri bellum fecit. Verùm cùm *Meroueus* in Remenſi campaniâ latitaret, nec palam ſe Auſtraſijs crederet, à Tarabannenſibus circumuentus eſt, dicentibus, quòd relicto patre eius *Chilperico*, ei ſe ſubiugarent, ſi ad eos accederet. Qui velociter adſumptis ſecum viris fortiſſimis, ad eos venit. Hi præparatos detegentes dolos, in villam eum quandam concludunt, & circumſeptum cum armatis, nuncios patri dirigunt. Quòd ille audiens, illuc properare deſtinat. Sed hic cum in hoſpitali quodam retineretur, timens ne ad vindictam inimicorum multas lueret pœnas, vocato ad ſe Gaileno familiari ſuo, ait, *Vna nobis vſque nunc, & anima, & conſilium fuit: rogo ne patiaris me manibus ini-*

mi-

Digitized by Google

micorum tradi: ſed accepto gladio irruas in me: quòd ille nec dubitans, eum cultro confodit. Adueniente autem Rege, mortuus eſt repertus. Extiterunt tunc qui aſſererent verba *Merouei*, quæ ſuperius diximus, à Reginâ fuiſſe confictа. *Meroueum* verò eius fuiſſe iuſſu clam interemptum. *Gailenum* verò apprehenſum, abſciſſis manibus, & pedibus, auribus, & narium ſummitatibus, & alijs multis cruciatibus affectum infeliciter necarunt. *Grindionem* quoque intextum rotę in ſublime ſuſtulerunt: *Guicilionem*, qui quondam comes palatij *Sigeberti* Regis fuerat, abſciſſo capite interfecerunt. Sed alios multos, qui cum eodem venerant, crudeli nece, diuerſis mortibus affecere. *Greg. Turon.*

DACCO Dagarici quondam filius, relicto Rege *Chilperico*, cùm huc illucque vagaretur, à *Draccoleno* duce, qui dicebatur *Induſtrius* fraudolenter apprehenſus eſt: quem vinctum ad *Chilpericum* Regem, Bramacum deduxit, dato ei ſacramento, quòd vitam illius cum Rege obtineret. Sed oblitus ſacramenti, egit cum principe, nefarias res aſſerens vt moreretur. Ille quoque cùm vinctus detineretur, & cerneret ſe penitus non euaſurum, à presbytero Rege neſciente pœnitentiam petijt. Quâ acceptâ interfectus eſt. Cùm autem idem *Draccolenus* velociter reuerteretur in patriam, his diebus *Guntheramnus* Boſo filias ſuas à Pictauo auferre conabatur. Quòd audiens *Draccolenus*, ſe ſuper eum obiecit. Sed illi ſicut erant parati reſiſtentes, ſe defenſare nitebantur. *Guntheramnus* verò miſit vnum de amicis ſuis ad eum dicens: *Vade, & dic ei, ſcis enim quod fœdus inter nos initum habemus: rogo vt te de meis remouens inſidijs. Quantum vis de rebus tollere, non prohibeo: tantùm mihi, & ſi nudo liceat cum filiabus meis accedere, quo voluero*. At ille vt erat vanus ac leuis; *Ecce* inquit *funiculum in quo alij culpabiles ligati, ad Regem me ducente directi ſunt, in quo, & hic hodie ligandus illuc deducitur vinctus*. Et hæc cùm dixiſſet, calcaneorum ictibus vrgens equum, ad illum veloci curſu dirigit: & craſſo eum verberans ictu, haſtili diuiſo enſis ad terram ruit. *Guntheramnus* verò cùm ſuper ſe mortem cerneret imminere, inuocato nomine Domini, & virtute magnâ B. Martini, eleuatoque conto,

Drac-

Digitized by Google

Draccolenum arctat in faucibus: ſuſpenſumque de equo ſurſum, vnus de amicis ſuis cum lanceâ latere verberatum finiuit: fugatiſque ſocijs, ipſoque ſpoliato, *Guntheramnus* cum filiabus liber abſceſſit. Poſt hæc *Seuerus* ſocer eius à filijs apud Regem grauiter accuſatur. Hæc ille audiens, cum magnis muneribus ad Regem petit, qui in viâ apprehenſus & ſpoliatus, atque in exilium deductus morte peſſimâ vitam finiuit. Sed & dum filij eius *Burſolenus*, & *Dodo* ob crimen Maieſtatis læſæ iudicio mortis ſuſcepto, ab exercitu vi oppreſſus eſt: alius in fugâ apprehenſus, truncatus manibus & pedibus interijt: reſque omnes tam eorum, quàm patris, Fiſco collatæ ſunt, erant enim eis magni theſauri *Gregor. Tur.*

ANNO CHR. 584.

MVMMVLVS Dux Guntheramni Regis Aureliæ, qui magnas res contrà Longobardos geſſerat, rebellionis conuictus, iuſſu *Guntheramni* interficitur, & eius theſauri ipſe, & *Childebertus* diuidunt. *Aimon.*

ANNO CHR. 588.

CHILPERICVS Francorum Rex, Nero ſui temporis, & Herodes, ad villam Calenſem, quæ diſtat ab vrbe Pariſiacâ quaſi centum ſtadijs, accedit, ibique venationes exercet. Quadam verò die regreſſus de venatione, iam ſub obſcurâ nocte, dum de equo ſuſciperetur, & vnam manum ſuper ſcapulam pueri retineret, adueniens quidam, eum cultro percutit ſub aſcellam, iteratoque ictu ventrem eius perforat. Statimque profluente copiâ ſanguinis, tam per os, quàm per aditum vulneris, iniquum fudit ſpiritum. Regiones plurimas ſæpius deuaſtauit, atque ſuccendit, de quibus nihil doloris, ſed lætitiam magis habebat, ſicut quondam *Nero* cùm inter incendia palatij tragœdias decantaret. Perſæpè homines pro facultatibus eorum iniuſtè puniuit: in cuius tempore pauci quodammodo Epiſcopatum Clerici meruerunt; erat enim gulæ deditus, cuius Deus venter fuit: nullumque ſe aſſerebat eſſe prudentiorem:

Digitized by Google

confecitque duos libros, quaſi Sedulium meditatus, quorum verſiculi debiles nullis pedibus ſubſiſtere poſſunt: in quibus dum non intelligebat, pro longis ſyllabas breues poſuit; & pro breuibus longas ſtatuebat, & alia opuſcula, vel hymnos, ſiue miſſas, quæ nullâ ratione ſuſcipi poſſunt. Cauſas pauperum exoſas habebat, ſacerdotes Domini aſſiduè blaſphemabat: nec aliundè magis dum ſecretus eſſet, exercebat ridicula, vel iocos, quàm de Eccleſiarum Epiſcopis: illum ferebat leuem, alium ſuperbum: illum abundantem, iſtum luxurioſum: illum aſſerebat elatum, hunc timidum, nullam rem plus odio habens, quàm Eccleſias; aiebat enim plerumque; *Ecce pauper remanſit fiſcus noſter, ecce diuitiæ noſtræ ad Eccleſias ſunt translatæ: Nulli penitus, niſi ſoli Epiſcopi regnant: perijt honor noſter, & translatus eſt ad Epiſcopos Ciuitatum.* Hęc agens aſſiduè, teſtamenta, quæ in Eccleſijs conſcripta erant, plerumque diſrupit, ipſaſque patris ſui præceptiones, putans quòd non remaneret, qui voluntatem eius ſeruaret, ſæpè calcauit. Iam de libidine, atque luxuriâ non poteſt reperiri in cogitatione, quòd non perpetraſſet in opere. Nouaque ſemper ad lædendum populum ingenia perquirebat, nam ſi quos eo tempore culpabiles reperiſſet, oculos eis iubebat erui, & in præceptionibus quas ad iudices pro ſuis vtilitatibus dirigebat, hæc addebat: *Si quis præcepta noſtra contempſerit, oculorum auulſione mulctetur.* Nullum vnquam purè dilexit, à nullo dilectus eſt: ideò cùm ſpiritum exhalaſſet, omnes eum reliquerunt ſui. *Gregor. Turon.*

ANNO CHR. 591.

HORMISDA Perſarum Rex ægrè ferens ſuos exercitus, eorum Duces fugatos, & occiſos eſſe à *Commentiolo Thrace*, Duci, cuius culpâ clades accepta erat, veſtem muliebrem ignominiæ cauſâ mittit, eumque in ordinem redigit. Dux verò confictis literis milites incitat in Regem effecitque vt Hormiſdæ regnum abrogent. Ipſe aſſumptis alijs Regem ſolio deturbat, ignominioſè tractat, & in carcerem conijcit, & filium eius *Coſrhoen* Regem facit, filius patrem benignè habet, ſed pater ira-

iratus filio, eum calumniatur, ideò pater tandem trucidatur. *Euagr.*

ANTHARIT vel *Autharis* Rex Longobardorum, cùm à *Childeberto* Francorum Rege quotannis ferè bello prouocaretur, mittit ad *Guntheramnum* legatos, petitque vt interceſſor eſſe velit apud patruelem *Childebertum*, vt cognati inter ſe populi Longobardi & Franci in pace viuere poſſint. Interim Rex apud Ticinum nonas Septembris veneno, vt tradunt, accepto moritur, poſtquam ſex regnauerat annos. Statimque à Longobardis legatio ad *Childebertum* Regem Francorum miſſa eſt, quæ *Antharit* Regis mortem eidem nunciaret, & pacem ab eo expeteret. Quòd ille audiens, legatos quidem ſuſcepit, pacem verò inpoſterum ſe daturum promiſit. Qui tamen præfatos legatos poſt paucos dies promiſsâ pace abſoluit. Reginam verò *Theudelindam*, quę ſatis placebat Longobardis, permiſerunt in regiâ conſiſtere dignitate, ſuadentes ei, vt ſibi quem voluiſſet ex omnibus Longobardis virum eligeret, talem ſcilicet, qui regnum regere vtiliter poſſet. Illa verò conſilium cum prudentibus habens, *Agilulfum* Ducem Taurinatium, & ſibi virum, & Longobardorum genti Regem elegit. Erat enim iſdem vir ſtrenuus & bellicoſus, & tam formâ, quàm animo ad regni gubernacula coaptatus. Quem ſtatim Regina ad ſe venire mandauit, ipſaque ei obuiam ad Laumellum oppidum properauit. Qui cùm ad eam veniſſet, ipſa ſibi poſt aliquot verba vinum propinari fecit. Quæ cùm prior bibiſſet, reſiduum *Agilulfo* ad bibendum tribuit. Is cùm Reginæ accepto poculo manum honorabiliter oſculatus eſſet, Regina cum rubore ſubridens, *non debere ſibi manum oſculari* ait, *quem oſculum ſibi ad os iungere oporteret*. Moxque eum ad ſuum baſium erigens, ei de ſuis nuptijs, deque regni dignitate aperuit. Quid plura? Celebrantur cum magnâ lætitiâ nuptiæ, ſuſcepit *Agilulfus*, qui erat cognatus Regis *Antharit* inchoante iam menſe Nouembris regiam dignitatem. Sed tamen congregatis in vnum Longobardis, poſteà menſe Maio, ab omnibus in regnum apud Mediolanum leuatus eſt. *Paul. Vuarnefrid.*

ANNO CHR. 595.

CHAGANVS Rex Auarum, Venetiarum fines inuadit, & *Giſulphum* cum exercitu trucidat, coniugemque eius *Romildam* in caſtro Foroiuliano obſidione cingit. *Romilda* videns *Chaganum* eſſe virum vegetæ ætatis, amore eius incenſa & pacta coniugium, caſtrum prodit, atque ita Foroiulianum caſtrum igne conſumptum, & incolæ in captiuitatem abducti. *Romilda* verò proditionis mercedem dignam accepit, dum palo perforatur, & in campo erigitur. *Diacon.*

ANNO CHR. 600.

CHILDEBERTVS Francorum Rex, anno regni Burgundiæ quarto, paterni verò 23. veneno, vt putabatur, extinguitur. Succedunt ipſi filii, *Theodobertus* qui Auſtriam obtinet, & *Theodoricus*, qui regnum Guntheramni accipit, regnatque annis 18. *Aimoin.*

ANNO CHR. 602.

MAVRITIVS CAPPADOX LXI. Romanorum Imperator, à puero in ſtudijs, omnibuſque exercitijs equeſtribus diligenter ſe exercuerat, in aulam aſcitus, & à *Iuſtino II.* Imperatore ſecretarius eſt conſtitutus. Poſteà propter eximias virtutes & induſtriam conſilio *Sophiæ* Auguſtæ factus eſt *Comes prætorianorum*. Deindè *Tiberius* eum præfecit exercitui miſſo contrà Perſas. Cùm autem *Mauritius* à Perſis victor Conſtantinopolim reuerſus eſſet, à *Tiberio* Auguſtus eſt appellatus. *Tiberio* verò defuncto, indutus purpurâ, redimitus diademate, ad Curiam proceſſit, & applauſu, acclamationibuſque populi, primus ex Græcorum genere in imperio confirmatus eſt. Ingreſſus *Mauritij* fuit felix & glorioſus, ſed exitus tragicus & calamitoſus, quem multa præceſſerunt prodigia, & ſomnia. Anno nempè imperij decimo nono, poſtquam varijs affeciſſet *B.Gregorium* iniurijs *Mauritius*, apparuit ei vir quidam monaſtico indutus habitu in foro Conſtantinopolitano, ſpatham manu tenens,

Digitized by Google

nens, per forum diſcurrens, Imperatorem gladio periturum, omnibus pronunciauit. Quòd *Mauritius* audiens, à tyrannide Gregorio inferendâ ſe ſe continuit: & iudicium diuinum tanto magis timuit, quanto Gregorium non credidit poſſe mentiri, qui aliquando per epiſtolas ſimilia comminatus fuerat. Compoſitaſque ſcripto preces eidem Gregorio, & ad omnes Patriarcharum ſedes, ad omnes ciuitates, & monaſteria, cum cereis & pecunijs tranſmiſit, & vt pro peccatis ſuis intercederent, ſupplicauit, hoc potiſſimum deprecans, vt hìc, & non in futuro, quæ meruit, reciperet. Cùmque hoc vehementius per multa poſtulaſſet tempora, quadam nocte dormiens, vidit apud æneam palatij portam ſe coram populo imagini Saluatoris aſſiſtere, & vocem terribilem ex eadem audire, dicentem: *Date Mauritium*: & capientes eum iudiciorum miniſtri, ſtatuerunt ante imaginem Saluatoris. Cui eadem vox: *Vbi vis reddam tibi mala quæ feciſti, hic ne, an in futuro*? At ille reſpondit: *Amator hominum Domine, & iudex iuſte, hìc mihi potius, quàm in futuro tribue*. Et iuſſit diuina vox tradi *Mauritium, & Conſtantinam* vxorem eius, & filios, omnemque cognationem, *Phocæ* militi. Euigilans ergo *Mauritius*, vocauit ad ſe generum ſuum *Philippicum*, quem dudùm de affectatione regni habebat ſuſpectum. *Philippicus* timens, vxori propterea *Gordiæ* valedicens: ſciebat enim ſe Imperatori ſuſpectum, cummunionem inſuper ſacramenti ſuſcepta, ad palatium ingreditur, & ad pedes Imperatoris prouoluitur. Cui aſſurgens Imperator, ad pedes generis corruit dicens: *Ignoſce mihi propter Deum, quia peccaui in te, nunc enim certiſſimè noui, quia nihil peccaueris in me; ſi quem verò ſcis in agminibus noſtris Phocam, dicito mihi*. Philippicus ſecum cogitans dixit: *Vnum Phocam cognoſco, qui nuper ab exercitu procurator conſtitutus, tuo contradicebat imperio; eſt autem iuuenis temerarius, attamen timidus*. Tunc Mauritius ait, *Si eſt timidus, tunc homicida eſt*: & narrauit illi ſomniũ. Porrò Imperator pœnitentiam quidem tenuit, ſed à cupiditatibus vſque adeò non receſſit, vt exercitum in periculoſis locis hyemare, & victum ab extraneis iuberet cum periculo quærere apud Sclauos, ne alimenta publica manducarent.

Quòd

Quòd cùm exercitus intelligeret, dixiſſe fertur, *Imperatori non obedire ſæuum eſt: obedire autem ſæuiſſimum*. Moxque ad ſeditionem conuertitur, Phocamque ſuper clypeum exaltatum, proclamant Exarchum;deinde fugato *Theodoſio* filio Imperatoris,& *Germano* ſocero, commoto deindè graui tumultu Conſtantinopoli, *Mauritius* mutatâ veſte cum vxore, & filijs noctu Dromonem conſcendit fugiens.

Cùm inter *Praſinos*, & *Venetos* de ſtationibus controuerſia orta eſſet. *Phocas* ſatellites quoſdam miſit, qui turbam compeſcerent; quorum vnus cùm Tribunum Venetum per contumeliam pepuliſſet,Veneti indignati clamarunt: *Abi, cognoſce ſtatum rerum, diſce ordinem: Mauritius nondum eſt mortuus*. His auditis, *Phocas* in cædem *Mauritij* incitatus, miſſis militibus Chalcedonem (quo ægrotus cum coniuge, & paruis filijs, & filiabus fugerat) eum ex fugâ retraxit. Suntque ibidem in portu Eutropij, *Phoca* ſpectante, primum filij eius necati: ex quibus cùm infans quæreretur, dixit *Mauritius* eum eſſe apud nutricem. Miſſum eſt ad illam, vt afferretur infans. Nutrix miſericordiâ mota erga Imperatoris filium,ipſum abdidit in loco,& ſuũ filiũ pro eo mactandum carnifici tradere voluit. Pater agnouit ſuũ non eſſe, nec voluit infantem alium pro ſuo interfici. Dixit igitur ad Phocam: *Iſte non eſt meus: parcas alieno innocenti ſanguini, & iubeas afferri meum*. Coacta eſt igitur nutrix adducere Imperatoris infantem, qui adductus, patre etiam intuente, eſt transfoſſus: & quidam referunt, quòd eo occiſo, lac cum cruore effluxerit, ſic vt ſpectatores omnes lamentarentur. Deindè *tres filiæ*, poſt has mater *Conſtantina*, boni Principis Tiberij filia (quamquam alij referunt, quòd *Conſtantina* prius poſt *Mauritij* mortem cum tribus filiabus ſit occiſa) Spectauerat *Mauritius* filiorum, & filiarum neces mirando ſilentio; ſed cùm videret ſuam coniugem etiam feriri, hanc edidit confeſſionem ſuorum delictorum. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*. Tandem & ipſe ſecuri ceruicem ſubiecit, & mortem ſubijt, repetito iterum illo verſiculo: *Iuſtus es &c.* Anno ætatis ſuæ 63. imperij 20. Cadauera in litora abiecta ſunt, & ex edicto *Phocæ*, multis

die-

diebus in campo iacuerunt, donec fœterent; deindè autem ab eunucho quodam in templo ſepulta ſunt. *Zonaras* refert, quod vxorMauritij *Conſtantina* poſt mortē mariti cū tribus filiabus ſit occiſa,& in æde diui Mamantis vicina mœnibus ſepulta, atque eius ſepulchro hoc Epitaphium inſcriptum ab Eunucho,ſiue cubiculario *Iuſtiniani* Pharaſmane, qui ſepulturam curauit:

Hic ſita ſum Regum (dolor heu!) miſeranda duorum
Vxor Mauritij, *filia* Tiberij.
Quæ partu monſtrante meo, fœcunda probaui
Multorum eſſe etiam poſſe bonum Imperium.
Militis huc furor, & populi leuis ira, maritum
Me, ſobolemque meam ſanguinolenta tulit.
Heu mihi, quid gemitis Nioben? Ego mortua ſpiro,
Aſpera continuis ſaxa rigo lacrymis.
Cladibus haud Hecubæ certent Iocoſtaque noſtris,
Nam leuior dolor eſt: cæſus vterque parens.
Sæue, quid infantes perimis, vitiique, dolique
Ignaros? Ætas quid dedit illa mali?
Non tibi Roma meis iam præbeo frondibus vmbras,
Turbine Threicio ſtirpitus interij.

THEODOSIVS Mauritij filius à patre ad *Coſrhoem* Regem Perſarum præmiſſus erat,auxilia contrà *Phocam* petiturus Hunc quoque ex fugâ retractum *Phocas* trucidari iuſſit. Is ante mortem hanc precationem ſonuit: *Domine Ieſu Chriſte, tu ſcis, me nullum hominem iniuria affeciſſe: nunc ergo mihi eueniat, vt iubet tua potentia.* Cæſi quoque ſunt *Mauritij* amici, & Duces: Petrus *Mauritij* frater, *Germanus* ſocer Theodoſij, & filia eius Theodoſij coniux, *Commentiolus*, & alij. Hæc referunt *Onuphr. Zonar.Ced.Ioan.Diac.Miſcell.*

ANNO CHR. 603.

LIVBA Hiſpaniæ Rex, cùm anno vno & menſibus ſex regnaſſet, à *Viterico* Gotho, præcisâ dexterâ, anno ætatis 20. trucidatur, & *Vitericus* regnum occupat annis 7. *Vaſæus.*

AN-

ANNO CHR. 605.

NARSES Dux, quòd malè pugnaſſet, metuit ſibi à *Phoca*, & Edeſſam occupat,& nuncium ad *Coſrhoem* mittit, indè reputans melius eſſe, cum *Phoca* redire in gratiam, à *Domentiolo* fidem accipit ſecuritatis, & *Phocas* iuramentum interponit. At verò cùm Conſtantinopolim veniſſet, contrà fidem datam viuus exuritur à *Phoca*, id quod maximo dolori fuit exercitui, Perſis verò gaudio, qui ſibi à Narſete adeò metuebant, vt liberos nomine *Narſetis* terrerent. *Cedr. Antonius Franciſcus Rainerius* ſub effigie Narſetis tale Elogium ſcripſit.

Non non hac tabula ſemiuirum hunc fingere paruula
Fas eſt, marmoribus quem decuit ſcalpier, arduo
Aut oſſa, aut Rhodope, aut aerio Caucaſeo in iugo,
Si ſpectes animum belligeri, factaque fortia.
Hic Narſes, regio quem peperit Perſidis inclyta
Byzantique aluit, quem domus olim aurea Cæſaris
Eductum muliebri imperio, & mollibus in iocis,
Acuto fuerant ſecta cui pondera forcipe.
Hic ille eſt valido conſilio qui quatit agmina
Gothorum, & madidum ſanguine Regem Totilam Italo,
Francorumque acies, barbariemque Auſonia expulit.
Salue, ò macte animo ſemiuir, & clarior omnibus
Veris Marte viris. Nunc vtinam Magne reſurgeres.

ANNO CHR. 609.

VICTERICVS Gothorum Rex in Hiſpaniâ vir quidem ſtrenuus in armorum arte, ſed tamen expers victoriæ. Namque aduerſus Romanum militem bella ſæpè molitus, nil ſatis gloriæ geſſit, præter quòd Saguntiam ciuitatem Romanis ademit, & regno Gothorum adiecit. Hic in vitâ plurima illicita fecit; in morte autem, quia gladio operatus fuerat, gladio periijt. Mors quippè innocentis inulta in illo non fuit; inter epulas enim prandij coniuratione ſuorum eſt interfectus. *Iſid.*

AN-

ANNO CHR. 610.

PHOCAS LXII. Romanorum Imperator, ex obſcurâ familiâ in Thraciâ oriundus, cuius parentes ignorantur, fœdo nomine, atque omine *Phocas* appellatus fuit. Nam φώκη, *Phoca*, eſt bellua marina, valdè vorax, corio, & pilis tecta, per ſomnium mugiens: Vndè & *Vitulus marinus* appellatur. Coit canum more, paritque in terrâ animalium ritu. Huc pertinet illud *Virg l.* 1.*Georg*.

.... *Et turpes paſcit ſub gurgite* Phocas.

Staturâ fuit mediocri, deformis, terribilis aſpectu, rubente capillo, ſupercilijs coeuntibus, mente raſo, cicatrice in mala notatus, quæ ipſo iraſcente denigrabatur: vinoſus, mulieroſus, ſanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, à miſeratione alienus, moribus feris, hæreticus. Vxor eius *Leontia* ijſdem fuit moribus prædita. Imperij initio bonam de ſe ſpem præbuit ſubditis, expectantibus per ipſum Romani imperij reſtaurationem, quia vir militaris erat, & ſæpè victoriam ab hoſte reportarat. Sed ille, poſtquam imperatoriam dignitatem conſecutus fuerat, totum ſe vitijs dedit, & Rempublicam minimè curauit. Cùm eò ventum eſſet, vt aut nomen imperij deleretur, aut *Phocas* occumberet: miſit Senatus, & ipſe Dux *Priſcus* eius gener, legatos ad *Heraclianum*, eius *Heraclij* patrem, qui poſt imperio potitus eſt, Africæ, & Lybiæ præfectum, orantes, vt ſe à tyrannide *Phocæ* vindicaret. *Heraclianus* igitur mittit filium ſuum *Heraclium* cum magnâ & armatâ claſſe, ſecum ferens etiam Seruatoris noſtri imaginem, nullo manus miniſterio factam. In portu Sophiæ nauali prælio commiſſo inter Heraclium, & Phocam, flagitioſus *Phocas* ſuperatus in Regiam confugit. Tum *Photinus* quidam, cuius vxori *Phocas* ſtuprum intulerat, in Regiam cum militibus irrumpit, *Phocam* ignominioſè ſolio deiecit, imperatoriâ veſte ſpoliat, nigrâque circundatum veſte, & numellis incluſum contemptim ad *Heraclium* deducit. Qui vt primùm conſpexit *Phocam*: *Miſer*, inquit, *ita ne Rempublicam gubernaſti*? At deploratus *Phocas* ex deſperatione reſpondit: *Tuum eſt rectius eam gerere*.

Illicò autem *Heraclius* iubet manus & pedes, mox humeros & pudenda amputari, tandem & caput. Atque ita tyrannus imperium malè partum, malèque adminiſtratum, malè amiſit, cùm per octennium imperio inſultaſſet. Infelix tyranni cadauer, quod eius reliquum fuit, in Boue (eſt loci nomen) crematum eſt, vbi caminus fuiſſe perhibetur æreus, formâ bouis, Pergamo translatus fuit. *Cedr. Zonar. Sigeb.*

ANNO CHR. 615.

IOANNES Exarchus in Italiâ, quòd inſolentius ſe gereret, poſt quintum annum adminiſtrationis à *Ioanne* præfecto occiditur, & ipſe *Ioannes* imperium ſibi ſumit. Sed *Heraclius* miſit ſeptimum Exarchum *Eleutherium*, qui *Ioannem* illum, & alios, qui cædis rei erant, occidit, & Rempublicam adminiſtrauit annis quatuor. *Diacon.*

EAN Rex Scotorum cum omnibus penè ſuis in bello extinguitur ab *Edilfredo* Rege Nordanimbrorum. Hæc calamitas Scotis contigit ſecundùm vaticinium D. Auguſtini Anglorum Archiepiſcopi, qui interminatus Scotos ab Anglis fore perimendos, qui Anglos ad vitam æternam conuerti ægrè ferebant: in Monachos quoque Scotorum irâ Dei ſæuiente, qui cum Rege ſuo ad bellum hoc ex more exeuntes, vt Rege armis pugnante, ipſi orando pro eo pugnarent, perempti ſunt ab Anglis, mille ducenti, tantùm quinquaginta per fugam elapſis. *Sigeb.*

THEODORICVS Francorum Rex ſuaſu auiæ Brunichildi, fratri *Theodeberto*, quem furtiuo concubitu natum affirmabat, bellum infert: concurrunt iuxta Tulbiacenſe caſtrum, vbi tandem victus eſt *Theodebertus*, qui Coloniam Agrippinam perfugiens, prælium inſtaurat; ſed iterum vincitur, & iuſſu Brunichildis trucidatur. Sequenti anno *Theodoricus* liberos *Theodeberti* ad Brunichildem mittit, quos omnes occidit, ſed *Theodoricus* filiam Theodeberti pulcherrimam virginem ſibi retinuit, ducturus eam vxorem, cum Theodebertum non crederet ſuum fratrem fuiſſe. Id verò impedit *Brunichildis*, hinc diſſidium ortum, & Brunichildis nepoti *Theodorico* ex balneis egredienti ve-

ne-

aenum offert, quo periit anno regni decimo ſeptimo, atque ita hæc familia, quæ ad quinquageſimum primum annum regnauerat, extincta eſt: ſuccedit patruelis *Clotarius*, qui integrâ Monarchiâ Franciæ potitur anno ætatis trigeſimo. *Aimoin.*

ANNO CHR. 616.

EDELFRIDVS Rex Northumbriæ in Angliâ cadit in prælio, cùm annos 21. regnaſſet, ſuccedit ipſi filius *Eudinus*, pacis amantiſſimus, per annos ſeptendecim. *Beda.*

ANNO CHR. 617.

BRVNICHILDIS olim Francorum Regina, cùm conſpectui *Clotarij* præſentaretur, & odium contrà ipſam nimium haberet, reputans ei quòd decem Reges Francorum per ipſam interfecti fuiſſent, ideſt Sigebertus, Meroueus, & genitor ſuus Chilpericus, Theodebertus, & filius ſuus Clotarius, Theodoricus, eiuſdemque tres, qui ad præſens extincti fuerant, pertriduum eam diuerſis tormentis afflictam iubet prius camelo per omnem exercitũ ſedentem perducere, poſt hæc comam capitis vno pede, & brachio ad ferociſſimi equi caudam ligare, à quo calcibus, & velocitate curſus membratim diſrumpitur. *Greg.Tur.Vualafr.Strab.*

ELEVTHERIVS Exarchus in Italiâ, cùm videret Imperatorem, & à Perſis, & Auaribus, & Hiſpanis oppugnari, nec cuiquam reſiſtere poſſe, & ipſe arripit imperium, qui cùm Romam properaret, vt eam præſidijs muniret, interficitur à militibus, & caput eius mittitur Conſtantinopolim. *Anaſtaſius.*

ANNO CHR. 628.

COSRHOES Perſarum Rex, pluries ab Heraclio Imperatore victus, Seleuciæ cùm nihil procederet, in dyſenteriam incidit, metuens igitur vitæ ſuæ, cùm plures haberet filios, reiecto *Syroe* natu maximo, alteri nomine *Medarſes* regnum tradere conatus eſt. Quòd cùm cognouiſſet *Syroes*, conciliatis ſibi quibuſdam ſatrapis, parentem *Coſrhoem* inuaſit, ferreis compedibus

eum alligauit, & magnis ponderibus circà collum grauatum in tenebricoſum locum, vbi theſauros deponere *Coſrhoes* volebat; detruſit, parumque panis & aquæ ei porrigi iuſſit, & hoc modo fame illum cruciauit, dicens: *Comedas aurum, quod incaſſum collegiſti, propter quod etiam multos fame necaſti, & Romanos contra Perſas concitaſti, ac cædibus mutuis, cladibuſque graſſari coegiſti.* Deindè *Medarſem* cui regnum ille deſtinarat, cæteroſque liberos in conſpectu illius trucidari mandauit. Poſtremò *Coſrhoem* poſt decimum quintum diem, iam fame maceratum carcere eduxit, ipſumque metæ loco collocatum, & telis Ducum Perſicorum confoſſum ſuſtulit, cùm annos regnaſſet 35. Sic inter ſpicula nequiſſimam animam reddidit. qui conuiciorum, ac blaſphemiarum tela in Chriſtum Crucifixum eiaculatus fuerat, & arma impia ei intulerat. *Cedr. Zonar. Diac.*

ANNO CHR. 629.

SYROES Perſarum Rex, cùm ferè anno vno regnaſſet, moritur primo vere; ſuccedit ipſi filius *Adheſir*, qui regnat tantùm menſes ſeptem, occiſus à *Sarbara* Duce militiæ, qui bimeſtri ſpatio præeſt, occiſus circa menſem Octobris. Succedit ipſi *Barone* Coſrhois filia, quæ regnat menſes ſeptem. *Miſcell.*

ANNO CHR. 630.

BEROALDVS Rex Friſiæ, à Clothario patre Dagoberti, qui auxilio aduenit filio, obtruncatur, adeòque *Clotharius* atrociter perſecutus eſt victoriam, vt triduum totum ex hoſtibus, quicumque menſuram gladij ſui excederent, trucidaret. Regnauerat autem *Beroaldus* annis ſexaginta, cui ſuccedit *Adgillus*, beneficio *Clotharij*, qui regnat annis 49. *Annal. Friſ.*

ANNO CHR. 632.

EVDINVS Rex Northumbrorum in Angliâ, cùm regnaſſet annis ſeptendecim, à Britonibus ſeditioſis, qui *Pendam* Regem Merciorum in auxilium euocauerant, in prælio occiditur, cum magnâ clade exercitus. Succedunt ipſi *Eanfridus* &

Digitized by Google

Oriſchius, qui regnum diuidunt, & hac ratione imbecilliores facti, ſequenti anno à *Carduella* Britonum Duce interficiuntur. *Beda*.

IEZDEGIRDVS Rex Perſarum, filius Syrois ad oppidum *Merga* vincitur, & occiditur à Saracenis. Dux Saracenorum fuit *Othman*, qui poſteà videtur regnum Perſarum occupaſſe, cuius memoriæ ergo Æ ram inſtituerunt, quam *Iezdegirdicam* appellarunt à Rege cæſo, & adhuc eà hodie vtuntur. *Miſcell.*

ANNO CHR. 633.

CARDVELLA Britonum Dux, pugnans cum *Oſuualdo* Rege Northumbriæ qui ſucceſſit *Eanfrido*,&*Oriſchio* fratribus, vincitur, & interficitur, atque ita pacatis rebus, tranquillè regno præfuit Oſuualdus. *Beda*.

AIO Dux Beneuentanus vaſtatur à Sclauis, qui claſſe aduenientes maritimâ deprædabantur, quos cohibere *Aio* conatus, in foueam à Sclauis factam ex inſidijs præcipitatus, trucidatur, cùm annum vnum & quinque menſes regnaſſet. Succedit *Radoaldus* Dux, qui *Aionis* mortem vltus, Sclauos vincit, & finibus pellit. *Diac.*

ANNO CHR. 641.

CONSTANTINVS Tertius LXIV. Romanorum Imperator, filius *Heraclij*, & *Fabia Eudoxia*, adhuc vnius anni coronatus eſt, patre *Heraclio* ſic volente. Quòd Imperator ideò feciſſe videtur, quia bello graui & periculoſo contrà Perſas occupatus erat. Voluit igitur ſibi ſucceſſorem conſtituere, ne ex diſſidijs in eligendo Imperatore Reſpublica Romana quateretur. Defunćto *Heraclio* cùm imperaſſet annos 30. menſe decem, ſuccedit filius *Conſtantinus*, qui cùm coronaretur, coronam, quæ cum patre ſepulta fuerat, effodi, & ſibi imponi iuſſit. Verùm cùm *Martina* nouerca filium *Heracleonam* Imperatorem facere cuperet, veneno ſuſtulit *Conſtantinum*, quarto menſe poſtquam patri *Heraclio* ſucceſſerat, & filium ſuum Heracleonam ſubſtituit. *Cedr.Zonar.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 642.

HERACLEONAS LXV. Romanorum Imperator, ex inceſtu natus eſt. Nam ſecunda *Heracli* vxor *Martina* fuit fratris eius filia, ex quâ *Heracleonas* genitus. Vix decennis erat cùm ad Imperium per fraudolentiam, & violentiam perueniſſet, ideòque cùm *Heracleonas* cum *Martina* matre malè imperium adminiſtraret, in omnium odium incurrit. Senatus igitur iuſſu capti, & primùm *Martinæ* lingua præciſa eſt, ne oratione, quâ plurimum valebat, populum commoueret. Puerum verò *Heracleonam* naſo mutilarunt, ne decor, aut gratia in vultu ad commiſerationem populum flecteret deindè ambo in Cappadociam relegati, cùm imperium ſex menſes tenuiſſent, ibi in carcere mortui ſunt. *Cedren. Zonar. Diac. Egnat*. Conſtans Conſtantini filius imperio præficitur.

OSVVALDVS Rex Northumbrorum in Angliâ, cùm regnaſſet annis octo commiſſo prælio cum *Penda* pagano Rege Merciorum, trucidatur vnâ cum exercitu. Succedit frater ipſius *Oſuinus*, qui regnauit annis 28. & aſſidua bella cum *Penda* geſſit. *Beda*.

ANNO CHR. 643.

MAVRITIVS Chartularius in Italiâ, qui exercitum ducebat ſub *Iſaacio* Patricio Exarcho, ſibi iuramentum ab exercitibus dici iubet, & imperium ſibi ſumit: ſed ab Iſaacio Exarcho captus Romæ, propè Rauennam ductus decollatur. *Miſcell.*

ANNO CHR. 644.

OMAR Saracenorum Rex, cùm annis decem regnaſſet, à Perſâ quodam ſeruo ſuo, dum in templo adorat, gladio transfigitur, ſuccedit ipſi *Otmen* cognatus, qui regnauit annis 12. *Zacuth*.

AN-

ANNO CHR. 654.

SIGEBERTVS Rex Angliæ, Monachus factus, in prælio contra *Pendam* Merciorum Regem fratri *Egrico* auxilia adducens, vnâ cum fratre occiditur, exercituſque eius ferè omnis, paucis tantùm fugâ elapſis. *Beda.*

ANNO CHR. 655.

PENDA Merciorum Rex, dimicans contra *Oſuinum* Northumbriæ in Galliâ Regem, vincitur, & trucidatur, regnumque Merciorum occupat *Oſuinus*. Donauit tamen eius partem auſtralem cognato ſuo *Pandæ*, qui ſequenti Paſchate occiſus eſt, atque ita ſolus obtinet regnum Merciorum annis tribus. *Beda.*

OTMEN Rex Arabum, cùm annos regnaſſet duodecim, interficitur; ſuccedit *Halì*, qui regnat annos quatuor. *Zacutbi.*

ANNO CHR. 657.

RODOALDVS Rex Longobardorum, cùm vxorem cuiuſdam Longobardi ſtupraſſet, ab eodem trucidatur, cùm regnaſſet annos quatuor; ſucceſſit *Aripertus* filius Gundibaldi fratris Theudelindæ, qui regnat annis quinque. *Pau. Vuarneſ. Diac.*

ANNO CHR. 658.

ANSEGINVS gener *Pipini* ſenioris, eodem hoc anno, quo *Hildericus* Rex Auſtraſiorum factus eſt, ſceleratè interficitur à Gunduino. *Annal. Friſ.*

ANNO CHR. 662.

ARIPERTVS Longobardorum Rex, poſtquam per annos nouem Longobardos apud Ticinum rexerat, moriens, regnum duobus filijs ſuis adhuc adoleſcentibus, *Bertarido*, & *Godeberto* regendum reliquit. Et *Godebertus* quidem Ticini ſedem

dem

Digitized by Google

dem regni habuit, *Bertaridus* verò in ciuitate Mediolanenſi. Inter quos fratres, agentibus malignis hominibus, diſcordiæ, & odium fomes ſurrexit in tantum vt alter alterius regnum inuadere conaretur. Quâ de re *Godebertus Garibaldum Taurinatium* Ducem ad *Grimoaldum* Beneuentanorum ſtrenuum tunc ductorem direxit, inuitans eum, vt quantocius veniret, & ſibi aduerſus germanum ſuum *Bertaridum* auxilium ferret, Regiſque filiam ſuam germanam ei ſe daturum promittens. Sed legatus ipſe fraudolenter contra ſuum Dominum agens, *Grimoaldum* exhortatus eſt, vt veniret, & Longobardorum regnum, quod adoleſcentes germani diſſipabant, ipſe arriperet, qui ætate maturus conſilio prouidus, & viribus fortis exiſteret. *Grimoaldus* hæc audiens, mox animum ad regnum Longobardorum obtinendum erexit. Ordinatoque apud Beneuentum *Romualdo* filio ſuo duce, ipſe cum electâ manu Ticinum profecturus iter arripuit, ac per omnes ciuitates, quas obuiam habuit, ſibi amicos, & adiutores ad regnum percipiendum aſciuit. *Traſemundum* verò comitem Capuanum per Spoletum, & Tuſciam direxit, vt per eas regiones Longobardos ſuo conſortio coaptaret. Qui imperata ſibi ſtrenuè perficiens, & cum multis adiutoribus, apud Æmiliam in itinere occurrit. Igitur *Grimoaldus* cùm propè Placentiam cum robuſtâ virorum multitudine adueniſſet, *Garibaldum*, qui legatus ad eum miſſus à *Godoberto* fuerat, Ticinum præmiſit, vt eidem Godeberto de ſuo aduentu nunciaret. Qui ad Godebertum veniens, Grimoaldum citius aduentare dixit. Cùmque Godebertum ab eo quæreret, quo in loco eidem Grimoaldo hoſpitium præparare deberet, Garibaldus ita reſpondit, quòd dignum eſſet vt Grimoaldus, qui pro eius causâ venerat, eiuſque ſororem accepturus eſſet, hoſpitium intra palatium haberet. Quòd ita quoque factum eſt. Nam adueniens Grimoaldus, intra palatij hoſpitium accepit: Iſdem verò Garibaldus, totius nequitiæ ſeminator, Godoberto perſuaſit, vt non aliter quàm loricâ ſub veſte indutus, cum Grimoaldo locuturus veniret; aſſerens quia Grimoaldus eum occidere vellet. Rurſus iſdem fallendi artifex, ad Grimoaldum veniens, dixit, quòd niſi

ſe

ſe fortiter præpararet, eum Godebertus ſuo gladio perimeret, aſſeuerans Godebertum quando cum eo ad colloquendum veniret, loricam ſub veſte geſtare. Quid plura? Cùm ad colloquium die craſtino veniſſent, & Godebertum poſt ſalutationem Grimoaldus amplexatus eſſet, ſtatim ſenſit quòd loricam ſub veſte geſtaret. Nec mora, euaginato gladio eum vitâ priuauit, regnumque eius, & omnem potentiam inuadens, ſuæ ſubdidit dictioni. Habebat autem tunc Godebertus iam filium paruulum nomine *Reginbertum*, qui à Godeberti fidelibus ſublatus, & occultè nutritus eſt. Nec eum Grimoaldus perſequi curauit, quippèqui adhuc infantulus eſſet. Quo audito *Bertaridus*, qui apud Mediolanum regnabat, quòd eius germanus eſſet extinctus, quantâ potuit velocitate fugam arripuit, atque ad Regem Auarum *Cacanum* peruenit, vxorem *Rodelindam* & paruulum filium nomine *Cunibertum* relinquens, quos Grimoaldus Beneuentum in exilium direxit. His itaque geſtis Garibaldus, cuius inſtigatione, & certamine iſta patrata ſunt, & non ſolùm hæc egerat, ſed & fraudem in legatione ſuâ fecerat, dum munera, quæ deferre Beneuentum debuerat, non integra deportaſſet; talium ergo operum patrator, non diù lætatus eſt. Erat quidam paruulus homunculus ex propriâ familiâ Godeberti oriundus, in ciuitate Taurinatium. Is cùm Garibaldum ducem ipſo ſacratiſſimo Paſchali die ad orationem in Beati Ioannis Baſilicam venturum ſciret, ſuper ſacrum baptiſterij fontem conſcendens, læuâque manu ſe ad collum ellam tugurij continens, vnde Garibaldus tranſiturus erat, euaginatum enſem ſub amictu tenens, cùm iuxta eum *Garibaldus* veniſſet, & pertranſiret, ipſe eleuato enſe, anniſu eundem in ceruicem percuſſit, caputque protinus amputauit. Super quem qui cum Garibaldo venerant irruentes, multis eum ictuum vulneribus occiderunt. Qui licet occubuerit, tamen *Godeberti* ſui domini iniuriam inſigniter vltus eſt. *Pau. Vuarneſ. Diac.*

ANNO CHR. 668.

CONSTANS SECVNDVS LXVI. Romanorum Imperator, *Conſtantini iunioris* & *Gregoriæ* filius, ſed patri diſſimillimus fuit, quia omnis generis vitijs ſe dedit. Pulſis in exilium *Heracleona* cum matre, à Senatu ſine ſuffragijs militum Imperator electus eſt. Adeò libidinoſus fuit, vt ſubditorum vxores & virgines ad ſtupra raperet. Nec libidini defuit crudelitas; nam fratrem *Theodoſium*, quem Imperij conſortem ferre noluit, Eccleſiæ mancipauerat, & Diaconum effecerat, tandem interfecit. Interfectus ipſi Conſtanti crebrò per quietem viſus eſt habitu Diaconi, poculum ſanguine plenum porrigens, atque dicens: *Bibe frater*. Ac ſi diceret: *inebriare fraterno ſanguine, quem fudiſti*. Quare quaſi alter Cain cogitauit *Conſtans* fugere. Loca igitur frequenter mutauit, & alias, atque alias Imperij vrbes adijt. Tandem omnibus inuiſus propter ſæuitiam, & auaritiam, cùm Siracuſis in balneo libidini vacaret, per inſidias inter lauandum occiſus eſt, ſitulâ quâ calida aqua profundi ſolebat, grauiter ipſius capiti compactâ, ab Andrea *Trocli* filio, cùm imperaſſet annos 27. Exercitus verò ne ſine Imperatore eſſent, eligunt Armenium quendam, nomine *Mizizium*, quem alij *Mezenzium* vocant, virum audacem, & proceritate, ac pulchritudine inſignem, adeò vt formâ nec pictæ, fictiuæ imagini cederet. Sed res audacter magis, quàm feliciter mota eſt. A *Conſtantino* enim Imperarore Conſtantis filio, claſſe victus, & oppreſſus eſt, ſocij huius facinoris in vincula coniecti, & vnâ cum capite Tyranni Conſtantinopolim deportati ſunt. *Conſtantinus* igitur ſumpto ſecum parentis cadauere Conſtantinopolim redit, vbi quòd imberbis Conſtantinopoli abijſſet, & paulò poſt barbatus redijſſet, *Pogonatus* dictus eſt. Cùm Conſtantinopoli eſſet, populus clamare cœpit, tres debere eſſe Imperatores: hoc clamore ita motus eſt, vt *Tiberium*, & *Heraclium* fratres naſo mutilaret, ne vnquam ad imperium adſpirare auderent. *Zonar. Cedren. Diac.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 673.

GRIMOALDVS Longobardorum Rex, corpore præualidus, audaciâ primus, caluo capite, barbâ prominenti, non minus conſilio, quàm viribus decoratus, de quo ſupra in *Ariperto*. Cùm nono die poſt venę ſectionem in ſuo palatio conſtitutus accepto arcu columbam ſagittâ percutere niſus eſſet, eius brachij vena diſrupta eſt. Cui, vt ferunt, medici venenata medicamina ſupponentes, eum hac funditus priuauerunt luce, cùm regnaſſet annos nouem. *Bertaridus* ergo, cuius regnum *Grimoaldus* arripuerat, in Italiam reuerſus, regnum paternum, tertio menſe poſt *Grimoaldi* obitum recepit, regnauitque annos ferè 18. *Diac. Pau. Vuaneſr.*

ANNO CHR. 679.

HILDERICVS Rex Franciæ â Bodilone Franco, quem ligatum ad ſtipitem cædi præceperat, in venatione exceptus, vnâ cum *Blitilde* vxore eius prægnante interfectus eſt, cùm annos octo regnaſſet; ideò *Theodoricus* ex Cœnobio ad regnum reuocatus eſt, regnauitque annos quatuordecim. *Sigeb.*

ANNO CHR. 680.

LEVDESIVS à Theodorico Franciæ Rege Maiordomus conſtitutus, ab *Ebroino* vincitur, & trucidatur. *Aimoin. Sigeb.*

ANNO CHR. 685.

EGFRIDVS Northumbrorum Rex in Angliâ, bellum Pictonum prouinciæ infert, vbi fugam ſimulantibus hoſtibus, ipſe in anguſtias defertur, & maximâ parte ſuorum cæſis, ipſe etiam cadit die 20. Maij, anno regni ſui 15. ſuccedit *Altfridus* frater, qui regnat annis 18. *Beda.*

ANNO CHR. 688.

EBROINVS Maiordomus Neuſtrię, inſolentiâ ſuâ Francos acerbiùs præmens, à quodam *Ermenfrido* interficitur. In locum *Ebroini*, *Vuaratbo* ſuccedit. *Sigeb.*

ANNO CHR. 690.

BERTHARIVS Maiordomus Theodorici Regis Franciæ, à *Pipino* vnâ cum Rege victus, à ſuis occiditur, & *Pipinus* in eius locum ſuccedit, fitque Maiordomus per vniuerſam Franciam. *Sigeb.*

ANNO CHR. 694.

ALACHIS Dux Tridentinus, bellum facit *Cuniberto* Longobardorum Regi, quem Clericis nimium addictum arguit, & cùm optaret ſe occidere *Cunibertum*, *Zenonem* Diaconum regiâ loricâ indutum interfecit. Quem vt cognouit, furibundus iurauit, vt ſi ipſi Deus iterum victoriam dederit, ſe puteum quendam teſticulis Clericorum oppleturum. *Cunibertus* contra petijt ab eo, vt ſubditorum ſanguini parceret, & ſecum potius monomachiâ congrederetur. Id verò obtinere non valens, binis congrediuntur prælijs. Tandem crudelis Tyrannus *Alachis* interijt, & *Cunibertus* adiuuante Domino victoriam cepit. Exercitus quoque *Alachis* compertâ eius morte, fugæ ſubſidium arripuit, è quibus quem mucro non perculit, Addua fluuius interemit: Caputque *Alachis* detruncatum, cruraque eius ſuccisa ſunt, informeque tantùm, truncumque cadauer remanſit. Igitur *Alachis* hoc modo defuncto, *Cunibertus* cum omni exultatione, & triumpho victoriæ, Ticinum reuerſus eſt. *Diac.Pau.Vuarneſ.*

ANNO CHR. 697.

FAVILA Dux Cantabriæ, pater Pelagij, qui poſteà ab Hiſpanis contrà Saracenos Rex creatus fuit, à *Vitiza* Egicæ Regis Hiſpaniarum regni conſorte trucidatur, poſtquam eius

vxo-

vxorem adulterio cognouiſſet. *Vaſæus.*

ANNO CHR. 698.

ABDERACHMAN motâ ſeditione in Perſide, regnum in eâ *Chagano* eiecto obtinuit. *Moamedus* cum Arabum copijs bellum Abderachmani facit; cùmque ingreſſus Perſidem eſſet cum Chagano ſe coniungit, quo in prælio *Abderachman* cadit, & regnum *Chagano* reſtituitur. *Cedr.*

ANNO CHR. 700.

IVSTINIANVS SECVNDVS LXVIII. Romanorum Imperator, filius *Conſtantini Pogonati, & Anaſtaſiæ*, poſt obitum patris, anno ætatis 16. Imperator electus, & à Patriarchâ *Callinico* coronatus eſt. Cùm iam annos decem imperaſſet, ab imperio fuit depoſitus, & poſteà rurſus ad imperium peruenit. Tempore quo exulauit, *Leontius*, & poſt eum *Tiberius Apſimarus* imperij gubernacula tenuerunt, de quibus infra. Igitur *Iuſtinianus* patri *Conſtantino* diſſimillimus, boni Principis filius peſſimus, imperium malè adminiſtrauit, & in ſubditos crudeliter ſeuijt. Cùmque *Iuſtinianus* exercitum fortiſſimum Sclauorum contra Saracenos eduxiſſet, hi non parati ad bellum, per omnia ſacra bellum deprecati ſunt, ſed nihil impetrarunt, & inſuper primo prælio ſuccubuerunt: ideò ad fraudem conuerſi cum Sclauis egerunt, vt acceptâ pecuniâ, quantam Imperator numerabat, domum rediret, & ita 20000. auerterunt, & Imperatorem turbatum hac re vicerunt. Imperator turpi fugâ, cum paucis conſeruatus, cùm ad Leucaden perueniſſet, defectione Sclauorum irritatus, etiam reliquos Sclauos, qui remanſerant, occidi, & cadauera in mari proijci iuſſit. Poſt hæc iratus Conſtantinopolitanis, *Stephano* Præfecto vrbis mandauit, vt ſumptâ occaſione omnes ciues Conſtantinopolitanos vnâ nocte trucidari per milites curaret, facto initio à *Callinico* Patriachâ. Habuit autem tum in carcere *Leontium* patritium, quem eodem tempore carcere liberauit, eique præfecturam Græciæ mandauit. Nunc dum in portu, nauigandi tempus expectat, hortantur amici, vt

occa-

occaſionem vlciſcendi iniuriæ elabi non ſinat: aſtu igitur Prætorium occupat, & qui in carcere erant, liberat, & per eoſdem *Iuſtinianum* imperio deijcit, cùm annos nouem vel decem regnaſſet, eum captum naſo truncat, & in Cherſoneſum relegat. *Cedren. Zon. Diac. Sigeb.* Eius tragicus finis habebitur infrà poſt *Leontium*, & *Tiberium*.

LEONTIVS LXIX. Romanorum Imperator, pulſo vt diximus, *Iuſtiniano*, ad imperium per violentiam peruenit, quo occupato, duo Sycophantas aulicos *Theodoſium*, & *Stephanum*, comprehenſos, funibus ad pedes alligatis per vrbem trahi, & poſteà in foro comburi iuſſit. Eo imperante, Arabes Romanas Prouincias incurſantes multos captiuos abduxerunt, tandem Africam quoque ſubegerunt. Quo cognito Imperator *Ioannem* patricium virum ſtrenuum cum totâ claſſe mittit, ad Africam Romano Imperio recuperandam. Is Arabes, qui ibi erant bello ſuperatos expulit, atque illic hyemauit, rebus ſuis geſtis ad Imperatorem perſcriptis, expectans quid porrò de illius ſententiâ faciendum eſſet. Cæterum Agarenorum ſummus Conſul (ſic enim ſuos Principes appellabant) ſtatu Africano cognito, iacturamque iniquo ferens animo, claſſem ingentem exornat ad prouinciam recipiendum: cui cùm Patricius *Ioannes* impar eſſet, portu relicto ad Imperatorem ſe conferebat, vt maiores copias poſtularet. Sed cùm Romana claſſis Cretam perueniſſet, populi principes partim turpe rati Africâ omiſſâ, & hoſtibus conceſsâ reuerti, partim iracundiam Imperatoris veriti: claſſiarijs defectionis auctores fiunt, ac *Leontÿ* inſectandi, & *Apſimari* Cobyrrhæitarum Drungarij, quem ſtatim etiam *Tiberium* nominarunt, Imperatoris ſalutandi. Is igitur cum claſſe Byzantium peruectus, iu Sycis appulit. Etſi autem *Leontius* vrbis cuſtodiam diligenter curarat, tamen quidam prouinciales magiſtratus, per murum Blachemium, cuius cuſtodiam ſortiti erant, clauibus portæ cum ſanctiſſimo iureiurando acceptis, *Apſimarum* introduxerunt. Ita claſſiarij ingreſſi, ciuium ædes diripuerunt, *Apſimarus Leontium* naſo præciſo, cuſtodiæ tradidit. Principes, qui ab illo ſtabant, verberibus affectos, & bonis ſpoliatos, relega-

ga-

gauit. Imperauit *Leontius* triennium, annos verò ſeptem poſtquam *Leontius* ab *Apſimaro* pulſus, *Iuſtinianus* reſtitutus eſt, qui Leontium è Monaſterio traxit, vinctum in pompâ per vrbem duxit, eiuſque ceruicem pedibus calcauit, indè capite eum truncari iuſſit. *Ced.Diac.Zon.*

TIBERIVS TERTIVS LXX. Romanorum Imperator, cognomento *Apſimarus*, per ſeditionem ab exercitu Romano Imperator proclamatus, improuisò Conſtantinopolim occupauit. Imperio occupato, mox fratrem ſuum *Heraclium* equeſtri & pedeſtri exercitu inſtructum contra Saracenos, qui Syriam, & vicinas aliquot regiones occuparant, miſit. Hic Syriam ingreſſus animosè & feliciter, Samoſatam vſque progreſſus, cum hoſtibus conflixit, ad ducenta millia Saracenorum occidit, atque amplius ſpolijs hoſtium ditatus victor ex Syriâ redijt. Armeniam quoque recepit; quam *Mahometus* tamen, qui tum Saracenorum Dux erat, iterum ſibi parere coegit; ac Principes Armeniorum propter defectionem viuos cremauit. Tandem *Tiberius* à *Iuſtiniano* cùm is imperium denuò recepiſſet, occiſus eſt, cùm imperaſſet annos ſeptem, de quo tale Epigramma concinnauit *Mycillus*.

Claſſicus Auguſtum creat hunc Exercitus, armis
Dum Leo vi raptum continet Imperium.
Ergo, & regnantem capit, atque in carcere ſeruat;
Dum rediens exul Cæſar vtrumque necat.

Iuſtinianus cùm ab imperio deiectus eſſet, penes Cherſonam exulabat, & interim de recuperando imperio conſilia agitabat. Cherſonenſes autem incolæ, propter ipſius crudelitatem, quam cùm adhuc in imperio eſſet, exercuerat, de ipſo vel interficiendo, vel certè capiendo conſultabant. Sentiens hoc *Iuſtinianus*, inde ad *Chaganum* Chazarorum Regem, aufugit. Hunc vt ſibi firmiori vinculo ſociaret, eius ſororem *Theodoram* vxorem duxit. Cùm autem *Apſimarus* Imperator *Chaganum* multis muneribus ſollicitaret, vt *Iuſtinianum* vel captiuum ipſi mitteret, vel interficeret, animaduertit *Iuſtinianus* ſoceri *Chagani* inſidias, itaque ad *Trebellium* Bulgarorum Ducem confugit,

Digitized by Google

git, & *Theodoram* Chagano remittit. *Iuſtinianus* cùm ad *Trebellium* confugiſſet, ipſius filiam in vxorem ſibi petit, & ampliſſimis muneribus promiſſis copias militares ab eo impetrat, cum quibus Thraciam inuadit, & Imperium recuperaturus Conſtantinopolim obſidet, vbi multis conuicijs à ciuibus proſcinditur: ſed tertio die per aquæductum noctu ingreſſus vrbem, eâ potitur. Reaſumpto imperio, eiectis, occiſiſque Tyrannis, nihil de ſuâ crudelitate mutauit, ſed crudeliſſimè in aduerſarios ſæuijt. *Heraclium* Apſimari fratrem cum pluribus circa mœnia ſuſpendit, *Callinicum* Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui in Leontij partibus fuerat, depoſuit, & excæcatum Romam relegauit. Seuitiæ eius argumentum hoc traditur, quòd quoties truncas nares emungeret, aut guttam rehumatis defluentem manu detegeret, toties vnum ex eis, qui Leontio fauerant, ad ſupplicium trahi iuſſerit. Inſuper fuit tantæ ingratitudinis, vt *Trebellium* Regem, cuius ope in regnum reſtitutus erat, cum Thracibus contendentem, improuisè adortus ſit, quem tamen *Trebellius* virilitèr repuliſſe fertur. Recordatus, quòd *Cherſonenſes* ciues olim, cùm apud eos exularet, de eo vel tradendo, vel occidendo cogitaſſent, igitur prorſus eos delere apud ſe conſtituit, Duces cum exercitu miſit, mandans, vt quoſuis trucidarent, maſculos, & fœminas, adultos & infantes. Hi captis Cherſonenſium Caſtellis, crudeliſſimè graſſati ſunt, adultos mactarunt, paruulis verò pepercerunt, quos *Iuſtinianus* Conſtantinopoli voluit occidi. *Tudunum*, Cherſonæ Principem, *Zelum*, alioſque quadraginta viros ex primatibus, vnâ cum familijs ſuis, vinctos ad Imperatorem miſerunt. Alios verò ſeptem præſtantes viros verubus ligneis affixos ad ignem aſſarunt: alios in profundum maris demerſerunt. Qui his malis ſuperfuerunt Cherſonenſes, eos ad ſe mitti iuſſit Imperator, haud dubiè crudeliſſimis ſupplicijs excarnificaturus. Sed eos Dominus tolerabiliore mortis genere tyrannidi *Iuſtiniani* ſubtraxit: obortâ enim tempeſtate, circiter hominum ſeptuaginta millia naufragio perierunt. *Iuſtiniani* furore in Cherſonenſes nondum expleto, nouum exercitum in Cherſonam miſit, mandans, vt omnes

nes

nes infantes occiderentur, & vt omnia ad ſolum vſque euerterentur. Cherſonenſes igitur, qui reliqui adhuc erant, *Chagano* Rege auxilium petiuerunt, à quo adiuti, claſſem *Iuſtiniani* repreſſerunt, & vicerunt: quæ cùm ſciret *Iuſtinianum* crudeliſſimum eſſe, & ſupplicijs exatiari non poſſe, ad hoſtes defecit, & *Philippicum* Imperatorem ſalutarunt. *Philippicus* igitur auctus exercitu & claſſe, Conſtantinopolim nauigat, vrbem capit, & filiũ Iuſtiniani *Tiberium* puerum interfecturus gulã eius in conſpectu auiæ paternæ *Anaſtaſiæ* diſcindit, *Iuſtinianum* ipſum capite truncat, anno Chriſti 711. cùm imperaſſet ante depoſitionem annos decem, poſt reditum verò annos 6. Atque demùm in hoc *Iuſtiniano* iuniore defecit *Heraclij* progenies, elapſis ab Heraclij principio annis centum *Cedr. Diac. Zonar.*

ANNO CHR. 712.

ARIPERTVS Rex Longobardorum, confirmato regno, *Sigibrandum* Anſprandi filium oculis priuauit, omneſque qui ei conſanguinitate iuncti fuerant, diuerſis modis afflixit. Minorem quoque Anſprandi filium *Luithprandum* in cuſtodiâ tenuit, quem quia deſpicabilem perſonam, & adhuc adoleſcentulum eſſe perſpexit, non ſolùm in eius corpore vindictam aliquam minimè ingeſſit, ſed eum vt ad patrem ſuum pergeret, abire permiſit. Quòd Dei omni potentis nutu factum fuiſſe, qui eum ad regni gubernacula præparabat, dubium non eſt. Igitur *Luithprandus* ad patrem ſuum in Boioariam profectus, ei de ſuo aduentu inęſtimabile gaudium fecit. Vxorem verò Anſprandi *Theuderadam* nomine, Rex *Aripertus* comprehendi fecit. Quæ cùm ſe voluntate fœminea Reginam futuram eſſe iactaret, naſo, atque auribus abſciſſis, decore ſuæ faciei deturpata eſt. Pari etiam modo, & germana Luitphrandi, nomine *Aurona*, deformis effecta eſt. Igitur poſtquam *Anſprandus* apud Boioariam, iam nouem expletis annis exulaſſet, promoto tandem Theudeberto decimo anno Boioariorum ductor exercitu venit Italiam, pugnauit cum *Ariperto*, & facta eſt ex vtrâque parte multa populorum ſtrages. Sed quamuis ad extremum nox prælium dire-

 miſ-

Digitized by Google

miſſet, certum tamen eſt, Boioarios terga præbuiſſe, & Ariperti exercitum victorem ad caſtra remeaſſe. Sed dum *Aripertus* in caſtris manere noluiſſet, ſed potius Ticinum Ciuitatem introiſſet,& ſuis hoc facto deſperationem;& aduerſarijs audaciam præbuit. Qui poſtquam in Ciuitatem ingreſſus eſt, & ſenſiſſet, qui hoc facto ſuum exercitum offenſum haberet, mox arrepto conſilio vt in Franciam fugeret, quantum ſibi vtile duxit, è Palatio aurum ſuſtulit. Qui dum trans fluuium Ticinum grauatus auro natare voluiſſet, ibi corruens ſuffocatus aquis extinctus eſt. Cuius in craſtinum diem corpus inuentum, in Palatio ornatum, ac deindè ad Baſilicam Domini Saluatoris, quam antiquitus *Aripertus* conſtruxerat perlatum, ibique ſepultum eſt. Hic in diebus, quibus regnum tenuit,noctu egrediens, & hac, illacque pergens,quid de eo à ſingulis ciuitatibus diceretur,perſemetipſum explorabat, ac diligenter qualem iuſtitiam ſinguli iudices populo ſuo facerent, inueſtigabat. Hic aduenientibus ad ſe exterarum gentium legatis, vilibus coram eis veſtibus, ſiue pelliceis vtebatur, vtque minus Italiæ inſidiarentur, nunquam eis pretioſa vina vel cæterarum rerum delicias miniſtrabat. Regnauit autem cum patre *Ragunberto*, ſiue ſolus, vſque ad annum duodecimum.*Paul.Vuarneſ.*

IOANNES Rauennæ Exarchus, cùm crudeliter in quoſuis graſſaretur, à ciuibus Rauennæ trucidatur. *Anaſtaſ.*

ANNO CHR. 713.

GRIMOALDVS Pipini filius, Maiordomus Leodij in templo adorans, à ſatellite *Rabdoni* ſoceri ſui Regis Friſonum occiditur, quòd coniugis filiam *Rabdoni* negligentius haberet, & parui faceret. *Pipinus* re compertâ Theodoaldum nepotem ſuum, filium Drogonis, Maiorem domus facit. *Sigeb.*

PHILIPPICVS BARDANES LXXI. Romanorum Imperator per ſeditionem ad imperij faſtigium euectus, poſtquam in imperiali dignitate confirmatus eſt, *Cyrum* de Epiſcopatu eiectum, ad gubernandum monaſterium ſuum, Pontum redire præcepit. Eius gubernatio infelix fuit, licet enim in dicen-

cendo diſertiſſimus, & in inueniendo prudens fuerit: tamen ad res gerendas omnium ineptiſſimus, & ingenio planè ſiniſtro: vnde *Aurelius Victor* hominem vocat, in quo multum eloquentiæ, ſapientiæ parum fuerit. Hic *Philippicus* Conſtantino Papæ litteras praui dogmatis direxit, quas ille cum Apoſtolicæ ſedis conſilio reſpuit: Et huius rei cauſa fecit picturas in porticu S. Petri, quæ geſta ſex ſanctarum Synodorum vniuerſalium retinent. Nam & huiuſmodi picturas, cùm haberentur in vrbe Regiâ, *Philippicus* iuſſerat auferri, ſtatuitque Populus Romanus, ne hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram ſolidi ſuſciperent. Vndè nec eius effigies in Eccleſiâ introducta eſt, nec nomen ad Miſſarum ſolemnia prolatum. Hic cùm annum vnum, & ſex menſes regnum geſſiſſet, contrà eum *Anaſtaſius*, qui & *Artemius* dictus eſt, inſurgens, eum regno expulit, oculiſque priuauit, nec tamen occidit, ſed in carcere coniectus tandem perijt. *Paul.Varneſ.Cedr.Zon.Diac.*

ANNO CHR. 719.

ANASTASIVS ARTEMIVS LXXII. Romanorum Imperator, reiecto *Philippico* creatus eſt. Is erat homo doctiſſimus: Equeſtribus copijs præfecit *Leonem Iſauricum*. Porrò *Artemius* cùm intellexiſſet Saracenos lignorum ſecandorum causâ claſſem in Phœniciam adduxiſſe: claſſem & ipſe emiſit, quæ ligna iſta combureret. Verùm ea cùm Rhodum attigiſſet, claſſiarij ſeditione coortâ imperium *Artemio* abrogant, *Ioannem* ducem ſuum ferro trucidant, rectaque Byzantium verſus nauigant. *Adramyttum* verò delati, inueniunt ibi *Theodoſium* quendam procuratorem pium hominem, & à rebus gerendis alienum, eũ Imperatorem creant. *Artemius* certior hac de re factus, vrbe munitâ, Nicæam profugit. Per ſex menſes inter claſſem Conſtantinopolitanam, & Theodoſianam certamen fuit: corruptiſque murorum ad Blachernas cuſtodibus in eam intrat. Claſſiarij eam diripuerunt, neminique parcentes ingentem prędam abſtulerunt. *Germanum* deindè Patricium, & præfectos Artemij comprehenſos ad Nicæam adduxerunt: quo viſo, *Artemius* ſecu-

curitate promiſsâ monachi habitum induit, & Theſſalonicam eſt deportatus, cùm imperaſſet annum vnum, & menſes tres. Perſuaſus autem *Artemius* poſt annos aliquot ſub *Leone III.* à Magiſtro Militiæ *Nicata*, rerum nouarum ſtudioſo, ad Bulgaros ſe contulit, *Iuſtiniani* exemplo, ſi fortè auxilio horum imperio reſtitui poſſet. Magnis igitur cum copijs Bulgarorum Conſtantinopolim venit, ſperans ſe à populo benignè ſuſcepturum iri. Sed cùm res hæc ex ſententiâ non ſucceſſiſſet, Bulgari pecuniâ à *Leone* corrupti, *Artemium* ei tradiderunt: à quo occiſus eſt, omnes quoque *Nicatæ* facultates (poſtquam & ipſe iuſſu Leonis eſſet interfectus) quæ magnæ fuerunt, publicatæ ſunt. Quot quot etiam *Artemij* coniurati inquiri potuerunt, *Leo* è medio tolli curauit, inter quos & ſummus Theſſalonicæ Sacerdos neci traditus eſt. Ita *Artemius*, qui ab imperio deturbatus priuatam vitam delegerat, dum ambitionis ſtimulo correptus, denuò ſe fluctibus ac procellis imperij immergere ſtuduit, inſperato perijt. *Cedren. Diac. Egnat. Hiſt. Miſcell.*

ANNO CHR. 730.

TIBERIVS quidam inuadit imperium in Italiâ, cui ſacramentum dicunt Mantuani, Lucenſes, & alij. *Exarchus* verò hunc bello perſequitur, & trucidat, caputque Conſtantinopolim mittit. *Anaſtaſ.*

ANNO CHR. 736.

EDILBERTVS Cantuariorum in Angliâ Rex, cùm annos vndecim regnaſſet, fortuito incendio perijt. Succedit frater *Edbertus*, qui regnat annos 24. *Malmesb.*

ANNO CHR. 749.

MARVVAN Dux Saracenorum, cùm Sacerdotem Abrahamum ſuperiori anno occidiſſet, regno pulſus erat, & in Ægypto exulabat, vbi in templo deprehenſus, capitur, & occiditur. Indè imperium Saracenorum in tres partes diuiditur: quarum primam *Abubalas* in Perſiâ obtinuit annis quatuor; *Salim*

Digitized by Google

lim verò Ægypto præfuit: & *Habdalla* Syriæ:qui verò *Maruuan* adhæſerant, abierunt in Hiſpaniam. *Zacuth.Miſcell.*

ANNO CHR. 750.

PIPINVS fratri *Griphoni* in Neuſtriâ aliquot comitatus offert, ſed *Gripho* hiſce contentus eſſe non potuit, & in Aquitaniam ſe contulit, vbi ſequenti anno trucidatur *Annal. Fuld.*

VENDA Craci ducis Poloniæ filia, principatum Polonorum hactenus poſt patrem defunctum adminiſtrarat, cùm verò appeteretur in coniugium à *Ritigero* principe Germano, id reſpuit, & procum principem bello repellit, quâ victoriâ læta, ne aduerſus caſus aliquis felicitatem contaminaret, ſe in Veſtulam amnem præcipitem dedit. *Hiſt.Pol.*

ANNO CHR. 756.

AISTVLPHVS Longobardorum Rex, ſiue fulmine ictus, vel aliàs equo delapſus, ſubitò moritur, abſque liberis, cùm annos 6. regnaſſet. *Anaſt.*

EDELVVALDVS Merciorũ Rex in Angliâ, cùm regnaſſet annos 40. trucidatur à *Beornredo*, qui paucis menſibus regnum adminiſtrat, ab eoque pellitur ab *Offa*, qui regno Merciorum præfuit annis triginta nouem. *Ingulph.*

ANNO CHR. 759.

OSVVALDVS Rex Northumbriæ, cùm anno vno præfuiſſet, crudelitèr trucidatur; ſuccedit ipſi *Edeluualdus*, qui regnat annos ſex. *Rog.*

ANNO CHR. 760.

CHILPINGVS Aruernenſis, & *Ammingus* Pictauienſis, Comites Galliæ, ſe ſe *Pipino* opponunt, & *Vaiferi* Aquitaniæ Ducis cauſam præferunt, ſed prælio victi trucidantur. *Sigeb.*

AN-

ANNO CHR. 761.

ETVVINVS Scotorum Rex, infert *Edelbaldo* Northumbriæ Regi in Angliâ bellum. Prælium accidit die 7. Auguſti, propè Cladunum, vbi *Etuuinus* in prælio cadit, & *Edelbaldus* inſigni victoriâ potitur. Regnarat *Etuuinus* annis 31. Succedit ipſi *Eugenius VIII.* qui regnat annos tres. *Buchan.*

ANNO CHR. 763.

TELESIS Bulgarorum Rex, magno exercitu occurrit *Conſtantino* Imperatori, & prælio decertat. Sed Bulgari vincuntur, cùm pugnaſſent horis ferè octo; ideò Bulgari Regem ſuum, quòd videbatur cum *Conſtantino* conſpiraſſe, aut aliàs infelicites pugnaſſe, trucidant. *Conſtantinus* Conſtantinopolim rediens, triumphat. *Miſcell.*

ANNO CHR. 766.

QVidam *Principes* accuſati Maieſtatis apud *Conſtantinum* Imperatorem, die 15. Auguſti in ludis Circenſibus trucidantur, vel in exilium eiciuntur, *Miſcell.*

ANNO CHR. 768.

VAIFREDVS Aquitaniȩ Dux, cùm tot malorum, quæ bello illata fuerant, & ſibi & ſubditis, ipſe ſolus cauſa eſſet, à ſuis capitur, & in gratiam *Pipini* occiditur, & *Pipinus* totam Aquitaniam ſibi ſubijcit. *Sigeb.*

TOTO Dux Nepeſinus, à Duce Spoletino occiditur. *Anaſt.*

FROIOLA, cùm Rex Legionum, & Aſturiæ in Hiſpaniâ fuiſſet annis vndecim, & menſibus ſex, occiditur ab *Aurelio* fratre, qui colluſerat cum Saracenis, & *Silo* principi Saracenorum ſororem ſuam coniugem dederat. *Idelphonſus.*

AN-

ANNO CHR. 775.

ROEGAVDVS Dux Foroliuij, dum Carolus in Franciâ eſt, regnum Longobardorum inuadit, idque occupat. Sed *Carolus* ſummâ feſtinatione in Italiam properans, non tantùm eum ex regno Longobardorum eijcit, ſed etiam in acie trucidat. Indè Foroiulium, & Tauriſium occupat, præſidijs munit, & Paſcha ibi celebrat. *Regin.*

ANNO CHR. 788.

ADELBALDVS NorthumbriæRex in Angliâ, cùm decimum annum regnaret, trucidatur die 23. Septembris. *Oſredus* ipſi ſuccedit. *Roger.*

ANNO CHR. 795.

WITZANVS Dux Abodritorumr, ad *Carolum Magnum* proficiſcens, à Saxonibus interficitur, ob id bello à Carolo petiti, latrones & rebelles dedunt. *Annal. Fuld.*

ANNO CHR. 797.

CONSTANTINVS SEXTVS LXXVII. Romanorum Imperator, cuius ortus fuit tranquillus, in quo *Irene*, marito ſuo *Leone IV.* defuncto, cum filio decem annis regnauit. Anno imperij nono, Imperatrix pacto cum Francis reſciſſo, ex Armeniâ ab Amneâ puellam nomine *Marinam* duxit, filioque ſuo *Conſtantino*, licet inuito, copulauit, & nuptias confecit. Poſt hæc perſuaſa *Irene* ſibi deberi, non filio, imperium, comprehendit amicos eius omnes, eoſque affectos plagis, aut contumelijs in Siciliam, vel alioſum relegat. Filium iam vigeſimum agentem annum verberibus excipit, ac domi tenet, legiones adigit ſacramento, ne ſe viuâ, Conſtantino pareant. Verùm Armeniaci exercitus, cùm conſtanter adhærerent Conſtantino, traxerunt exemplo reliquos, vt violatâ iuriſiurandi religione redirent ad filij obſequium, qui ſepoſito *Stauratio*, per ſe egit poteſtatem, ac matrem Eleuteriano in palatio, quod ipſa

ipſa conſtruxerat, regaliter haberi iuſſit, alteroque anno cùm tentaſſet Bulgaricam expeditionem, & Arabicam, reſtituit dignitati. Irene admotâ iterum gubernaculis, id egit omni modo, vt filium ſupplicijs cognatorum, & familiarium, ad diuortia vxoris Marinæ, inuiſum redderet ſubditis. Quibus rebus occaſionem ſuppeditauit infelix in Bulgariâ expeditio, vbi inferior prælio Imperator, optimatum iacturam fecit grandem, quam ſecutæ ſuſpectiones de *Nicephoro*, *Chriſtophoro*, & *Niceta* patruis, quibus velut affectatæ tyrannidis reis oculos eruit inſtinctu matris, eâque atrocitate vehementer Armenios offendit, deindè abdicatâ coniuge, tanquam veneno eius eſſet petitus; ac profugatis Saracenis elatior, *Theodotam* matris ſuæ cubiculariam, illicitis ſibi nuptijs copulans, coronauit. Deindè iterum in Bulgaros profectus, inſolentèr efflagitans tributum, vt comperit natum ſibi filium, properè contendit in vrbem, relictâ apud exercitum Irene. Quæ filij abſentiam occaſionem rata ſuam, corruptis aureo, aut delinitis blandimento muliebri, Doctoribus perſuadet, vt ſibi reddant poteſtatem, vsâ fideli ad id operâ *Stauratij*, aliorumque amicorum veterum. Illi auocatum à Saracenico bello Imperatorem, dum comprehendere ſtudent, detectâ fraude, in fugam propellunt. Ac parum aberat, vt ipſi inſidiatores concurſu interijſſent populi. Verum Imperatrix gnaua eſſe apud filium coniurationis conſcios, ſcribit eis, niſi maturent factum, omnes ſuo iudicio perituros. Quare ab eis reductus in vrbem incautus Imperator, effoſſis crudeliter oculis excruciatur, quinto poſt anno, eodemque die, quo patruis ille ſuis idem intulerat ſupplicium. Exindè mors conſecuta confeſtim eum extinxit, *Irene* filij ſanguine recuperatum ſolium denuò inſedit, ipſo ſole ſeptemdecim dierum tenebris, tam tetrum auerſante ſcelus. Cùmque fratres mariti eius *Nicephorum*, & *Chryſtophorum* ſeditionem mouerent ab eâ ſunt Athenas relegati: ibique cùm de occupando regno conſilia agitarent, ab incolis ſunt interfecti, ſicque Copronymi genus extinctum eſt. *Cedren.*

EDEL-

Digitized by Google

EDELBERTVS Rex Cantuariorum, à *Cenulpho* Merciorum in Angliâ Rege capitur, qui oculos illi eruit, & manus præſcindit, regnumque ſuo adiecit imperio. Regnauerat *Edelbertus* biennium: ſuccedit *Cutredus*, qui ſubditus fuit Merciorum Regi, regnatque annos octo. *Malmesb.*

ANNO CHR. 799.

ERicus Dux Foroiulienſis à ſubditis ſuis ex inſidijs trucidatur, & *Geroldus* Bauariæ Dux ab Hunnis circumuentus, cadit. *Annal. Fuld.*

ANNO CHR. 803.

NICETA, qui potiſſimus fuerat in promouendo *Nicephoro* ad Imperium, veneno tollitur vltimo Aprilis. *Miſc.*

ANNO CHR. 809.

THRASCO Dux Obetritorum Wandalorum, cùm ſub ditionem ſuam qui à ſe ad *Danorum* Regem defecerant, reduceret, trucidatur dolo Godefridi. *Annal. Fuld.*

ANNO CHR. 810.

GODEFRIDVS Daniæ Rex vaſtat Friſiam, & exercitu domat, & ſuo regno ſubijcit. *Carolus* ingenti exercitu congregato aduerſus eum mouet; interim *Godefridus* à ſatellite ſuo interficitur, & claſſis Danorum deſperatâ victoriâ domum redit. *Annal. Fuld.*

ANNO CHR. 811.

NICEPHORVS Græcorum in Oriente Imperator, cùm *Irenem* Imperatricem imperio depoſuiſſet, illud viciſſim arripuit, ad eamque à ſatellibus cuſtoditam venit, ſeque dixit inuitum ad id dignitatis faſtigium euectum eſſe, quòd ſibi cordi non ſit, eamque bono animo eſſe iuſſit, vt quæ nihil non impetratura eſſet, quòd dominæ a ſeruo præſtari opporteret, & vt Imperatorij theſauri omnes ſibi monſtrarentur, petijt. Illa

autem prudenti animo, eum qui heri periurius ſeruus fuerat, hodie tyrannidem gerebat, ſic affata eſt: *Heus tu, Deum ego agnoſco fuiſſe, qui me ad imperium hoc euexerit; me verò meis delictis meruiſſe, vt eo exciderem: in his omnibus laus ſit diuino nomini. Neque verò tu neſcis, delata ad me fuiſſe de tuis inſidijs indicia, quibus ſi credidiſſem, nemine vetante interficere te poteram: ſed partim iuramentis tuis fidem adhibens, partim tibi parcens, iſta omnia neglexi, Deo te relinquens, quo auctore Reges regnant, & principes dominantur, Nunc etiam tibi, vt pio, & Deo ad imperium euecto Imperatori ſupplico, petens vt meæ imbecillitatis rationem habens, patiaris me inhabitare domum Eleutherianam à me conditam, quo incomparabilem meam conſoler calamitatem.* Ad hæc Nicephorus reſpondit: *Quando ita cupiat, ſe per omnia ei liberaliſſimè gratificaturum: iuraret modò, nullum ſe theſaurum celaturam*: Iurauit *Irenes*, & magnas ei opes commonſtrauit. Sed *Nicephorus* optatis potitus, ſtatim eam in Monaſterium relegauit, quòd in *Principis* appellatâ inſulâ ipſa condiderat. Cernens deindè inſtabilem ſuam auaritiam omnibus proceribus moleſtam eſſe, in metum venit, ne populus aliquando *Irenem*, memoriâ acceptorum beneficiorum ab eâ, motus, ad Imperium reuocaret: idcircò eam abſque omni miſeratione Mitylenem relegauit, grauiſſimâ imminente tempeſtate. Atque ibi illa in Lesbo inſulâ, ex animi ægritudine deceſſit nono Auguſti die. Fuit enim *Nicephorus* pecuniæ auidiſſimus, auaritiâ inexplebili, ſummâque perfidiâ, & (vt ita dicam) omnis improbitatis diuerſorium, ac ne ad exiguum quidem tempus benignitatem erga ſubditos ſimulare potuit, ſed ſtatim iniurijs impleuit omnia: ac ne ijs quidem pepercit, quorum operâ ad imperium peruenerat. Nam *Triphyllium* veneno ſuſtulit, *Bardanem* Patricium, & Ducem, cognomento *Turcum*, ab orientalibus legionibus ſiue volentem, ſiue nolentem, Imperatorem ſalutatum, accerſiuit, promiſſâque impunitate, factum Monachum in Inſulam Protam tranſuectum, vbi monaſterium ſtruxerat, luce priuauit, ſatellitibus clam miſſis, vt ipſo inuito id factum eſſe videretur, mærorremque præſeferens, iureiurando negauit, ſe illius facinoris eſſe

con-

Digitized by Google

conſcium. Tandem cùm bellum aduerſus Bulgaros ſuſcipere decreuiſſet, & quidam ex eius intimis ſuaſiſſet, vt ſubditos clementèr tractaret. Nam *omnes*, inquit, *contra nos vociferantur: & ſi quid aduerſi nobis acciderit, omnes caſu noſtro lætabuntur*. Reſpondit ille: *Deus cor meum quemadmodum Pharaonis indurauit. Ne quid igitur à me bonum ijs eventurum expectato, qui in manu mea ſunt*. Accerſitis igitur undique legionibus, in Bulgariam profectus; *Crumo* genti imperante, principiò ſecundâ fortunâ vſus eſt, vt & aulam illius caperet (ſic enim Bulgari ſui Principis habitationem appellabant) & conclauibus vt ſuis, ſigilla imprimerent, & multos ſuorum, ob ſpoliorum rapinam mulctaret. *Crumo* autem fractis animis ſupplicante, vt genti parceret, & quibus ipſe vellet conditionibus pacem daret, ſucceſſu elatus nullas conditiones admiſit. *Crumus* igitur deſperatis rebus, ſibi iam de ipſâ vitâ dimicandum ratus, coactis ſuis copijs, eaſque cohortatus, caſtra Romanorum noctu inuadit, omnibus ſine excubijs dormientibus (neque enim in tantâ deſperatione vnquam auſuros ſecum barbaros congredi putabant) ſtatim in tabernaculum Imperatoris facto impetu, *Nicephorus* occiſus eſt: quo autem pacto, ignoratur. Fertur enim à ſuis ex odio per inſidias interfectus, ſiue cædem hominis peſtilentis auſpicatis, ſiue à Barbaris inchoatam executis. Eſt & *Stauratius* eius filius inter humerum dexterum, & iugulum vulneratus, cæſique ſunt multi viri excellentes, multi magiſtratibus præditi, multi Duces, & dignitatibus illuſtres, gregarij verò milites, Imperatorij Comites, alijque miniſtri innumerabiles. Caput *Nicephori* præciſum, crucique affixum ſpectaculo, & deſpicatui fuit, deindè os cranij nudatum argento incluſit, iuſſitque principes Bulgarorum ex eo bibere, atque inſultare *Nicephoro*, vt inexatiabili, & pacem detrectanti. Romanorum interitu, & Imperatoris cæde Byzantij nunciatâ, luctus vbique magnus fuit, cæſorum neceſſarijs eiulantibus. Calamitatem autem leuabat Imperatoris interitus, quo omnes lætabantur. Regnauit homo peſſimus annos nouem. *Stauratius* filius acceptis multis vulneribus euadit, & Hadrianopolim peruenit, & ſuccedit in imperio: verùm cùm ineptus eſſet

ad res gerendas, *Michael Curopalates*, qui gener erat *Nicephori*, eligitur Imperator die 5. Octobris,& imperat anno vno,& menſibus ferè decem. *Zonar.Cedr.Miſcell.*

ANNO CHR. 812.

HEMMINGO Danorum Rege defuncto, *Sigifridus* nepos Godefridi, & *Anulo* de ſucceſſione acie decernunt, pereunt ad duodecim millia Danorũ,& vterque in prælio cadit,Succedunt itaque fratres duo *Herioldus*,& *Raginfredus*.Annal.Fuld.

ANNO CHR. 813.

IMIN Amiras Saracenorum, qui luxui deditus fuerat, & iam annos quinque imperarat, trucidatur à fratre ſuo Hegiræ 198. Succedit ipſi in Babilone *Maimon* annos natos 28. ſcientiarum, doctorumque hominum ſtudioſiſſimus,qui multos libros ex Græco ſermone in Arabicum conuerti curauit, & imperauit annis 26. *Abrah.Zac.*

ANNO CHR. 820.

LEO ARMENVS ex Orientis Duce Byzantinus Imperator paulò ante exceſſum *Caroli Magni* factus eſt,*Michaele Curopalate* cœnobij clauſtra ingreſſo. *Crumum* Bulgarorum Principem, tot Imperatorum ferocientem cladibus, magno prælio deuicit, ſagittâque ictũ penè interfecit.Verũ cùm *Michael Balbus*, Dux bonus in militiâ, imprudentiùs ſæpius locutus de Imperatore *Leone*, in periculo vitæ multoties fuiſſet, tandem cũ aliquibus de tollendo Leone Imperatore;ſed proditâ re capitur,veſpera NatiuitatisChriſti,quẽ Leo eâ ipsâ veſperâ,ſe inſpectãte viuũ comburendum decernit, ſed intercedit coniux Auguſta,vt ſupplicium differatur; in compedes igitur compingitur, quarum claues Imperator ipſe ſibi ſumit. *Michael* petit ſibi Sacerdotem adiungi, per quem ſocios coniurationis monet, vt pergant, aut ſe omnes proditurum: qui anxiè conſultauerunt, quomodo & ſuam, & *Michaelis* iam in extremo de vitâ ſuâ periculo verſantes ſalutem conſeruarent. Tandem conſilium componitur,quod

&

& ipſos incolumes reddidit, & Michaeli cum vitâ imperium parauit. Coniurati igitur ſe permiſcentes ijs qui circa tertiam noctis vigiliam in templum pſalendi causâ progrediebantur, pugionibus ſubter alas occultatis, vnâ intrabant, abditique in obſcuro templi loco teſſeram expectabant. Hymno abſoluto, venit etiam Imperator, ac pro more ſuo voce grandiore intonauit carmen.

Spreueri ſummi cuncta amore principis:

Tum coniurati confertim impetum dederunt, qui eos initio per errorem in cleri Magiſtrum tulit, ſiue quòd is corpore Imperatori ſimilis erat, ſiue quòd caput ſimili veſte velauerat; erat enim eo tempore magnum gelu, ideòque quiuis caput ſuum denſiore pileo tectum non denudabat. Sed is quidem pileo capiti detracto, oſtensâ caluitie, periculo ſe ſubtraxit. Imperator inſidias ſentiens, in penetrale altaris ſe ſubduxit, dereptâque thuribuli catenâ, aut (vt alij perhibent) diuâ cruce, ictus percuſſorum excepit. Verùm ij non ſinguli, ſed facto cuneo irruentes, alius capiti, ventri alius, alius alij corporis parti plagas intentabant. *Leo* aliquandiu cruce ſe defendit, ictibus gladiorum repulſis, donec feræ inſtar vndequaque impetitus ſuccubuit. Tandem quendam immani corpore gigantis ſimilem inferre ictum cernens, obſecratus eſt, vt ſibi parceret. Fuit nobilis iſte Crambronitarum ſtirpe oriundus, ac dicens non iuramentorum eſſe hoc, ſed cædis tempus, graui ictu manum *Leonis* clauiculâ abſcidit, ſimulque cornu crucis: tandem vulneribus victo, & ad terram ſubſidenti, quidam caput amputauit. Hunc finem vitæ ſortitus eſt *Leo* menſe Decembri, horâ noctis propè decimâ, cùm imperium annos ſeptem, menſes quinque geſſiſſet: & maiori quàm vllus anteceſſorum crudelitate, atque impietate vſus, diligentiam in republicâ procurandâ, inque rebus bellicis fortitudinem ſuam obſcuraſſet. Aiunt vocem quoque cœlitus ſtatim editam, quæ lætum de eius morte nuncium multis patefecerit: ac nauicularios quoſdam, qui eam audiuiſſent notato tempore, & nocte eâ, ratiocinando eam veracem deprehendiſſe. Interfecti *Leonis* cadauer percuſſores crudeliter per ſpolia in Circũ traxe-

xerunt, omnis metus vacui, quòd ſuis armis regiam vndequaque cinxiſſent. Aulâ quoque Auguſtam eiecerunt, cum quatuor filijs eius: *Sabbatio*, qui Imperator deſignatus *Conſtantini* nomen ſuſceperat, *Baſilio, Gregorio, & Theodoſio*: quos omnes in lembum impoſitos, in Protam inſulam auexerunt, ibi omnes caſtrati ſunt, & *Theodoſius* vitâ defunctus vnâ cum patre eſt ſepultus. At *Michael* cuſtodiâ liberatus, ita vt pedes adhuc in ferreis habebat compedibus incluſos (earum enim claues in ſinu *Leonis* aſſeruabantur) Imperatorio ſolio conſedit, eſtque ab omnibus, qui tum in palatio aderant Imperator ſalutatus, atque adoratus. Sub meridiem verò famâ iam vndequaque diſſipatâ, malleo per vim diffiſis compedibus, neque manibus ablutis, neque Dei metu in animum ſuum inducto, neque vllâ aliâ re, quam decebat fieri peractâ, ad magnum ſanctæ Sapientiæ templum prodijt, cupiens manu Patriarchæ coronari, & ab vniuerſo populo Imperator ſalutari, ſolis fidens coniurationis ſocijs, & *Leonis* percuſſoribus. Vtriuſque hic miretur aliquis peruerſitatem: *Leonis* quòd adeò nullum habuit ſui defenſorem de tot, tantiſque aſſentatoribus, qui tum omnes reptantium beſtiarum in morem in foramina ſe ſua abdiderant: *Michaelis* verò impudentiam, qui in ædem intraret, non vt homicida aliquis, aut carnifex ſanguine pollutis manibus, ſed veluti victor, ac qui palmam meruiſſet, eo facinore ſuperbiens cum quidem ciuilem ſanguinem non quouis loco fudiſſet, ſed ad ſacram aram, vbi quotidiè Dominicus ſanguis pro peccatis noſtris expiandis funditur. *Cedr.*

ANNO CHR. 821.

THOMAS quidam ſeruus, olim ſub *Irene* ob ſcelera profugus, ad Saracenos profugerat; vbi mentitus nobilitatem, & Muhamedicam religionem amplexus, ad magnas dignitates peruenit, & hac eadem ætate Armeniam, & Aſiam vaſtauerat, & omnes ferè reditus Imperatoris interceperat. Is hoc autumno inſtructus claſſe Conſtantinopolim terrâ, marique obſidet, vſque in Decembrem, vbi frigoribus coactus obſidionem

ſol-

Google

ſoluit. Sequenti anno iterum obſidet, & totâ æſtate vrget. Bulgarorum autem Rex, vt oſtenderet ſe pacem cum Imperatore verè colere, ipſe auxilia adducit Imperatori, & cum Thomâ pugnat, vincitque, & magnâ prædâ potitus, ad ſua redit. Imperator victum Thomam fugat, & fugientem inſecutus, Hadrianopoli includit, quam obſidet, & tandem menſe Octobri deditum capit, vnâ cum eius filio *Anaſtaſio*, quos truncatis pedibus, manibuſque lentis ſupplicijs enecat. *Cedr.*

ANNO CHR. 823.

POPIELVS Principes Polonorum patruos ſuos veneno per fraudem interimit, eoſque poſt inſepultos, vt inſidiatores vitæ ſuæ, proijcit. Sed ex cadaueribus mures enati ſunt, qui *Popielum*, & ambos eius filios, quos habebat, cum vxore deuorarent. *Hiſt. Pol.*

ANNO CHR. 832.

SANCTIVS Suprarbienſis Rex in Hiſpaniâ, à Mauris ingenti clade vincitur, & trucidatur, nullo relicto hærede. *Hiſt. Arnag.*

ANNO CHR. 833.

ALPINVS Scotiæ Rex, cùm annos tres regnaſſet, à Pictis in prælio capitur, & occiditur. Succedit *Kennethus* huius nominis ſecundus, qui regnat annos 24. *Buchan.*

ANNO CHR. 841.

ALBERTVS Comes, author diſſidiorum inter filios *Ludouici Pij* Imperatoris, ingenti prælio vincitur, & interficitur die 13. Maij. *Annal. Franc.*

ANNO CHR. 843.

LVDOVICVS Rex Germaniæ, Obodritos Wandalos rebellantes vincit, Regem nouum occidit, & totam regionem ſibi ſubijcit. *Annal. Fuld.*

AN-

ANNO CHR. 861.

METVCHAL Amiras in Baldach, cùm annis ſexdecim regnaſſet, à ſeruo Turcâ anno Hegiræ 247. interficitur, ſuccedit ipſi filius *Mutnazar* anno vno. *Zacut.*

ANNO CHR. 866.

BARDAS, qui totum imperium Orientis moderabatur, initio anni Cæſar creatus fuerat, quâ dignitate non parum ſe efferebat, & expeditionem inſtituebat in Cretam inſulam, quæ dudum à Saracenis occupata fuerat, vt eâ pellerentur, & Imperatorem *Michaelem* ſecum ducebat. Cùm verò in Phrygiam veniſſent, vbi Mæander fluuius ſe in mare exonerat, *Bardas* iubet caſtra fieri, ſuumque tabernaculum in colle erigi, Imperatoris verò, in valle ſubiectâ. Hoc facto, ij qui *Michaelem* contrà *Bardam* concitare ſolebant, vt optimo caſu oblatam commoditatem arripientes, calumniabantur, & conſilia contrà eum inita, vt exequeretur Imperator, inſtigabant. Cæſaris tamen potentia ingens inimicos turbabat, & ad audendum facinus ſegniores reddebat. Quippè & filius eius domeſtici ſcholarum gerens munus *Antigonus*, reliquos exercituum duces ſibi obſequentes habebat: & *Symbatius* dromi Logotheta *Bardæ* gener, haud dubiè ab ipſius ſtare partibus credebatur, nam ignorabant eum à *Michaele Bardæ* furtim ſublatum, adeò ſocero mortem moliri, vt nemini alteri quàm ipſi teſſera facinoris ſit credita. Proindè *Symbatius* ſimul & acta retulit, & faciem ſuam cruce ſignans, inferendæ Bardæ cædis ſignum dedit. Cùm autem coniurationis ſocij cunctarentur, quia ſectatores Bardæ coram adſtare videbant. *Michael* metuens ne illis tergiuerſantibus re detectâ, in ſe gladij ſtringerentur, miſſo ſuorum fidelium quodam, pollicitationibus eos confirmauit. Nihilominus tamen euaſiſſet Cæſar, adeò coniuratos metus deterruerat à facinore, niſi *Baſilius* Imperatoris, cui ſucceſſit deindè, cubicularius ad id peragendum ſe proripuiſſet, ſuoſque cohortatus eſſet, vt abiecto metu propoſitum exequerentur. *Bardas* cùm eos ſtrictis gla-

dijs

dijs in ſe ruere cerneret, mortemque ſibi impendere, ad Imperatoris pedes ſe abijcit, vndè abſtractum ij membratim concidunt, & genitalia eius conto præfixa per ludibrium oſtentant. Ortum ex eo tumultum ingentem, qui ipſum quoque Imperatorem in periculum conijciebat: *Conſtantinus* vigiliæ drungarius ſubito magnâ cum manu ſuperueniens, compeſcuit: Imperatoremque fauſtis acclamationibus proſecutus, iure interfectum *Bardam* affirmauit. Hoc pacto *Barda* ſublato, Imperator ommiſsâ Cretenſi expeditione Byzantium redijt. Cæterum *Michael* Imperator, cùm reipublicæ gerendæ imperitus eſſet, nec etiam liberos haberet, *Baſilium* Macedonem ſocium Imperij delegit, eumque Cæſarem creat, die 26. Maij in ipſo feſto Pentecoſtes. Hic *Baſilius* honeſtatis ſtudioſiſſimus erat, & *Michaelem* Imperatorem à rebus ſcurrilibus, quibus admodum addictus erat quantum poterat abducebat; ſed moleſtè id ferebant ſcurræ, ideò ſocietas hæc imperij diu ſtare non potuit. *Ced.*

ANNO CHR. 867.

MICHAEL TERTIVS Imperator Orientis, *Theophili* filius, puer cum *Theodora* matre imperat feliciter, quâ detruſâ in Monaſterium, ipſe in ſcurrilitates, & flagitia irruit: quapropter *Baſilium* Cæſarem oderat, propter liberiores admonitiones. Ideò ſcurram quendam regalibus veſtibus induit, & in ſenatum inducit, vultque vt eum Cæſarem faciant, & *Baſilio* imperium abrogent, ſed res impeditur. Conducit igitur quendam, qui Baſilium lanceâ traijciat, ſed & hic aberrauit. *Baſilius* igitur, cùm videret ſe viuente *Michaele* viuere non poſſe, præuenire potius voluit, quàm præueniri, & *Michaelem* per ſuos die 24. Septembris horâ noctis tertiâ, ebrium occidit, cùm regnaſſet cum matre annos quatuordecim, ſolus verò duodecim. *Cedr.*

DANI, qui hyemarant in Angliâ, Eboracenſem ditionem vaſtant, & Northumbri hanc cladem vlturi, magnâ clade vincuntur, occiſo Rege, & nouus ipſi conſtituitur Rex *Egbertus* die 21. Martij. *Reger.*

NORDMANNI in Gallias irrumpunt, quibus obuiam veniunt *Robertus* Andiæ Dux & Marchio; item *Ranulphus* Aquitaniæ Dux, eoſque repellunt, & in templo concluſos obſident. Obſidentes propter æſtum arma ferè depoſuerant, dum Nordmanni eruptione pugnant, & Duces ambos interficiunt, quo facto Franci recedunt, & Nordmanni cum prædâ abeunt. *Regin.*

ANNO CHR. 869.

ELMVSTEIN à Turcomannis occiditur anno Hegiræ 255. cui ſuccedit *Mutadi* filius, qui regnat tantùm annum vnum. Eodem anno Turcomanni Regem Ægypti, & omnis Syriæ faciunt *Tolonem*, qui regnauit annis 15. *Zacut.*

ANNO CHR. 870.

EDMVNDVS Orientalium Anglorum Rex, cum Danis Angliam vaſtantibus prælio congredi auſus, vincitur, & ex templo, quo confugerat extrahitur, ad arborem ligatur, & iaculis configitur, die 20. Nouembris. *Weſtm.*

ANNO CHR. 874.

CONSTANTINVS Scotiæ Rex, collecto exercitu pulſurus Danos, vincit eos quidem, ſed cùm eos iniquo loco coactos pellere conaretur, ipſi ex deſperatione pugnantes Regem trucidant, cùm annos ſexdecim regnaſſet. Succedit ipſi frater *Ethus*, qui tantùm regnat anno vno. *Buch.*

ANNO CHR. 877.

CAROLVS CALVVS V. Germanorum Imperator, filius *Ludouici Pij*, & *Iudithæ*, violenter, & doloſè imperium occupauit: *Ludouico* enim ſecundo ſine maſculo hęrede defuncto, quam primùm de Imperatoris fratris ſui Germanici obitu cognouiſſet, exercitu comparato tranſijt in Italiam, vt imperium Germanis ereptum transferret ad Francos. Quâ re animaduerſâ, *Ludouicus* Germanicus, ne ſibi quoque defuiſſe videretur,

Digitized by Google

tur, *Carolum* poſteà *Craſſum* dictum, & *Carlomannum*, filios ſuos magno cum exercitu miſit, vt Italiæ aditu eum prohiberent, quibus *Carolus Caluus* obuiam profectus humanitèr eos excepit, plurimos theſauros ipſis obtulit, promiſitque ſe nihil amplius tentaturum, ſed omnia *Ludouici* iudicio permiſſurum: atque ita filios *Ludouici* Regis Germaniæ eluſit, qui ad patrem redierunt. *Carolus Caluus* ergo Italiæ populos in ſua verba iurare fecit, Romamque progreſſus menſe Decembri in Natalitijs Chriſti Imperator proclamatus eſt. Nihil memoratu dignum tum in regno, tum in imperio geſſit. Ac auarus, crudelis & ambitioſus, ſuperbus & minax potiùs, quàm fortis fuiſſe dicitur. Plurima bella geſſit contra Britannos, contra *Pipinum*, & *Carolum* Reges Aquitaniæ, contra Nordmannos, & præcipuè contrà patrueles infelicitèr pugnauit. Cùm igitur poſt cladem acceptam ad colloquium Pontificis, Ticini habitum, veniſſet, *Carolomannus* patruelis ductis in Italiam copijs, illud perturbauit. Et *Carolus* haud confidens Italis, cùm per Alpes regredi vellet in Galliam, repentina febris illum inuaſit. Quâ re permotus *Sedechiam* Iudæum, medicum (quem mirè diligebat, cuique nimium fidei habuit) ſibi adhibuit, atque ex eius ſententiâ, præſentis remedij gratiâ puluerem quendam veneno infectum hauſit, & indè Ciniſium montem aſcendere cœpit. Vbi verò ad locum, qui Brios dicitur, venit, ingraueſcente morbi magnitudine, & veneni ſæuitie conflictatus, coniugem *Richildem*, quæ ad Mauriennam erat, acciuit, atque in eius complexu poſt vndecimum diem, quo venenum hauſerat, die 6. Octobris animam efflauit, cùm poſt parentem regnaſſet annis 37. imperaſſet annos duos. Exemplum daturus poſteris, quàm tuto, ac prudenter Chriſtiani valetudinem ſuam Chriſti hoſtibus committant curandam. *Sigon. Onuphr. Marian. Regin.*

ANNO CHR. 879.

LVDOVICVS BALBVS VI. Germanorum Imperator, filius *Caroli Calui*, & *Hermintrudis*, patris morte auditâ, Compendij cum *Richilde* Nouercâ, pridie Kalend. Decembris

Digitized by Google

conuenit,atque ab eâ tabulas patris accepit, quibus ille regnum ſibi Franciæ tradebat, & enſem S. Petri, per quem ſe Regem inſtituebat, & regiam veſtem, & coronam, & ſceptrum auro, gemmiſque pretioſis diſtinctum, atque ita magno Epiſcoporum procerumque conſenſu ſexto Idus Decembris Rex ab *Hincmaro* Remenſi Archiepiſcopo conſecratus, & coronatus eſt. Sed cùm imperaſſet annum vnum, & menſes ſex, in morbum lethalem incidit, quo ſæuiente (nam veneno infectum dicebatur) per fidos homines *Odonem* Epiſcopum, & *Albuinum* comitem, coronam, enſem, & reliquum ornamentum regium ad *Ludouicum* filium miſit, atque eum Regem conſecrari Franciæ iuſſit; neque ita multò poſt, quarto Idus Aprilis, in Paraſceue mortem oppetijt. *Sigon.P.Æmil.*

ANNO CHR. 882.

LVDOVICVS, & CAROLOMANNVS *Balbi* filij, poſt multas Procerum diſſenſiones, varioſque tumultus, Reges Galliæ ab Epiſcopis conſecrati ſunt, regnumque adminiſtrarunt annos ſex: Qui & *Boſonem* adſpirantem ad regnum repreſſerunt, & Nordmannos ad Ligerim fluuium magno prælio vicerunt: ſed neuter diu ſuperſtes fuit. Nam *Ludouicus* in venatione ſe oblectaturus, caſu vulneratus eſt. Dum enim aprum interficere tentat, à ſatellite, qui auxilium ferre volebat, in tibia vulneratur, ex quo vulnere die ſeptimo moritur, cùm ferè annos quatuor regnaſſet. *Carolomannus* in equo ludibundus dum refugientem domum puellam inſequitur, impetu equi intra humile oſtium illatus, corporis compagem ſoluit, anno Chriſti 886. Succedit ipſi filius *Ludouicus*, qui, quòd nihil ageret, nomen *Ignaui* accepit, abduxit tamen hic Monialem ex cœnobio, ſibique connubio iunxit. Supererat tamen adhuc frater *Carolimanni*, *Carolus ſimplex*, puer ſex annorum, qui ſuam portionem regni habebat, cuius tutor à Proceribus regni conſtituitur *Otto* Comes Andegauenſis Saxonicæ nationis. *P. Æmil. Aimon. Sigon.*

AN-

ANNO CHR. 886.

BASILIVS MACEDO, Græcorum Auguſtus, natione Armenius, ſed redactus cum parentibus ad extremam inopiam cùm Bulgari Hadrianopolim diriperent. Cùm igitur adoleſceret, parentibus relictis, ſolus Conſtantinopolim iuit: vbi miniſterijs, & induſtriâ ſuâ effecit, vt in aulâ reciperetur, in quâ fortitudine,& rerum agendarum dexteritate tantum promeruit, vt Cæſar à *Michaele* adoptaretur, & ſic cum ipſo imperauit annum vnum, & menſes quatuor, ſolus verò poſtmodum annos nouendecim. Quibus tranſactis, in venatione ingentem percuſſurus ceruum, zonam mirabili caſu ramis cornuum eius implicat, itaque raptatus confeſtim perijſſet, niſi aliquis Comitum diſſectâ enſe zonâ exemiſſet eum periculo. Qui ob id facinus, vt qui gladium ſtrinxiſſet in Imperatorem, cui ſalutem attulerat, capite truncatus pernitiem pro præmio tulit. Mox verò *Baſilius* inuerſis ex vulnere inteſtinis, cum cruciatu interijt. *Cedr. Zonar.* Succedit ipſi filius *Leo*, qui imperauit annos 25. & menſes tres.

ANNO CHR. 889.

ZVENDEBOLDVS Rex Lotharingiæ, filius nothus *Arnulphi* Imp. qui hactenus Galliam vndique vaſtarat, & ſubditos crudeliſſime habüerat, deſeritur à ſubditis, ſeſe ad Ludouicum conferentibus, & paulò poſt, die 13. Auguſti in prælio contra ſubditos trucidatur. *Regin.*

ANNO CHR. 905.

CONRADVS Comes Franciæ, filium ſuum in Galliam mittit, vt ibi tumultuantes compeſcat, ipſe Epiſcopum Vurtzburgenſem defenſurus, contrà *Albertum* Bambergenſem mouet; ſed hic occaſione ſumptâ *Conradum* improuisò obruit, & trucidat die 27. Februarij. *Ludouicus* Imperator cognatus *Conradi*, iratus *Alberto*, eum citat menſe Iulio, vt rationem reddat de tot commiſſis facinoribus: cùmque comparere nollet, eum in

ſuâ

ſuâ arce obſidet, ſed cùm vi nihil efficere poſſet, per *Hattonem* Archiepiſcopum Moguntinum, hominem verſutum, in fraudem illectum *Albertum* capit, & capite plectit, die 9. Septembris, & facultates eius in Fiſcum rediguntur. *Regin.*

ANNO CHR. 910.

LAMBERTVS Rex Italiæ, à Concilio Rauennati reuerſus, venationis causâ Marincum in nemus ſe contulit. Ibi cùm per aliquot dies aſſiduis venationibus intentus agitaret, *Adelbertum Bardonem* Lucæ marchionem montem cum diuerſis, & infirmis aduerſus ſe copijs ſuperare cognouit. Itaque vt erat prompti in omni re expediendâ conſilij, ne tempus in acciendo maiore domo exercitu tereret, ſtrenuos centum, quos ſecum in armis habebat, milites ſumpſit ac properè aduerſus hoſtem eduxit. Illi ex monte in campos ad Burgum S. Domnini digreſſi, nullo *Lamberti* ante explorato conſilio, nullis munimentis ante caſtris firmatis, cibo, ac potui largius indulſerunt, ac quieti indè, ac ſomno ſe, quaſi per ſummum ocium, tradiderunt. Quòd vbi *Lambertus* Placentiam profectus percepit, confeſtim ſilentio noctis vrbe exceſſit, ac raptim agmine acto alios immobiles, alios ſemiſomnos, pleroſque ad arma trepidantes oppreſſit. *Hildebrando* fugâ elapſo, *Adelbertus* in præſepio, cùm ibi fortè latitaret, eſt captus. Cui cùm ad ſe deductus eſſet, *Lambertus* dixit: *Ni mirum Berta vxor tua diuino tum afflata ſpiritu fuit, cùm ſe ſcientia ſua teipſum aut Regem, aut aſinum effecturum promiſit; nam quia Regem non potuit, aſinum ne mentiretur effecit, dum te ad præſepe confugere compulit.* Atque his dictis eum cum nonnullis alijs Papiam in cuſtodiam miſit, atque indè Marincum repetijt, vt de captiuis ſecreto à congreſſo hominum loco ſtatueret. Erat prçter cæteros cum eo *Hugo* Mangifredi filius, quem poſt patris necem ipſe omnibus honoribus colligendæ beneuolentiæ causâ erat complexus. Fortè autem accidit, vt inter venandum cæteris in diuerſas ſyluæ partes effusè, vt fit, equorum curſu perlatis *Hugo* cum *Lamberto* remanſerit, qui paternæ iniuriæ recordatus conſilium vlciſcendæ cepit, occaſionem nactus, quòd Rex

ad

Digitized by Google

ad quaſdam anguſtias, per quas aper impellendus erat, conſtiterat, atque labore, & expectatione diutinâ fatigatus paululum quieturus ſemetipſi cuſtodiendum commiſerat. Itaque ſomno ſtratum gladio percutere veritus, ne ſanguinis effuſio patratorem facinoris proderet, ceruici fuſtem infixit, atque ipſum effusè currentem equo præcipitaſſe, collumque fregiſſe diſſeminauit. *Sigon.*

EDVARDVS Angliæ Rex, occiſo Rege *Erico* Orientalium Saxonum, illud etiam regnum ſibi ſubiecit, & paulò poſt etiam regnum Merciorum, atque ita tota Anglia ſub vnius ditionem peruenit, niſi quòd Dani adhuc Northumbriam haberent. *Polyd.Virg.*

ANNO CHR. 922.

CAROLVS SIMPLEX Rex Francorum, cùm regeretur totus conſilijs *Haganonis*, hominis non adeò nobilis, à principibus deſeritur, qui eligunt Regem nouum *Robertum* Comitem Pariſiorum, qui à Remenſi Epiſcopo *Heriueo* Rex inungitur die 2. Iulij. Verùm ſequenti anno *Carolus*, aduocato Nordmannorum auxilio, ruptis inducijs, *Robertum* creatum Regem imparatum obruit, & occidit die 15. Iulij. Filius Roberti, cæde parentis irritatus, exhortatur ſuos, & victoriam *Carolo* extorquet. & paulò poſt *Herbertus* Comes Viromandenſis Regem *Carolum* ad ſe inuitat, & inopinantem in vinculis habet. *Aimoin.*

ANNO CHR. 924.

BERENGARIVS Italiæ Rex, à Veronenſibus, qui adhuc ſemper fidem ergà illum conſtantiâ ſummâ coluerant, nouo accenſis odio, inſidiatur, authore tanti ſceleris *Flamberto* quodam, cuius filium *Berengarius* è ſacro fonte ſuſceperat. Cuius rei cùm in ſuſpicionem *Berengarius* incidiſſet, homo, & naturâ, & ætate iam exactâ mitis *Flambertum* ad ſe vocauit, atque ita appellauit: *Si mihi tecum non & multæ, & iuſtæ amoris cauſæ intercederent, haud difficile credidiſſem, quod vulgi ſermone audio celebraturi, te meæ vitæ inſidias comparare. Nunc vt eis fidem non* ha-

Digitized by Google

habeo, ſic meminiſſe te volo, quantæcumque acceſſiones & fortunæ, & dignitates tibi fuerunt, eas te non potuiſſe, niſi meo beneficio, conſequi. Quare eo animo in me eſſe debes, vt vita mea in amore, & fide conquieſcat tua. Quod ſi à te mihi fidem præſtitam eſſe intellexero, faciam, vt in referenda gratia beneuolentiam experiaris meam. Atque his dictis aurum magni ponderis poculum ei porrexit, & addidit: *Amoris, ſalutiſque meæ cauſa, quod continetur, haurito; quod continet, tibi habeto.* Flambertus reſponſo, quod facile liberare Regem ſuſpicione poſſet, in ſpeciem dato, ab illo abijt, ac ſtatim ſocios, qui ſecum proximâ nocte illum conficerent, conuocauit *Berengarius* propè templum, vt ſolitus erat, in amœno potius, quàm firmo diuerſorio cubuit, neque cuſtodes, vt ab omnibus tutus inſidijs, vllos appoſuit. Sub lucem autem, cùm precandi causâ templum iuiſſet, *Flambertus* cum armato iuuenum globo irruit. Quorum vbi tumultum ſenſit *Berengarius*, procedens ad eos, *Flambertum* eminus vocat, & quid hoc tandem turbæ ſit, quærit. Iubet ille bono animo Regem eſſe, non enim hoc contrà illum, ſed pro illo ſtare, ac ſenſim armatos in medios iam progreſſum corripuit, ac romphęa à tergo percuſſum proſternit. Innocentia eius ex eo apparuit, quòd lapis ſanguine eius infectus nullâ vnquam ablutione purgari potuit. *Berengario* mortuo, *Milo* vrbis comes ſpectatæ virtutis iuuenis, quem ſibi Rex à puero educarat, cùm defendere vitam Domini ſui, quia non affuerat, nequiuiſſet, mortem ſaltem vlciſci ſcupiens tertio poſt eius necem die *Flambertum*, ſocioſque eius per vim cepit, ac ſtatim ſuſpendio interemit. *Berengarius* præcipuam tulit laudem iuſtitiæ, clementiæ, & pietatis; odio tamen populorum, ac perfidiâ fatigatus, vt ipſe nunquam quieuit, ſic alijs quotidianam mouendarum ſeditionum materiam præbuit: varijs rerum ſecundarum, aduerſarumque inuicem ſuccedentium caſibus rarum inter mortales inſultantis fortunæ ludibrium *Sigon.*

FROIOLA Rex Hiſpaniæ, homo libidinoſus & crudelis, occiditur poſt quam regnaſſet tantùm menſibus quatuordecim. Succedit *Alphonſus* filius *Ordonij*, qui regnauit annos 6. menſes 6. *Marian.*

AN-

ANNO CHR. 926.

ABARCA Rex Nauarræ & Vaſconum, cùm annis viginti regnaſſet, trucidatur in pugnâ contrà Conſtellanos; ſucceſſit *Garzias Sanctius*, qui regnauit annis quadraginta. *Marian.*

ANNO CHR. 941.

EBERHARDVS Palatinus, & *Giſelbertus* prædas agunt propè caſtra Imperatoris, & re benè geſtâ epulantur, ſed proditi à ſpoliatis agricolis, viginti tantùm equites Imperatoris in illos irruunt, *Eberhardum* trucidant, & *Giſelbertus* fugiens in Rheno ſubmergitur. Rex Galliæ pœnitens facti, pacem ab Othone petit, & mentionem inijcit ducendę viduæ *Gilberti*, quæ ſoror erat Imperatoris, idque perficitur paucis poſt menſibus. *Widich.*

ANNO CHR. 944.

LVDOVICVS Galliæ Rex aſperius ſe gerit contrà Principes ſuos, ideò in odium venit. *Herbertum* enim Comitem, qui patrem Regis *Carolum ſimplicem* captiuum habuerat, ſuſpendit, & *Wilhelmum* Rollonis filium, Nordmanniæ Ducem, ex inſidijs hoc anno occidit. *Malmeſb.*

ANNO CHR. 945.

CONSTANTINVS filius *Romani* Imperatoris Conſtantinopolim in Samothraciam relegatus, cùm ſæpius effugere vellet, occiſus eſt. *Cedr.*

ANNO CHR. 946.

EDMVNDVS Angliæ Rex in conuiuio per inſidias trucidatur, cùm regnaſſet annos 6. Succedit ipſi frater *Edredus*, qui regnat annos 9. & menſes 6. *Rog.*

Digitized by Google

ANNO CHR. 947.

HAROLDVS Danorum Rex arcem Sleſcienſem euertit, & Marchionem cum omnibus ſuis trucidat; hinc bellum Danicum ſequenti anno exoritur. *Crantz.*

ANNO CHR. 950.

LOTHARIVS Rex Italiæ, veneno petitus in phreneſim incidit, & moritur anno regni quarto: Vidua *Adelheidis* metuens *Berengarium II.* concedit ad *Axonem* comitem in arcem Canuſinam, quæ munitiſſima erat. *Berengarius* ibi eam obſidet, & tyrannidem exercet in totâ Italiâ. *Luitp.*

ANNO CHR. 954.

LVDOVICVS Rex Galliæ, cùm annos octodecim regnaſſet, dum forte lupum inſectaretur, equo excuſſus, moritur. Succedit *Lotharius* quintus Rex Galliæ, ex *Gerberga* ſorore Imperatoris, qui regnat annos 31. *Chron. Belg.*

ANNO CHR. 955.

CONRADVS gener Othonis Imperatoris, *Burchardus* gener Henrici Ducis Bauariæ, item Dux Sueuiæ, cadunt in prælio contrà Hungaros. *Witich.*

ANNO CHR. 960.

CONSTANTINVS Orientis Imperator, filius *Leonis*, & *Zoe*, religioſus erga Deum, & ſtudijs literarum deditus fuit. In regno autem adminiſtrando fuit ſegnior, iracundus & ſæuus in delinquentes: in pœnis ſumendis inexorabilis: vini auidior. In conferendis magiſtratibus, non dignos præturis, alijſque muneribus præficiebat, ſed minus bonos, ac potius improbos, & quos vel Imperatrix, vel cubicularius *Baſilius* commendabant, qui magiſtratus venales habebant. Ita fiebat, vt imperium non in omnibus benè adminiſtraretur. Imperatori autem ſtructæ ſunt inſidiæ, primùm à cubiculario *Theophane*: qui mul-

multos habebat conſcios, & Romanum è Protâ inſulâ. Deindè ab alijs, qui *Stephanum* Lesbo in Regiam reducere conabantur. Sed Imperator vtraſque deprehendit, ac inſidiatoribus ſupplicio affectis: Imperij cupidis diligentiorem cuſtodiam adhibuit. Interim *Romanus* eius filius, ex imberbi iam vir factus, poteſtatis ad ſe pertrahendæ cupiditate, vitæ patris, adiuuante vxore, inſidiatur, medicamento purganti, quod Imperator hauſturus erat, toxico clam admixto. Sed eo, cùm illi offerendum eſſet, ſiue diuinitus, ſiue fortuitò, maximâ ex parte effuſo, & exiguo, quod ſuperfuerat hauſto: doloribus quidem, & terroribus periculorum non paruis eſt conflictatus, vitæ tamen diſcrimen, quanquam ægrè, euaſit. Anno autem imperij decimoquinto in Olympi montem egreſſus eſt, per ſpeciem ſe ſe precibus monachorum contra Agarenos armandi, cùm reuera id ageret (vt referunt) vt *Theodorum Cyzicenum* conueniret, cum eoque deliberaret, quomodo *Polyeuctum* Eccleſiâ pelleret. Indè malè affectus in Regiam rediјt, nec multò poſt eſt defunctus, ſiue ex intemperiâ corporis, ſiue quòd probabilius eſt inſidijs filij repetitis. Vixit annos 54. menſes 2. *Zonar.*

ANNO CHR. 967.

SANCTIVS Legionum Rex, pomo medicato guſtato inficitur veneno, atque ita moritur, cùm regnaſſet annos duodecim. Succedit ipſi *Ranimirus* tertius puer quinque annorum, qui obtinet regnum annis quindecim. *Mariana.*

ANNO CHR. 968.

NICEPHORVS PHOCAS cogitur Orientis imperium inuadere, abdicatis *Romani* liberis; quo facto nuptias cum *Theophanone* celebrauit poſt annos quinque, quamuis *Theophanonem* prius vehementer deperiſſet, poſt, eius congreſſu abſtinuit, ſiue ex ſatietate, ſiue ex continentiâ. Nam vel in adoleſcentiâ parum procliuis ad libidinem fuerat. At illa Maritum, vel ob alienationem exoſa, vel de filijs ſollicita (quidam enim murmurabant, velle *Nicepherum* regijs pueris caſtratis, impe-

rium in fratrem *Leonem* transferre)clam cum *Ioanne Zimiſce* colloquitur, ſiue amore eius capta (nam formæ excellentiâ, & venuſtate, hominum oculos in ſe conuertebat) ſiue eum parem Nicephoro aduerſarium rata. Quidam etiam tradunt, eam conſueuiſſe cum illo, & homine contrà *Nicephorum* inſtigato, plauſtrum per ſe nutans, vt prouerbio dicitur, opportunè perculit. Nam *Ioannes* alioqui ſuccenſebat Imperatori, cui ex fratris inuidiâ, & calumniis ſuſpectus, à militari poteſtate ad ciuilem translatus fuerat, & Dromi Logotheta deſignatus, quam ipſe non poteſtatem, ſed graue ſupplicium iudicabat. Acceſſerat malis, quòd cùm in Themate habitaret, domi manere iuſſus erat. Ob hęc Ioannes iratus, cùm etiam à meritrice illâ irritaretur, quæ reditum ei iuſſu Imperatoris confecerat: regnum affectauit, illâ adiutrice: eodemque tempore ſuis neceſſarijs arcanum aperuit, & facinus aggreſſus, intempeſtâ nocte cum ijs lembo conſcenſo, ad regiam peruenit, quà mari auſtrino alluitur. Quò cùm ventum eſſet, ſportam demiſſam videt, in eâque cum ſuis à Theophanonis ancillis attrahitur. Habebat autem ſecum *Michaelem Burzem*, Imperatori, ob inconſideratam illam iram, infenſum, & *Leonem Abalantem*, & *Theodorum Nigrum*, quem ob colorem nigriorem *Azypotheodorum* vocabant, & alios duos. Igitur cubiculum Imperatoris ſine ſtrepitu ingreſſi (Nam id quoque *Theophano* confecerat) *Nicephorum* humi dormientem, quidam calcibus per contumeliam inſultans ſomno excutit, expergefactum ſeque attollentem lethaliter in capite vulnerat, quo ictu & corpus eius & animus grauiter eſt concuſſus. Ad *Zimiſcem* qui regio lecto conſederat, adductus, iam collabens, & vtrinque ſuffultus; cùm rogaretur quibus de cauſis ab eo vexatus eſſet? nihil reſpondit, ſed illum dumtaxat, *Iuua Domine*, clamauit. Iubet igitur *Zimiſces* coniuratos maxillas eius capulis gladiorum pulſando confringere, aut dentes elidere. Deindè quidam in tergum eius haſtam ita intorquet, vt per pectus elaberetur. Tumultu ab excubitoribus excitato (iam enim inſidias animaduerterant) caput modò defuncti, amputatum, per feneſtram oſtendunt, itaque illorum impetum comprimunt. Fertur

tur
Digitized by Google

tur *Nicephorus* paucis antè diebus tabellas in ſuo cubiculo inueniſſe inſidiarum indices. *Leo* frater Imperatoris nece illius cognitâ cum filio ſuo *Nicephoro* in magnam Eccleſiam confugit. Fuit hic Imperator cùm cæderetur, natus annos quinquaginta ſeptem, quorum ſex cum totidem menſibus regnauit. *Zimiſces* in Natiuitate Chriſti, cum non ſuâ manu, ſed per alios *Nicephorum* Imperatorem demonſtraſſet occiſum, Imperator coronatur, & *Nicephori* vxor in cœnobium relegatur. *Zonar.*

ANNO CHR. 975.

IOANNES ZIMISCES Orientis Imperator, cùm in multis prouincijs prædia frequentia, & fertiliſſima videret: rogauit cuius ea eſſent? Cùm *Baſilij* Cubicularij eſſe cognouiſſet, partim à *Nicephoro Phoca*, partim à ſe dum legionum domeſticus eſſet, partim ab alijs adiecta imperio, illique donata eſſe: indoluit, & iniquum eſſe dixit publicis poſſeſſionibus multorum præſtantium virorum ſudoribus, & ſanguine partis vnum ſpadonem perfrui. Ea verba per quendam nunciata, *Baſilium* ad comparandas Imperatori inſidias impulerunt, ac veneno temperato, non illo quidem efficaci & celeri, ſed lento & tabifico, largitionibus pincernam Imperatorium corrupit, vt id calici Imperatoris infunderet, quo ille hauſto, paulatim habitudine corporis proſtratâ, tandem interijt. Imperij hæredibus relicto *Baſilio*, & *Conſtantino* Romani filijs, cùm annos ſex, totidemque menſes regnaſſet. *Zonar. Cedr.*

ANNO CHR. 979.

EDVARDVS Rex Angliæ, cùm annos tres, & menſes octo regnaſſet, menſe Aprili poſt Paſcha, cùm venatum exijſſet, & non procul à Nouercæ ſuæ caſtro abeſſet, eò ſolus venit, vt ſitim leuaret: illa ſitienti ſtatim venenum præbuit, & miſit adhuc qui ipſum trucidarent. Succedit ipſi frater *Edelredus*, qui regnat annis 73. & à Danis vndique bello affligitur. Hic in Baptiſmo alter *Conſtantinus* aquam excrementis ſuis inquinauerat. *Malmesb.*

ANNO CHR. 980.

HARALDVS Danorum Rex, à filio ſuo *Sueno*, vel *Suueinbello* petitur bello, qui diutius viuere videretur, quàm par erat. Abnegauerat autem *Suenus* Chriſtianam Religionem, & ſe dediderat Ethnicorum ſuperſtitioni, quorum plurimi adhuc erant in regno, atque ille eos ſibi ſocios belli fecit, & in pugnâ parentem vincit qui etiam vulneratus eſt periculoſiſſimè, & paucis poſt diebus in feſto omnium Sanctorum, mortuus eſt, cùm regnaſſet annos 50. Sed hoc parricidium Deus ita vltus eſt, vt filius paucos poſt annos regno eijceretur, & totis annis quatuordecim exularet. *Adam.*

ANNO CHR. 953.

OTHO II. Occidentis Imperator XIII. filius *Othonis I.* cognomento *Magni*, & *Adheleidæ* à *Lothario*, Italiæ Rege viduæ relictæ, Patre defuncto, Rex iterum à Principibus, & Populis acclamatus, imperium indè quod cum patre geſſerat, ſolus exercuit, ac populis,& principibus expoſcentibus patris confirmare beneficia inſtitit:& quemadmodum patri in imperio ſucceſſit, ſic etiam paternæ virtutis æmulus fuit. Nam imperium ſummâ cum laude adminiſtrauit, & Eccleſiæ, Reipublicæque ſalutem ſummo ſtudio quæſiuit. Vndè *Sabinus* de eo tecinit.

Non fuit inferior Primò *virtute* ſecundus;
Multa domi geſſit prælia, multa foris.

Hoc ſolùm inauditę crudelitatis exemplum de eo narratur,quòd cùm *Romanos Principes*, & alios in Italiâ proditionis ſuſpectos, è medio tollere vellet Imperator, conſilium crudele magis, quâm laudabile iniuit. Quippè magnifico, ac ſplendido parato in Vaticano conuiuio Principes,ac legatos ciuitatum omnes, qui celebrandi eius aduentus gratiâ Romam de more conuenerant, ac iuſſi ab eo aderant, inuitauerat. Vbi autem cuncti accubuerunt, præconis voce, ne quis ad ea, quæ audiret, videretque, aut vocem emiſiſſe, aut ſedem ſuam mouiſſe vellet, pœnâ capitis indictâ, denunciatum eſt: Ac ſtatim conuiuæ omnes, intro-

tro-

tromiſſis armatorum caterujs ex compoſito circumueniti, trepidantibus ad tale ſpectaculum ſingulis, deinceps nomina eorum, qui ſeditionem mouerant, aut proditionis conſcij erant, recitata: ac triſtibus de illis pronunciatis ſententijs, inſpectantibus cæteris, vltimum ſupplicium ſumptum eſt. In reliquis conuiuium mirâ comitate, ac liberalitate confectum eſt. Ex eo indè *Othonis* cognomen *ſanguinarij* inditum. Intereà magnæ ex Franciâ, Germaniâ, Tuſciâ, Lombardiâque copiæ accitæ aduenerant. Quibus ad Romanas legiones adiunctis, vrbe egreſſus, Neapolim, & Beneuentum acceſſit, atque ibi firmâ aliâ Beneuentanorum, Capuanorum, Neapolitanorum, & Salernitanorum manu aſſumptâ graue cum Græcis, & Saracenis in Apuliâ bellum iniuit, ac multas res proſperè geſſit. Sequenti verò anno Tarento digreſſus ad quod 17. Kalend. Aprilis caſtra habuit, ad oppidum Calabriæ proceſſit nomine Baſentellum. Ibi ardentibus pugnandi cupiditate militum animis, Idibus Iulijs cum occurrentibus Grçcis, & Saracenis atrox prælium eſt commiſſum. Romani, & Beneuentani, vbi certamen de ſummâ rerum imminêre viderunt, ſtatim hominis crudelitatis memores à ſignis receſſerunt, atque *Othonem* valido prçſidio nec opinantem nudarunt. Ita exercitus eius ancipiti terrore perculſus inſtantibus hoſtibus facilè non ſolùm fuſus, fugatuſque, ſed etiam fœdiſſima ſtrage conciſus eſt. *Landulphus* & *Atenulphus* Capuæ Principes (nam *Pandulphus* pater veniente in Campania Othone perierat) *Otho* Dux, *Enricus* Auguſtanus Epiſcopus, & *Vernerus* Abbas Fuldenſis cum alijs Principibus, Epiſcopis, & Abbatibus plurimis in acie ceciderunt. *Otho* ex prælio trepidus vix incolumis ad mare profugit, cuius equus valdè vulneratus erat: ſed non agnitus cùm abiectis ornamentis Imperatorijs, & loricâ, pro mercatore ſe gereret, perſoluto lytro, & beneficio Græcæ linguç, quam didicerat, euaſit. Igitur Imperator in tanto vitæ periculo ſeruatus celeriter copias, quantas potuit, comparauit, & renouato bello, Saracenos tantâ victoriâ vicit, vt *Pallida mors Saracenorũ*, diceretur: attamen ipſe Imperator in hac pugnâ ſaggittâ venenatâ vulneratus fuit, quo vulnere non diù poſt obijt, relicto filio

lio Othone imperij ſucceſſore, poſtquam imperaſſet annos decem, & menſes ferè ſex, ſepelliturque Romæ in atrio Templi D. Petri. *Sigon. Fabrit.*

ANNO CHR. 987.

LVDOVICVS Galliæ Rex, cùm ferè biennium regnaſſet, circa finem huius anni, veneno à coniuge ſua *Blancha* præbito, moritur adhuc iuuenis. Succedere huic voluit *Carolus* Dux Lotharingiæ, ſed cùm eſſet ex Germanorum principibus, reijcitur à pleriſque, qui *Hugonem Capetum* eligunt, indè bellum ciuile ortum. *Chron. Belg.*

ANNO CHR. 993.

ARNVLPHVS Hollandiæ Dux, cum Friſis primo Octobris die decertat, à quibus fugatur, & in fugâ trucidatur, cùm annis quinque præfuiſſet. Succedit filius *Theodoricus III.* qui præeſt Comitatus annis 46. *Beka.*

ANNO CHR. 1002.

OTHO III. Germanorum Imperator XIV. filius *Othonis II.* & *Theophaniæ*, licet puer cùm ad imperium eueheretur, tamen progreſſu temporis ſapientiâ ita creuit, vt propter admirandam ſapientiam, quæ ætatem ſuperabat, & res præclarè in imperio geſtas, ipſi honoris causâ hoc cognomen adderetur, vt *Mirabilia mundi* diceretur: Anno ætatis ſuæ trigeſimo, & imperij decimo nono, cùm Romæ tumultus varij excitati eſſent, ad eos ſedandos Romam proſecutus eſt, ſed ibi à coniuratis in Capitolio circumſeſſus in diſcrimen capitis venit, ac tandem egregiâ Hugonis Brandeburgici, (quem Imp. Hetruriæ, & Thuſciæ præfecerat) & Henrici Ducis Bauariæ induſtriâ, conditionibus ſimulatis euaſit. Imperator igitur iter in Germaniam apparauit, nouum exercitum collecturus, vt atrocitatem tanti facinoris vindicaret. Verùm vidua *Creſcentij* (quem Imperator rebellem ſuſpendi curauerat) cum quâ Otho familiariter conuerſari ſolebat, quæque ſe Imperatricem futuram ſperabat, quòd Imperatore

to re in Germaniam reditum parante, videret, ſe ſpe coniugij excidiſſe, ipſi chirotechas affabrè factas, ſed veneno tinctas, ſimulatæ amicitiæ munus, miſit. Imperator cùm haſce chirothecas veneno infectas accepiſſet, illarum vſu, & contactu, adeò eſt infectus, vt puſtulæ liuidæ toto corpore pullularent, quibus tandem extinctus eſt die 28. Ianuarij ad Paternum in Italiâ. Corpus in Germaniam delatum, & inteſtina in templo Afræ, Auguſtæ Windelicorum condita ſunt, quorum ſepulchrum inſigni marmoreo monumento ornauit *Fridericus* tertius Elector Saxoniæ, cum hoc Epitaphio.

Romani Imperij decus amplum tertius Otho,
Oſſa in Aquis-Grani hic viſcera clauſa tenet.

Succedit ipſi *Henricus Sanctus*, vel *Claudus*, qui imperauit annos 22. menſes quinque. *Sigon.Friſing.Ditmar.*

ANNO CHR. 1003.

ERHARDVS, Marchio Saxoniæ, qui arcem Ekhardibergenſem condiderat, magnæque authoritatis Princeps erat, ambit imperium, idque vi ad ſe rapere contendit. Sed dum omnia vi agit, à ſtatibus imperij deſeritur, & proſcribitur, interficiturque die 30. Aprilis. *Fab.*

ANNO CHR. 1014.

BERINGERVS Comes Ballenſtadius rapit *Reinhildin Beichlingiam* orbam, ſed commendatam; in ipſo raptu grauiſſimè vulneratur, & eâ de cauſâ moritur. Imperator deliberat de pœnâ in corpore ſumendâ, ſed concluditur tandem, cùm probari non poſſet, eam inuitam raptam, vt honeſtè ſepeliatur. *Fab.*

ANNO CHR. 1015.

ERNESTVS Dux Sueuiæ, feriâ ſecundâ Pentecoſtes, die 30. Maij venatum abit, & caſu infauſto ab *Alberone* Comite in feram telum torquente traijcitur, cùm vulnus lethale eſſet, vxorem iubet ſalutari, & Alberoni ignoſci. Ipſe cùm Sa-

Digitized by Google

çerdos non adeſſet, ſuos aduocauit, & præſentibus omnibus confeſſionem peccatorum ſuorum edit, cùm mallet coram multis erubeſcere, quàm coram Deo reus apparere. *Annal.Sueu.*

ANNO CHR. 1017.

IOANNES Bulgariæ Dux, licentiam conſecutus à *Baſilio* Imperatore, ad oppugnandum Dyrrachium barbarico cum faſtu proficiſcitur: & inito prælio ſternitur, & trucidatur, incertum à quo: cùm imperaſſet Bulgaris annos duos, menſes quinque. Reliqui hoc caſu conſternati ſe dedunt, & Græciâ excedunt: *Baſilius* ita in Bulgariam venit, vniuerſa potitur, theſauris etiam Regum, quos militibus diſtribuit, & hunc, ac ſequentem annum in eâ ordinandâ conſumit. *Cedr.*

ANNO CHR. 1026.

OLAVS Rex Noruegianorum, à ſuis ob ſimplicitatem repudiatur, qui *Cnutum* Danię & Angliæ Regem ſibi expoſcunt. Hic cum quinquaginta nauibus adueniens, *Olaum* regno eijcit, & ita Noruegiæ etiam regnum occupat: *Olaus* paulò poſt cùm regnum recuperare conaretur, à ſuis occiditur. *Rog.*

ANNO CHR. 1027.

ALPHONSVS Rex Legionum in Hiſpaniâ, cùm annos 28. regnaſſet, dum bellum infert Saracenis in Portugalliâ, ſagittâ vulneratur, & moritur die 7. Maij, æræ Hiſp. 1065. Succedit filius *Veremundus*, qui regnat annos decem. *Marian.*

ANNO CHR. 1029.

GARSIAS Caſtellę Comes Iunior in ipſis nuptijs die 13. Maij trucidatur, cui ſuccedit *Sanctius* Rex Vaſconũ & Nauarræ. Huius Sanctij filius poſteà fit hæres regni Legionis, & ita regna Hiſpaniæ ferè ad hunc vnum relata ſunt. *Marian.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1030.

ERNESTVS Dux Alemaniæ, dum Imperator in Hungariâ eſſet, Ducatu pulſus, vaſtam Imperatoris *Manegold* cladem vlturus ſe ſe *Erneſto* opponit, ſed in velitatione vterque cecidit, factum die 19. Auguſti. *Wipp.*

ANNO CHR. 1034.

ROMANVS ARGYRVS Orientis Imperator, Conſtantini gener, cùm *Conſtantinus* ægrotaret oblata ei fuit hæc conditio, vt vel vxorem ſuam dimitteret, & filiam Imperatoris vxorem duceret, & Cæſar fieret, aut oculos ſibi erui pateretur, ne rebellaret ſi alius hanc conditionem acciperet. Hæſitante eo, vxor marito metuens, vltrò comam poſuit, ac ſæculo renunciauit; viroque, & oculos ſeruauit, & imperium parauit. Mortuo Conſtantino, *Romanus* præter omnem ſpem, atque expectationem oculorum amittendorum periculo euitato, Imperator cum *Zoe* Auguſtâ filiâ *Conſtantini* factus, initio imperij bonis ac laudabilibus orſis ſubditos demeritus eſt, regnauitque annos quinque, & menſes ſex, poſt quos morbo lento correptus eſt, capitis & barbę pilis defluentibus: veneno, vt aiunt, ei ab *Ioanne* propinato, qui deindè pupillorum alumnus factus fuit. Is *Ioannes*, cùm etiam antequam Imperator fieret, *Romano* inſeruijſſet, rerum eo potito plurimum nactus fuerat potentię. Erant ei fratres, *Michael, Niceta Conſtantinus*, & *Georgius*. Ioannes, Conſtantinus, ac Georgius Spadones erant, & circulatoriam exercebant artem. Nicetę integro, iam prima ſuccreſcebat lanugo. Michael virilem attigerat ętatem formoſiſſimus homo: vterque argentariam faciebant, & argentum adulterabant. Hi omnes in familiaritatem Imperatoris, operâ *Ioannis* peruenerant: eoſque fortuna, vt de imperio, quod in ipſos erat translatura præmoneret, ad magnam euexerat potentiam, nam & reliqui diuerſos geſsêre magiſtratus, & Michaëlem Imperator Pantheo præfecit. Huius Michaelis diro, atque inſano amore correpta *Zoe*, arcanis colloquijs in adulterij cum eo conſuetudinem peruene-

rat: vtque hunc *Romanum* abſque vllâ flagitij ſuſpicione amolita, Imperatorem crearet, maritum venenis, non ijs celerem adferentibus interitum, ſed lentiſſimis, ita confecit, vt is duriſſimis excarnificatus morbis miſerandam toleraret, atque traheret vitam, decumbens in lecto, nihilque aliud quàm mortem optaret. Durauit vſque ad diem 15. Aprilis, quo die ſanctæ magnæ quidem feriæ erat ſolemnitas. Ibi *Romanus* cùm Senatoribus dona (rogam vocant) diſtribuiſſet, & ſe lauandi causâ in magnum Palatij balneum contuliſſet, miſerè ſuffocatus eſt in ſolio balnei à *Michaele*, & ſocijs eius. Eâdem nocte cùm ſacra Paſſio caneretur, Patriarcha *Alexius* quaſi iubente *Romano*, in palatium vocatur, quo cùm veniſſet, mortuum *Romanum* inuenit, & *Zoe* aureo triclinio exornato in ſuggeſto ſedens, *Michaele* producit, & à Patriarchâ contendit, vt hunc ſibi maritum ſacrâ comprecatione copulet. Attonito, & voce oppreſſâ hærenti, *Ioannes* ac *Zoe* quinquaginta auri libras, totidemque Clero largiuntur, ita Patriarchæ perſuaſum, vt matrimonium hoc conſecraret. Hoc modo interfectus *Romanus*, in monaſterio ſpectatiſſimo à ſe condito ſepelitur, ipſo magno Paraſceues die. Verùm hoc imperium vtrique malè ceſſit. Nam *Michael* animo ita motus fuit, vt pro imperio nihil agere poſſet; fratres enim habuit binos, *Ioannem*, qui Imperatoris partes egit, & *Zoam* Imperatricem planè à gubernatione remouit, & *Ioannem* alterum, qui hoc anno Antiochiam cum exercitu mittitur, vbi cùm ad nutum receptus eſſet, centenos viros primarios vrbis contrà iuſiurandum crudeliter occidit. *Cedr.*

ANNO CHR. 1035.

SANCTIVS Maior Caſtellę Rex, cùm annos 34. regnaſſet, trucidatur die 19. Octobris. Diuiſerat autem regnum Hiſpaniæ ſuis filijs quatuor ęqualiter, at hi æmuli magnitudinis paternæ, dum quiſque alterius ditiones ambit, infinitis malis regnum inuoluunt. Regnauit autem *Ferdinandus* annos 30. *Garzias* annos 18. *Ranimirus* in Aragoniâ 32. *Marian.*

AN-

ANNO CHR. 1037.

ODO Rex Burgundiæ, cùm Lotharingiam vaſtaret *Gozelo* Lotharingius Imperatori fidelis collecto exercitu eum reprimit, & conſerto prælio apud Barum interficit. *Wippo.*

ANNO CHR. 1038.

VEREMUNDVS Rex Legionis, ſuperiori anno bellum intulit *Ferdinando* Caſtellæ Regi, & trucidatus fuit. *Ferdinandus* igitur totum Legionis regnum cum vrbe occupat, & inauguratur Rex, regnauitque indè annis 28. menſibus 6. *Marian.*

ANNO CHR. 1042.

MICHAEL CALAPHATES à *Zoe* adoptatus, fit Imperator Orientis, æquis tamen conditionibus intercedentibus, nempe vt eam ad mortem vſque pro Dominâ, & matre agnoſceret, & pro ſuâ voluntate, quæ fieri vellet, aut iuberet, ſineret. Hoc pacto illa adoptiuum filium diademate imperatorio redimiuit: prius tamen ſummoto *Orphanotropho*, & in monaſterium Monabatarum relegato. Verùm eâdem horâ, quâ diademate eſt ornatus, obortâ vertigine, & tenebris, parum abſuit quin concideret, vixque eſt refectus vnguentis aromatibus, alijſque rebus odoratis. In imperio firmatus, à promiſſis *Zoe* ſubitò corruit. Nam literis *Orphanotrophi*, & domeſticorum conſilijs corruptus, hortantium ipſum, ne Auguſtæ nimium fideret ſed caueret ne auunculi *Michaelis* Imperatoris, & *Romani* modo tractaretur, quos illa veneficijs ſuſtuliſſet, ſuadentiumque, vt eam quacumque ratione è medio tolleret, daretque operam ne anteuerteret ipſa: continuis eorum de hac re exhortationibus eò tandem adactus eſt, vt inſidias matri *Zoe* pararet. Statuit primò ciuium animos tentare, vt ſi eos ſibi fauere intelligeret, ac conſtanter in ſe eſſe propenſos, rem aggrederetur: ſi ſecus eueniret, ommitteret conſilium.

Digitized by Google

lium. Ergo ad diem qui à Paſchate proximus eſt Dominicus, populo publicum proceſſum in Apoſtolorum ędem imperat,hoc modo ciuium in ſe animos exploraturus. Venit ergo coronatus cum Senatu omnibus vrbanis ad id ſpectaculum accurrentibus: & ijs qui ad viam regiam habitabant, auream, & argenteam ſuppellectilem ex ædibus demittentibus, ac peplos & auro intextas veſtes, inque fauſtis acclamationibus certatim ipſum etiam animorum ſuorum ſenſum effundere cupientibus. Iis miſer iſte ineſcatus,atque omnia à ſummâ proficiſci beneuolentiâ putans, vt primùm in magnum eſt reuerſus palatium, Patriarcham in Monaſterium ipſius, quod erat in Steno, abire iubet, ſeque ibi in craſtinum expectare; donatum auri libras quatuor,quod nimirum ei breui eſſet ſucceſſorem conſtituturus. Noctu Auguſtam ſolio deturbat,& in Principum relegat: ijs qui abducebant mandato, vt eam raderent, atque ipſi crines afferrent. Die factâ relationem perſcripſit, eamque vrbis præfecto publicè populo recitandam in Conſtantini Magni foro mandauit. Scripta fuit in hanc ſententiam. *Zoen quam meo imperio malignam eſſe deprehenderam relegaui. Alexium cum ea ſentientem, Eccleſia amoui. Vos autem ſubditi mei, ſi in beneuolentia erga me perſtiteritis, magnos honores, atque beneficia conſequemini, vitamque tutam & placidam degetis.* Cùm audiente populo recitaſſet hæc præfectus, vox quædam extitit incerto auctore: *Nolumus Stauropatam Calaphatam Imperatorem habere, ſed parere Zoe, cui à maioribus imperium debetur iure hæreditario, matri noſtra.* Statim quaſi vnâ voce acclamatum eſt, effodiantur oſſa Calaphatæ, & arreptis, vt cuique ſors offerebat lapidibus, ſubſelijs, atque lignis,præfectum vrbis (erat hic *Anaſtaſius patricius*, quondam *Zoe* patris miniſter) interfeciſſent, niſi is fugâ ſibi ſalutem parauiſſet. *Zoe* verò rurſum imperium adepta, de ſorore *Theodora* ſummouendâ cùm cogitaret, multitudinis voluntati conceſſit, quæ hanc imperij conſortem volebat eſſe. Itaque etiam Theodora à magno Templo in palatium venit. Senatu etiam conuocato, *Zoe* pro concione ad Senatum primùm, deindè ad populum quoque è loco conſpicuo locuta, gratias, vt

par

par erat, eis egit pro ſuâ in ipſam beneuolentiâ,ac benè eſt præcata: tum quid de Imperatore fieri vellent, percontata eſt; ibi verò omnes vnâ voce exclamare, *Tollatur ſceleroſus*, *auferatur è medio flagitioſus, in palum ſuffigatur, in crucem agatur*, *excæcetur*. Ideò ipſi Imperatori oculos eruunt, & in cœnobium detrudunt die 24. Aprilis, vbi moritur, cùm imperaſſet menſes quatuor. Succedit in imperio aſſumptus in matrimonium Zoes *Conſtantinus Monomachus*, die vndecimo Iunij, & poſtridie coronatur,imperatque annos duodecim. *Cedr.*

ANNO CHR. 1043.

MANIACES, *Michaele Imperatore* mortuo, & *Calaphata* eius ſucceſſore exturbato, miſſus in Italiam, quanquam non eſſet ſatis iuſtis copijs inſtructus, artibus tamen Imperatorijs tantum confecit,vt & Francos Italiâ pelleret apud Capuam, Beneuentum, ac Neapolim, & res mediocri in quiete, ac ſecuritate conſtitueret. Habebat hic *Maniaces* in prouincijs orientalibus poſſeſſiones, & vicinum *Romanum Durum*,cum quo exercuerat inimicitias, & eum aliquoties, niſi fugâ ſibi cauiſſet, interfecturus fuerat. Poſtquam verò imperio Romano potitus eſt *Monomachus*, *Durus* quoque ad ſummam euectus fortunam (nam ab Imperatore, qui ſorore eius pro pellice vtebatur, magiſter protoſtrator factus fuerat) iniuriarum Maniacis memor, abuſus ſuâ potentiâ, & Maniacis abſentiâ, ditioni eius multa intulit damna, & thalamum eius polluit. De quibus *Maniaces* in Italiâ factus certior, magnas animo moleſtias iraſque agitabat. Cùmque opera *Romani* inſuper factum eſſet, vt magiſtratus ipſi abrogaretur, deploratis prorſus rebus (intelligebat enim reditum in vrbem non benè ſibi ceſſurum) concitatis, atque corruptis Italicis copijs, cùm iam deſiderio in patriam redeundi milites arderent, arma contrà Imperatorem mouet. Miſſum ergo ſibi ſucceſſorem Pardum protoſpatharium hominem Byzantinum, neque vllam ob præſtantiam, ſed quia notus erat Imperatori, tantæ prouinciæ præfectum interfecit. Ipſe diademate, & reliquis imperij ſumptis inſignibus Imperator ſalutatur: exerci-

ci-

cituque in naues impoſito, in Bulgariam traijcit. Imperator poſtquam de hoc reſciuit, non leuiter perturbatus, litteras ad eum mittit, in quibus ipſi, & quos ſecum habebat impunitatem & multa beneficia pollicetur; cùm à propoſito ille non dimoueretur, ipſe quoque ſuas copias contrahit, & eas Duce *Stephano Sebaſtophoro* (ideſt Auguſtifero) qui ipſi ad Damocraneam lætum delati imperij nuncium attulerat, contrà perduellem mittit. Concurrerunt aduerſi exercitus apud Oſtrobum in Marmario: fuſæque Stephani copiæ ſunt, ipſo Maniace primos ducente, & hoſtium ordines diſijciente. Iamque vniuerſi eum Imperatorem fauſtis ominibus ſalutabant, cùm ſubitò equo delapſus, expirat, non extante vulneris authore, quod in pectore lethale acceperat. Quòd ſimul atque innotuit Imperatorijs, caput Maniaci amputatur: & qui ab ipſius partibus ſteterant, amiſſo duce, abiectis armis deditionem fecerunt. Confeſtim ad Imperatorem nuncius victoriæ mittitur. Aliquot diebus poſt *Stephanus* in vrbem redit, afferens caput *Maniacis*, & bello victos, quos in triumpho duxit per mediam plateam, aſinis inſidentes, prælato in haſtâ capite *Maniacis*: & ipſe albo equo vehens, pompam eſt ſubſecutus. *Cedr.*

ANNO CHR. 1046.

PETRVS Hungarorum Rex à ſuis in venatione capitur, excæcatur, & à regno deponitur. Poſt hæc alium ſibi eligunt Regem, *Andream* nomine, & omnes, quos ſtuduiſſe ſciebant *Petro*, interficiunt, ita trucidati ſunt Epiſcopi, & Clerici. *Andreas* verò ſibi metuens ab Imperatore, Legatos mittit in Italiam, qui Imperatori haſce turbas ſignificent, & ſuam obedientiam ipſi promittant; Legati iubentur ire in Germaniam, & eius expectare aduentum. *Spang.*

ANNO CHR. 1048.

THEODORICVS Comes Hollandiæ vocatus Leodium ad haſtiludium, cum multis ſuorum venit, & caſu interficit fratrem Epiſcopi Colonienſis, qui vt cædem vlciſceretur, aſ-

ſum-

ſumptis auxilijs Brabantiam vaſtat, & Dordracum occupat. Comes vrbem noctu recuperat, hoſtes expellit, & fugat, ſed dum incautiùs obambulat, vulneratur ab hoſtibus, qui adhuc latebant in domo quadam, ex quo vulnere mortuus eſt die 15. Maij, cùm præfuiſſet annis nouem. Succedit frater *Florentinus*, qui eundem gubernat annis 13. *Chron. Belg.*

GODEFRIDVS Lotharingiæ Dux, bellum gerit cum Imperatore, & *Albertum*, quem Imperator Moſellanorum Ducem fecerat, occidit. Sed Imperator Alberto ſubſtituit *Gerardum* Elſatienſem, & Lotharingiæ Ducatum dat Friderico Lutzelburgenſi. *Annal. Fland.*

ANNO CHR. 1053.

GARSIAS Rex Vaſconum in Hiſpaniâ infert fratri ſuo *Ferdinando* bellum, in quo vincitur, & trucidatur. *Marian.*

ANNO CHR. 1056.

HENRICVS TERTIVS, cognomento *Niger*, XVII. Germanorum Imperator, filius *Conradi II.* & *Giſelæ*, iuſtitiæ ſeuerus adminiſtrator extitit, & inter cæteras virtutes *Henrici*, pietas, liberalitas, clementia, heroica fortitudo, & in rebus gerendis induſtria, ſeu ſolertia, maximè commendatur. Verùm anno ætatis 39. imperij 17. cùm exercitum contra Sclauos Luſitanos miſiſſet, magnâ clade affectus, & totus ferè cum Ducibus perijt. Quam iacturam cùm grauiter tuliſſet, non ita multò poſt ægritudine correptus Burdfuldiæ Saxoniæ oppido diem ſuum obijt, bucellâ panis grandiore, vt nonulli tradunt, ſuffocatus die 5. Octobris. Corpus eius Spiram Nemetum translatum, ibique magnâ cum ſolemnitate ſepultum die SS. Simonis, & Iudæ, quo etiam natus fuerat. *Chron. Spangenb.*

ANNO CHR. 1057.

SAXONES ſub *Henrico III.* arctiùs vixerant, cupiunt ergo ſuâ libertate frui: ideò Marchionem *Othonem*, qui hactenus apud Boemos fuerat, & iam fratris ſui ditionem occupauerat,

cupiunt eſſe Imperatorem. Cùm hæc omnium rumoribus perferrentur, Imperatrix Comitia edicit Mersburgi vbi conuenirent, & qui *Henricum* defenderent, eos oppugnarent. Duces Branſuicenſes *Bruno*, & *Egbertus*, equitatu inſtructo eò proficiſcuntur, quibus occurrit propè Mersburgum *Otho* ille, vbi prælio congreſſi, *Bruno*, & *Otho* ambo ſimul cadunt: *Egbertus* victoriam obtinet, atque ita prima rebellio extincta fuit, qui enim eius participes fuerant, iam extincto Duce muſſitabant. *Schafnab.*

ANNO CHR. 1061.

FLORENTINVS Comes Hollandiæ, vt necem fratris ſui Theodorici in Colonienſibus vindicaret, mouet contra eos, vincitque, & hoſtes fugat: poſt victoriam feſſus dum dormit, ab hoſtibus fugâ elapſis ſolus inuentus, trucidatur die 20. Iunij, cùm annos 13. Comitatum rexiſſet. Succedit ipſi filius *Theodoricus* Domicellus, ſub tutelâ *Roberti* Comitis Flandriæ. *Annal.Hol.*

ANDREAS Hungariæ Rex à fratre *Bela*, qui Hungaros ad ſe traduxerat inuaditur: ideò mittit vxorem, & filium *Salomonem* in Germaniam ad Imperatorem, petitque auxilia. Imperator mittit ea Ducibus Marchione Thuringię *Wilhelmo*, & Epiſcopo Cirenſi. Marchio acer in primo prælio Hungaros vincit: Sed Hungari collectis omnibus copijs Marchionem obſident. Ideò eruptione, cùm commeatu interclusus eſſet, erat pugnandum, vbi *Andreas* Rex vngulis equorum conteritur, Epiſcopus trucidatur cum toto exercitu, Marchio in tumulo ſe ſe fortiſſimè defendens, tandem ſe dedit, & ob virtutem ſaluus ab Hungaris dimittitur, & legatus pro pace ab Imperatore impetranda, miſſus eſt. *Mechouius.*

ANNO CHR. 1065.

FRIDERICVS Palatinus Saxoniæ, frater Epiſcopi Bremenſis, Weiſſenburgi propè Friburgum habitabat: Is proditione coniugis ſuæ illectus, à *Landgrauio Ludouico*, qui in ditione Friderici venabatur, interficitur menſe Ianuario, & poſt trien-

nium

ni um Friderici coniux nubit Ludouico, ex quo etiam liberos habuit, ſed Epiſcopus Bremenſis defert hoc facinus ad Imperatorem, qui Ludouico diem dicit, quo tamen noluit comparere, ideò alijs artibus capitur, & in turri biennium detinetur, ex quâ tamen in Salam præcipitem ſe dimittit, & ſaluus euadit. Indè abſolutionem petit à Pontifice Romano, & templum Hulderici Sangerhuſiæ ædificat; poſt ſecundò ac tertiò ab Imperatore captus, ſemper mirabiliter euadit, & tandem fit Monachus. *Fab. & Spang.*

ANNO CHR. 1066.

HARALDVS Noruegiæ Rex, bellator egregius, ſed paganus, cum mille nauibus in Angliam irruit menſe Sept. eam crudeliſſimè vaſtauit, & vltra mille Sacerdotes occidit; ſed *Haraldus* Rex Angliæ ipſi obuiam profectus, eum pugnâ vincit, & occidit. *Roger.*

HARALDVS Rex Angliæ, à Wilhelmo Duce Normanniæ in pugnâ occiditur die 14. Octobris, cùm per totam æſtatem diſputaſſet de iure ſuo ad regnum Angliæ, & nihil obtineret. Indè *Wilhelmus* Rex coronatur ſequentibus Natalitijs Chriſti ab Epiſcopo Eboracenſi. *Roger.*

ANNO CHR. 1067.

RINIMIRVS Aragoniæ Rex, cùm annis 32. regnaſſet, infert Sanctio Caſtellæ Regi bellum,& in pugnâ trucidatur; ſuccedit filius *Sanctius*, annos natus 18. & regnat annis 27. *Annal. Aragon.*

ANNO CHR. 1071.

ROMANVS DIOGENES Orientis Imperator, quem *Eudoxia* Auguſta *Conſtantini* quondam Imp. vidua, tori imperijque conſortem adſciuit, affectati iam imperij damnatum. Is ſpe eluſâ *Eudoxiæ*, quæ ei marito imperitare cupiebat, in Aſiam tranſiuit, Sultanumque, & Turcas in fugam actos, prędâ, quam Neo-Cæſareâ expugnatâ luculentam ceperant, lucu-

lenter exuit. Hinc in Syriam progreſſus, Halepum capit, & Hierapolim. Turcas ingenti cum ſuo ſuorumque periculo clam adortus, fugam coegit arripere. Alterâ deindè expeditione procedit in Cappadociam, varioque cum Barbaris marte prœliatur. Turcę Iconium deſolarunt, ſed ab Armenijs omni prædâ ſpoliati ſunt. *Diogenes* vt erat ingenio acer, quamquam ambiguis certaminibus maximam copiarum partem amiſerat, tamen prælij ſubire aleam cum *Azane* Sultano, quàm pacis amplecti conditiones maluit. Et perculit ſanè audaci impreſſione Turcas, quodque ſerum diei eſſet, in caſtra ſe recipere voluit. Id fugam interpretatus *Andronicus* Conſtantini Ducæ frater, properanter abducit ſuos, proditoque, & deſerto Imperatori, neceſſitatem imponit extremi periculi faciendi. In quo certè non defecit animo *Diogenes*, ſed obtruncatis Turcarum quamplurimis ad vltimum captus, & præmente primùm collum eius, mox verò fortunâ miſerante Sultano, gratis recepit dignitatem, quam maſculè eſſet tutatus. Sed duriùs à ſuis, quàm ab hoſtibus Imperator, priuignorum conſpiratione amiſit poteſtatem. Illi *Michaeli Pſelli* vſi conſilijs, obſeſſum Adanæ allectant ad deditionem, ijs conditionibus, vt imperio depoſito raſâque comâ priuatam vitam ageret. Nam primarij Sacerdotes ab Imperatore miſſi, iureiurando confirmarant, nihil eum moleſti paſſurum eſſe. Quibus fretus, pullâ veſte indutus, *Andronici* fidei ſe permittit. Is eo accepto, vbi Cotyaium peruenit, expectauit, dum mandaretur quid ſibi faciendum eſſet, ægrotante Diogene ex veneno per inſidias, vt putabatur, propinato. Ibi igitur Imperatorio edicto, inſonti ſtatim ſunt effoſſi oculi, primarijs quoque Sacerdotibus præſentibus, & hominis calamitatem grauiter ferentibus. Verùm nemo eos curabat. Ita luminibus crudeliſſimè orbato, iuſtâ curatione non adhibitâ, caput intumuit, & è vulneribus vermes ſcaturierunt, adeòut ex putrefactione illâ, aer circà ipſum teterrimo fœtore repleretur. In tantâ calamitate in Protam inſulam perducitur: in cuius editiore loco monaſterium ædificarat. Vbi non diù ſuperſtes, corpus terræ reddidit, ab Imperatrice Eudoxiâ funere eius ſplen-

ſplendidiſſimè curato, cùm triennium, & menſes octo imperaſſet. *Zonar.*

ANNO CHR. 1072.

SANCTIVS Rex potentiſſimus in Hiſpaniâ, cùm etiam ſororibus ſuis eripere conaretur, quæ ad ipſas pertinerent, & obſideret Zamoram, ex inſidijs trucidatur, cùm ſeptennium ferè regnaſſet; ſuccedit ipſi frater *Alphonſus* ex cœnobio dimiſſus, qui *Garziam* fratrem in vinculis detinet, & obtinet regnum adhuc annos 36. *Marian.*

ANNO CHR. 1075.

ERNESTVS Dux Auſtriæ cecidit in prælio contrà Saxones ad Vnſtrutum, cùm præfuiſſet annis 19. Succedit ipſi filius *Leopoldus Pulcher*, qui præeſt annis 21. *Cuſp.*

ANNO CHR. 1080.

RVDOLPHVS Sueuorum Dux in locum *Henrici IV.* Imperatoris Eccleſiæ rebellis, Imperator electus, & coronatus, ab eodem *Henrico* profligatus eſt ad Elyſtrum fluuium Idibus Octobris, eique à *Godefrido Bilionæo* circà ilia lethale vulnus inflictum, alijs etiam accurrentibus dextera manus abſciſſa eſt. At *Henricum* poſt victorias infeliciter conſecutas (nihil enim infeliciùs felicitate peccantium) vltio diuina proſtrauit. Qui enim patrem contempſit *Gregorium* Papam, à filijs ſuis ipſe deſpectus, atque regno pulſus, in exilio mori eſt coactus infelix, priuatuſque regno deceſſit, quem Apoſtolicæ Sedis ſententia regni abrogatione mulctauit: vt impleri Deus omninò voluerit, quòd Petri ſublime tribunal immobile permanens in impium ſtatuiſſet, & perſpicuè apparuit, quem Petri ſucceſſor pari poteſtate ligaſſet in terris, ex præſcripto diuinæ promiſſionis Deum in cœlis pariter alligaſſe. *Baron.*

AN-

ANNO CHR. 1087.

HERMANNVS Dux Luzelburgenſis, occiſo, vt diximus *Rudolpho* Imperatore, Saxones & alij Principes illum imperio ſubrogarunt. At reliqui principes ne inteſtino bello Germania conflictaretur, electioni reſtiterunt; nihilominus tamen Saxones perrexerunt, & ſuum nouum Imperatorem per Epiſcopum Moguntinum coronarunt die 26. Decembris. Hic *Hermannus* ſtatim Franciam Orientalem diripuit, & ſedem aulæ inſtituit Islebiæ. Tandem inito prælio cum Henrico, cùm ſe recepiſſet in Saxoniam inſtauraturus bellum, deſertus eſt à ſocijs. Is tandem in oppugnatione, vel lapide è muro præcipitato, vel vt alij malunt, ruinâ portæ cum multis alijs oppreſſus, miſerabiliter interijt. *Chron.Spangen.*

WILHELMVS Angliæ Rex, cùm Galliæ arma inferret, ſaltu equi diſruptis inteſtinis moritur, cùm annis 21. Regno Angliæ præfuiſſet, & Comitatum Normanniæ annis 52. rexiſſet. Succedit ipſi *Wilhelmus* filius, qui coronatur Rex Angliæ die 26.Septembris. *Malmesb.*

ANNO CHR. 1090.

ECBERTVS Marchio Saxoniæ, vrgens obſidionem Hildeſheimenſem, profectus erat cum nouis copijs, quas conſcribi iuſſerat; eas acceptas præmittit, ipſeque ſequitur, diuertens cum paucis in Molendino in ſyluulâ propè Numburgum. Cæſariani equites,qui itinera explorabant, è molitore audiunt, *Ecbertum* ibi eſſe, & velociter eum obruunt, & fortiſſimè dimicantem trucidant. Imperator hoc hoſte ſublato Miſniam dat *Thimoni* Marchioni, cuius poſteritas hoc ipſo tempore rerum potitur feliciter. *Thimo* tamen hic, cùm Imperatori ſuam probare vellet opinionem, in oppugnatione arcis cuiuſdam, cadit, & eius filij ad poſſeſſionem prouinciâ admiſſi non ſunt, niſi poſt annos 36. cùm *Lotharius* imperaret. *Annal.Sax.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1093.

MILCOLVMBVS Scotiæ Rex in Angliam irruit & Northumbriam vaſtat. Cauſa belli fuit, quòd *Wilhelmus* Angliæ Rex caſtellum quoddam ipſi eripuerat, quod recuperare conabatur: ſed eruptione hoſtium ibi trucidatur circà menſem Nouembris, cùm annos 36. regnaſſet; ſuccedit quanquam cum magnâ dificultate, poſt ſex menſes filius *Dunſtanus*. Buch.

ANNO CHR. 1094.

DVNSTANVS Rex Scotiæ, à ſubditis trucidatur, qui alium *Eadgarum* filium Milcolumbi ſibi pręficiunt, regnatque ferè annis vndecim. *Rog.*

SANCTIVS Aragoniæ Comes, cùm multa Mauris eripuiſſet, & præfuiſſet annis 27. dum obſidet Oſcam vrbem, trucidatur die 4. Iunij. Succedit ipſi *Petrus* filius, qui obſidionem continuat, & poſteâ Rex appellatur. Hic cùm Mauri obſidionem ſoluere vellent, maximo, & difficillimo prȩlio cum eis congreſſus eſt, vicitque, occiſis quadraginta millibus hoſtium. *Marian.*

ANNO CHR. 1096.

PETRVS primus Rex Aragonię hoc anno occidit in vno prȩlio ad Oſcam quatuor nigrorum Arabum Reges; quorum capita Aragoniæ Reges in inſignis vſurpant, & paulò poſt Oſca vrbs ipſi dedita eſt. *Annal. Arag.*

ANNO CHR. 1097.

SVENO Danus, filius Regis, qui etiam expeditionem ſacram ſuſceperat, cùm Niceam tranſijſſet, à *Solymanno* inuaditur, & cum omnibus ſuis trucidatur. *Wilhel. Tyr.*

AN-

ANNO. CHR. 1100.

WILHELMVS RVFVS Rex Angliæ, à *Waltero Gallo* in venatione improuiſo ictu, qui in ceruum directus fuerat, per pectus traijcitur: in arbore enim ictus ſagittæ reflexus in Regem delatus fuerat die 2. Auguſti feriâ quintâ, cùm regnaſſet annos tredecim: cadauer eius in plauſtro carbonario domum reuehitur, & fracto plauſtro in lutum reuoluitur; ſuccedit ipſi in regno *Henricus* frater iunior, qui adhuc in peregrinatione aberat, qui regnauit annis 35. *Malmesb.* Baldricus *Wilhelmo* ſequens Epitaphium concinnauit.

Qui legis hunc titulum ſubtus agnoſce ſepultum
Anglorum *Regem, nunc modicum cinerem.*
Hic Wilhelme *iaces*, Wilhelmi *filius*, Anglos,
Qui ferus enſe fero belliger edomuit.
Dum ſequeris ceruos, alter quoque deſtinat ictum:
Ceruo directa paſſus es ipſe necem.

HENRICVS Comes Louanienſis, cùm annis vndecim præfuiſſet, in haſtiludio Tornaci perit; ſuccedit ipſi frater *Godefridus*, qui dictus eſt cum Barba, & poſt ſeptem annos acquiſiuit ſibi Ducatum Lotharingiæ. *Chron. Belg.*

BRETISLAVS Dux Bohemiæ, dum redit à venatione, à latrone occiditur die 22. Decembris. Latro dum feſtinat, ſuo ipſius gladio vulneratur, & interijt, cùm equus ſimul laberetur. Succedit frater *Boriuoi*, quem ſequenti anno *Vdalricus* expulſurus Germanos adducit, ſed re infectâ cogitur recedere. *Coſm.*

ANNO CHR. 1107.

HVGO Comes Tiberiadis, Tyrijs infenſus, & à *Balduino* iuſſus, eorum agros aſſiduè vaſtat, & tandem caſtrum quoddam, quo ſui ſe defenderent, ſi à Tyrijs vrgerentur, non longè ab vrbe conſtruit, ex quo dum magis magiſque Tyrijs nocere conatur, tandem ſagittæ ictu cadit. *Tyr.*

AN-

ANNO CHR. 1110.

ALPHONSVS Aragoniæ, & Caſtellæ Rex, tandem vltimum Maurorum Regem occidit, die 24. Martij. *Annal. Arag.*

ANNO CHR. 1111.

ROBERTVS Flandriæ Dux ſuffoſſo equo oppreſſus, moritur die 4. Decembris, cùm annis 18. præfuiſſet. Succedit *Balduinus* cognomento *Securus*, qui præeſt annis 8. *Annal. Fland.*

ANNO CHR. 1119.

BALDVINVS Comes Flandriæ, qui octo annis præfuerat, in bello, quod Ludouicus Gallus cum Anglo gerebat, vulneratus moritur, die 17. Iunij. In teſtamento hæredem fecit, cùm careret liberis, *Carolum Amitinum* Regis Danorum filium: indè bellum inteſtinum exortum, *Carolus* autem annis ferè ſeptem præfuit. *Annal. Flandr.*

ROGERIVS Princeps Antiochiæ in Syriâ, magnâ clade à Turcis vincitur, & in ipsâ pugnâ cadit. *Balduinus* Rex exercitum adducit, & die 14. Auguſti Turcas magnâ ſtrage vincit, etſi haberet paucos milites. Indè Balduinus Antiochiam ingrediens eum Principatum regno Hieroſolymitano ſubijcit. *Tyr.*

ANNO CHR. 1120.

WILHELMVS Henrici Regis Angliæ filius, in Normanniam profectus, *Ludouico* Gallorum Regi præſtitit iuramentum, & fit Normanniæ Dux. Hic cùm in Angliam rediret, incuriâ nautarum ſcopulis alliſus, nocte, quæ ſecuta eſt diem 25. Nouembris perijt cum fratre, & alijs nobilibus 140. præter nautas. *Roger.*

Digitized by Google

ANNO CHR. 1124.

BALDAC Turcarum Rex ad Hierapolim fortiter pugnans, trucidatur. Quo eodem anno captus eſt Tyrus, terrâ, mari que obſeſſa. *Tyr.*

ANNO CHR. 1126.

OTHO Morauiæ Dux putabat Ducatum Boemiæ ad ſe pertinere, atque ideò ad Imperatorem *Lotharium* veniebat, petebatque ſe Ducem Boemiæ creari, & in Ducatum cum exercitu deduci: quòd & impetrat, ſed *Sobeslaus* Dux arboribus cæſis omnes vias impediuerat, quas cùm Imperator purgare vellet, obruitur à Boemis, & non exiguâ clade afficitur, cecidit in prælio Morauiæ Dux, & multi alij; pax tamen tandem conficitur cùm *Sobeslaus* Dux promitteret *Lothario* auxilia contrà Duces Sueuiæ. *Trith.*

ANNO CHR. 1127.

CAROLVS Comes Flandriæ à quibuſdam ſuis nobilibus perfidè Brugis in templo D. Donatiani inter orandum trucidatur die primâ Martij, cùm rexiſſet Comitatum annis ferè 8. Succedit ipſi, Ludouici Francorum Regis ope, *Wilhelmus* Normannus, Normanniâ pulſus. *Annal. Fland.* Eodem die Burgundi etiam *Wilhelmum* Ducem ſuum interficiunt, qui liberos non habuerat. Ideò Imperator *Lotharius* eum Ducatum donat *Conrado* Comiti Zeringenſi. *Gemblac.*

ANNO CHR. 1128.

WILHELMVS Comes Flandriæ, pugnans cum *Theodorico* Elſatio, eum vincit, ſed ipſe leuiter in pugnâ vulneratus, ex eo moritur die 16. Auguſti, cùm vix annuo ſpatio præfuiſſet. Succedit *Theodoricus*, qui præeſt Comitatui annis quadraginta. *Annal. Fland.*

AN-

ANNO CHR. 1131.

PHILIPPVS III. Iunior Francorum Rex, *Ludouici* Regis filius, tertio Idus Octobris in Lutetiæ ſuburbijs delapſus ex equo, quem euerterat ſcrofa, moritur. *P. Æmil.*

BOAMVNDVS Antiochiæ Princeps in Siciliam profectus, à Saracenis inuaditur, & trucidatur. *Tyr.*

PONTIVS Comes Tripolitanus, Damaſcenis bellum infert, ſed infeliciter pugnâ vincitur, & cęditur; ſuccedit ipſi filius *Raymundus*, qui collecto exercitu Turcas in Libano, qui patri cauſa cædis fuerant, perſequitur, & profligat. *Tyr.*

ANNO CHR. 1134.

HALBERSTETES Rex Danię, cum *Magno* eius filio in tutelam recipitur à *Lothario*, ſed idem Rex paulò poſt in feſto Pentecoſtes à ſubditis trucidatur. *Trith.*

ALPHONSVS Rex Aragonię & Vaſconum, die 7. Septembris, cùm regnaſſet annis 30. in velitariâ pugnâ à Mauris interficitur. Tricies hic cum Mauris pręcipuè collatis ſignis pugnauerat, vndè *Pugnacis* nomen obtinuerat. Succedit ipſi filius *Ramirus* Monachus, cuius initia non ſatis feliciter ſucceſſerunt. Nam *Alphonſus* Caſtellæ Rex *Alphonſi* demortui priuignus, ipſi aliquot vrbes eripuit, & inter alias etiam Cæſar-Auguſtam, quam tamen recipit; regnauit tantùm annos quatuor. *Annal. Arag.*

ANNO CHR. 1140.

WELPHO Dux Bauariæ, à *Friderico* Duce Sueuiæ in pugnâ vincitur, & trucidatur. In hac pugnâ ſcribitur *Welforum*, & *Gigelinorum* cognomina orta. *Trith.*

ANNO CHR. 1141.

FVLCO Rex Hieroſolymis, dum leporem incautiùs propè Ptolemaidem inſequitur, cum equo corruit, & capite ad ſaxum afflicto, moritur die 13. Nouembris. Succedit ipſi filius

Digitized by Google

Balduinus, puer annorum tredecim, qui coronatur die 25. Decembris, regnauitque annis 20. *Tyr.*

ANNO CHR. 1143.

CALO IOANNES Imperator Orientis, *Alexij Comneni* filius, patre ſpiritum extremum ducente, Rempublicam adminiſtrare cœpit. Anno Imperij primo necdum exacto concitata fuit aduerſus Imperatorem ſeditio, cuius erant Principes Bryennius, & Anna Cæſariſſa. Verùm ea maturè ſopita eſt, Imperatore ſeditioſos humaniter caſtigante. Poſt hæc Turcis in Phrygiâ victis, Laodiceam recuperatam munijt, alterâque ſuſceptâ expeditione, ſolerter pellectis ad inſidiarum loca præſidiarijs, & ab vrbe interclusis, Sozopolim cepit, cum alijs multis oppidis, locisque munitis, quę Turcæ Romanis ademerant. Scythas etiam quos Patzinacas vocant, ingenti prælio vicit, itemque Triballos, ſic Seruios, quos in poteſtatem redactos magnâ ex parte in Nicomedienſem Aſiæ prouinciam tranſtulit. Filios habuit quatuor, *Alexium*, *Andronicum*, *Iſaacium*, *Manuelem*. Alexium poſt coronationem videre per quietum viſus eſt inſidentem leoni, quem auribus habenarum vice moderaretur: cùm alioqui nihil haberet ad domandam belluam accommodatum. Hoc viſo ſignificabatur, eum titulo tenus abſque re potiturus imperio, quod etiam mox amiſſurus eſſet, vti deinceps accidit. Geſſit etiam feliciter aduerſus Hunnos bellum *Ioannes*, qui fines Romanorum inuaſerant, prætextâ cauſâ ſpoliatorum mercatorum ſuorum: cùm occulta, & verior eſſet, in Almuzen *Stephani* Regis Hunnorum fratrem profugum declarata humanitas. In hac expeditione multum ab eo fines imperij verſus Occidentem propagati ſunt. Victis hinc Perrarmenijs, & occupatâ Caſtamone, cum triumpho Conſtantinopolim pedibus eſt ingreſſus, quadrigâ triumphali nequaquam conſcensâ, ſed imagine Deiparę in illam collocatâ, cui velut imperij collegę victorias acceptas ferebat. Mox reuerſus in Orientem, Caſtamonem à Taniſmanio receptam, Gangram, Adanam, Tarſum, Bacam munitiſſimum Caſtellum, Anabarzam vi expugnat: & Cæleſi-

leſiriam ingreſſus, Antiochię quàm honorificè à Raymundo principe ſuſcipitur, ac fœdus tam cum Raymundo, quàm Tripolitano Comite ferit. Indè penetrans ad Euphratem, Pizam, aliaſque nonnullas munitiones occupat. Nec multò poſt *Alexium* primogenitum, quem ad imperij ſocietatem admiſerat, & *Andronicum* ab eo proximum mors abſtulit: Eis non diù ſuperſtes fuit, læſus in venatione per ſagittam ſuam veneno infectam, qua ſe è pharetrâ ſolitarius aper excuſſerat. Quo pacto autem vitam finierit, enarrare videtur operæ pretium.

Ad venationem egreſſo, obuius fuit aper ingentis magnitudinis, quales in Ciliciâ multi, & montibus Tauricis, aduenientem, vt fert fama, telo, quod manu tenebat excipit: contrà ille mucrone in pectus adacto, ex plagâ furibundus vehementius inſtat, adeò vt indè manus Imperatoris, quæ dum fortiùs obnititur, à recto deflexa, in pharetram ſagittis plenam quam ex humero ſuſpenſam gerebat, impegerit, quarum cuſpidibus vulnerata, perſtrictaque eſt pars carpo proxima. Ex eo vulnere cruentâ ſanie effluente, tenuis membrana, quam vulgo Ecderam vocant, adducitur, quæ diuiſam cogeret carnem, & cicatricem contraheret, ſed hæc fuit poſtea inflammationis cauſa: nam venenum quo telum infectum erat, ipsâ adſtrictione arctiùs incluſum, in reliquum transfuſum eſt corpus. Ita primùm, cùm nec dum vllus adeſſet dolor, paratur ipſi menſa, eique velut pranſurus accumbit. Inter prandendum, qui circumſtabant medicorum filij, vt appoſitum emplaſtrum conſpexêre, cicatricis cauſam ſciſcitati, & edocti, remouendum illud à manu, & à menſa abſtinendum cenſuêre. Contrà ille hoc medicamento ſolidari vulnus contendebat, nec quidquam tumoris indè, aut inflammationis metuendum. Poſt prandium ſomno dedit, ſtatimque acutiſſimi dolores ſuborti, totaque manus intumuit. Conuenit illicò vniuerſa medicorum turba, quidque facto opus varijs inuicem diſputauêre ſententijs. Quidam enim cenſebant reſecandum tumorem, alij nondum maturum, proindeque emolliendum prius inſtabant. Sed faciendum fuit, vt pluribus placuit, vicitque eorum ſententia qui reſecandum ſtatuerant. Pe-

ra-

ractâ ſectione, augeri repente tumor, & vehementer excandeſcere, & irritari manus cœpit: Imperatoris verò mortis iam imminentis metu non modicè concutitur animus: tum maximè quòd iam ante conceptam animo in Palæſtinam peregrinationem non confeciſſet, cuius gratiâ lucernam viginti talentorum, ex auro conflatam, loci templo offerendam parauerat. Moribundus Imperator, oratione ad ſuos habitâ, *Manuelem* ex filijs natu minimum, qui tum fortè aderat, Iſacio maiori prætulit, & Imperatorem deſignauit. Quo conſilio cunctorum ſuffragijs approbato, vitam hanc reliquit, cùm totos vigintiquinque annos, menſeſque ſeptem Romanis imperaſſet, octauo die menſis, quem Xanthicum Græci, Romani Aprilem vocant. *Annal. Glyc. Hiſt. Ioann. Cinnam.*

ANNO CHR. 1145.

SANGVINVS Turcarum Princeps, cùm violentiæ non faceret modum, trucidatur: cui ſuccedit *Noradinus* filius, patre longè deterior. *Tyr.*

ANNO CHR. 1149.

RAYMVNDVS Princeps Antiochiæ, cum Noradino Turcarum Principe, qui Antiochiam inuaſerat, pugnans, ab ipſo vincitur, & trucidatur die 29. Iunij. *Noradinus* perſequitur victoriam, omniaque circà Antiochiam vaſtat. Cùm igitur Antiochenis nulla à Noradino quies eſſet, euocant *Ioſcelinum*, ſed & hic in itinere poſitis à *Noradino* inſidijs intercipitur, & in vincula abducitur. *Tyr.*

ANNO CHR. 1150.

GARSIAS Vaſconum Rex, equi caſu in venatione afflictus ad rupem moritur, cùm regnaſſet annos ferè 44. *Marian.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1152.

CONRADVS TERTIVS XXI. Germanorum Imperator, filius *Friderici* Ducis Sueuiæ, & *Agnetis*, quæ fuit filia *Henrici IV*. & ſoror *Henrici V*. Lothario mortuo, imperium certò ſibi deſponderat *Henricus Superbus* Dux Bauariæ eius gener, confiſus ſtudijs & fauore Saxonum, propter ſocerum Lotharium, & magnitudine potentiæ. Saxoniam enim Bauariæ connubio copularat. Eâ opinione inſignia imperij, quæ à ſocero acceperat, apud ſe vi retinuerat, & oſtenderat ſe non paſſurum, vt his præter ipſum ornaretur. Quòd ergo, & faſtum, & inſolentiam eius odiſſent cæteri, & formidarent potentiam, ac indicarent ſuperbiam potentiâ inſtructam non eſſe publicâ authoritate armandam; Comitijs, quæ indicta fuerant Moguntiæ, Confluentiam translatis, ibi omnium Procerum Germaniæ conſenſu imperij dignitas ad *Conradum* Ducem Sueuiæ delata, qui Imperator coronatus eſt Anno Chr. 1138. circà mediam Quadrageſimam. Summâ cum laude Imperium adminiſtrauit, eximięque virtutes in eo excelluerunt, ex quibus maximè prudentia eius commendatur. Verùm anno imperij 14. cùm nouos exercitus collegiſſet ad pacandam Italiam domeſticis inſidijs liberarum ciuitatum turbatam, quæ inter ſe armis de libertate decertabant, morte præreptus expeditionem non abſoluit. Nam repentino morbo oppreſſus, non ſine veneni ſuſpicione per medicos Italos præbiti, quos accerſiuerat authore *Rogerio* Siciliæ Rege, qui ſibi à *Conrado* metuebant; cùm paulò ante fratris filio *Friderico* inſignia Imperij tradidiſſet, & filium paruulum ei commendaſſet. Quòd & factum eſt, & *Fridericus Barbaroſſa* à ruffa barba electus eſt die 4. Martij. Huic & voluntas egregia fuit ad rempublicam ſuſcipiendam, neque exiguæ opes ad defendendam, fortuna vna defuit, quâ humano iudicio bellicæ actiones pręcipuè adminiſtrari reputantur: id quod apertè in Aſiaticâ expeditione apparuit. Non videtur illud ſilentio hoc loco prætereundum, nempe primis annis, magnos ad omnium literarum laudem progreſſus factos. Nam Barbaris in Italiâ irrumpen-

Digitized by Google

pentibus ſtudia non ſolùm, quæ à Græcis accepta erant, Philoſophiæ, & Medicinæ, ſed etiam quæ ipſi Romani tradiderant, iuris ciuilis ita abiecta, atque proſtrata fuerant, vt vix veſtigium vllum eorum extaret. Hoc autem tempore vniuerſę vno quaſi impetu lacertos mouêre, & in campum prodire viſæ ſunt literæ; Siquidem in Hiſpaniâ Saraceni duo *Aueroes*, & *Auicenna* ſingulari ingenio homines Philoſophiæ, & Medicinæ ſtudia editis in eâ commentarijs illuſtrarunt, & in Italiâ, maximèque Bononiæ ius vtrumque lumen ingens accepit. Nam poſt Irnerium *Bulgarus Martinus*, *Hugo*, & *Iacobus* ad ius ciuile, & voce, & ſcriptis interpetrandum certatim ſe mirifico accenſi ſtudio contulerunt: & *Gratianus* Monachus Decretorum volumine ex multis Conciliorum, Pontificum, ac piorum Doctorum libris confecto iura Pontificia plurimum illuſtrauit. Theologiam verò maximè induſtriâ, atque operâ ſuâ *Petrus Nouarienſis*, cognomento *Lombardus*, Epiſcopus Pariſienſis prouexit, libris, qui dicuntur Sententiarum, conſcriptis. Quæ omnia monumenta ad hanc vſque ætatem, quâ Gręcis renaſcentibus libris vniuerſę artes, ac diſciplinę refloruerunt, magno ab omnibus ſtudio celebrata ſunt. *Sigon.Sigeb.*

ANNO CHR. 1156.

CALIPHA Ægypti in Ægypto trucidatus fuerat, *Noſeredinus* author cędis à Templarijs comprehenſus in vinculis habitus fuit, vbi ſpe liberationis diſcit latinam linguam, & promittit ſe Chriſtianum futurum, ſed Ægyptij ne dimittatur ita, plurimum pecuniæ Templarijs offerunt, quâ acceptâ ipſe Ægyptijs excruciandus traditur. *Tyr.*

ANNO CHR. 1165.

SVLTANVS Ægypti trucidatur; Succedit ipſi *Saphar*, qui Ægyptum occupat auxilio Noradini, qui Ducem, & exercitum ipſi miſerat. At Noradini Dux, cùm Aegyptum ſubiugaſſet, cedere recuſat, ſed vrbes potius pręſidijs munit. Ideò *Saphar* mittit ſtipendium *Almarico* Regi cum magnis muneri-

bus, qui Ducem Noradini Aegypto eijceret, quòd & factum eſt. *Tyr.*

ANNO CHR. 1169.

SAPHAR Sultanus Ægypti, à Siracono Duce inſigni trucidatur, & *Calipha* Sultanus Ægypti conſtituitur, cùm *Almaricus* Ægyptum præter cauſam affligeret, atque ita auaritiâ, & fraude Almarici factum eſt, vt regnum noſtris amicum ad hoſtes infenſiſſimos perueniret, qui poſteà regnum Hieroſolymitanum euertunt. *Siraconus* cum vix annuo ſpatio præfuiſſet, moritur, cui ſuccedit nepos ex filio *Saladinus* qui vt erat iuuenis audax *Caliphам* ſupremum Dominum Ægypti occidit, atque ita vniuerſo regno Ægypti potitur. *Tyr.*

Hic *Saladinus* Aegypti Sultanus, & Orientis domitor, deceſſit anno 1193. die 16. Februarij relictis nouem filijs, quos omnes *Saphadinus* patruus, præter vnum, amicorum virtute tectum, libidine regnandi, necauit. *Saladinus* moriens humanæ conditionis, ac miſeriæ memor, condito Teſtamento omnem funeris pompam abdicauit; iuſſitque tantùm in lanceâ præferri atri coloris obſoletam tunicam, præcinente ad populum ſacrificulo huius ſententiæ carmen, quod à *Bocario* proditum eſt.

Vixi diuitijs, regno, tumiduſque trophæis,
Sed pannum heu nigrum nil niſi morte tuli.

Fuit hic *Saladinus* author Mamalucorum, qui regnum Aegypti annos circiter ducentos tenuerunt. Sunt autem *Mamaluci* Syriacâ linguâ ijdem, qui Miniſtri, ſeu Stipendiarij. Hi ex Chriſtianis fiebant Mahumethani, & quia ad belli adminiſtrationem præter cæteros inſtructi erant, etiam Sultani ex ijs eligebantur. Sunt autem victi, & deleti à *Selimo* Turcarum Imperatore anno Chr. 1517.

ANNO CHR. 1183.

ALEXIVS COMNENVS, Orientis Imperator, Manuelis filius, ſucceſſit patri, cùm eſſet annorum tredecim, cuius

pueritia reipublicæ pernicioſa fuit. *Alexius* enim Protoſebaſtus, & Protoueſtiarius, mortui Manueli patris Imperatrice ſibi conciliatâ, ſummam in gubernatione potentiam ad ſe tranſtulit: Imperatore per ætatem ad ſuſtinendam eiuſmodi molem prorſus inepto, ſeque tantum venationibus, & equitationibus oblectante, cùm etiam prauè cæteroquin educaretur. Hac impulſus occaſione *Andronicus*, & ipſe Manuelis patruelis, homo longè vaferrimus pariter, & crudeliſſimus, ſub aſtuto prætextu, quaſi rempublicam, & Imperatorem vindicare vellet ab inſidijs Protoſebaſti, è Paphlagoniâ, quò ablegatus à Manuelo fuerat, propius ad vrbem accedit: adiunctiſque ſibi viris in adminiſtratione principibus redactum in poteſtatem Protoſebaſtum excæcat: Imperij procurationem in ſe transfert: Contoſtephanum, cum quatuor filijs, Baſilium Camaterum, & alios illuſtres viros oculis ſpoliat: matrem Imperatoris necat, conficto crimine, quaſi ea *Belæ* Regi Hungarorum, quo cum nupta ſoror Imperatricis erat, prodere Branizobam, & Belligradum voluiſſet. Imperatorem ſe renunciat, coronâque redimit: ac tandem conſequutus id, quod iamdudum animo ſibi deſtinauerat, Imperatorem *Alexium* capitis per ſummam iniuriam damnatum, arcus neruo ſtrangulari iubet. Eius interfecti latus pede tundit, ac parentum ipſius alterum vt periurium & iniurium, alteram vt vulgati corporis mulierculam contumelioſè inſectatur. Hinc auulſum à corpore caput aliò abijcitur, truncus in mare plumbo grauatum demergitur, cùm vix natus eſſet annos quindecim; indè Latinos omnes, qui Conſtantinopolim habitabant, excindere parat, multi tamen effugerunt, qui cùm multi eſſent numero, claſſem *Andronici* occupant, & eâ vtuntur ad vaſtandam omnem Græciam, & prædâ quidem bonâ amiſsâ adæquarunt: ſed coniuges eorum, & liberi Conſtantinopoli crudeliter trucidati ſunt: Legatus etiam Pontificius Romanus, inter reliquos occiſus. *Nicet.*

AN-

ANNO CHR. 1185.

ANDRONICVS COMNENVS Orientis Imperator, ſiue Tyrannus, *Manuelis* conſanguineus à primâ ætate inſignis ſcelerum artifex, multaſque facinorum ſuorum causâ perpeſſus ærumnas erat. *Alexio* perempto imperium in ſe tranſtulit, & ſponſam Imperatoris Alexij *Annam*, Francorum Regis filiam matrimonio ſibi iungit; nihil reueritus ſenex effœtus ac vietus vxorem ſobrini adoleſcentulam, nondum annos vndecim natam per nefas amplecti. Deindè Nicæam, quæ mortuo Imperatori fidem ſeruarat, totis viribus oppugnat. Erant in eâ viri principes, *Iſacius Angelus*, qui euerſo *Andronico* imperium occupauit, & *Theodorus Cantacuzenus*, cum magnâ manu militum *Andronico* infeſtorum, & Turcarum quoque nonnullis copijs. Cùm autem interfecto *Cantacuzeno*, animi Nicænorum fracti eſſent, pax facta eſt, & vrbs dedita. Iſaacium *Andronicus* non incolumem modò ſeruauit, ſed etiam diuinâ quadam impellente prouidentiâ collaudauit, quòd maledicentiam *Cantacuzeni* non fuiſſet imitatus. Pruſiam, & Lopadium de cauſis iiſdem obſeſſas, per vim cepit, ac immaniſſimè in omnem ætatem, ſexumque graſſatus eſt. Poſt hæc, Cyprum quidam *Iſaacius*, Iſaaci Sebaſtocratoris, & fratris *Manueli* Imperatoris ex filiâ nepos, auertit: itemque *Comnenus Alexius* eiuſdem Manueli ex fratre nepos, Regem Siciliæ *Guilielmum* incitauit, vt Dyrrachium & Theſſalonicam occuparet: quibus ſanè captis, ingens à Siculis eſt exercita crudelitas. Hinc & Epidamnus, & Amphipolis, & Moſynopolis in hoſtium poteſtatem venerunt: *Andronico* per vecordiam, & luxum ſuis non ſuccurrente. Hiſce malis in dies augeſcentibus, de ſucceſſore ſollicitus eſſe cœpit *Andronicus*; quamobrem cognito per artes improbas ſucceſſurum ſibi quendam, cui nomen eſſet *Iſaacio*: putabat ipſe quidem illum *Iſaacium* denotari, qui (ceu dictum eſt) Cyprum occupauerat: familiares verò *Iſaacium Angelum* metuebant, *Andronico* prorſus aduerſante. Quapropter conſilio proprio *Stephanus* Hagiochriſtophorites, immaniſſimus Andronici ſcelerum adminiſter, ad interfi-

Digitized by Google

ciendum *Iſaacium* ſemet accingit· qui tanquam in re deſperatâ, *Stephanum* anteuertens, ſuâ manu conficit. Deindè ad magnam Eccleſiam ſe recipiens, populi confluentis opem implorat. Is verò magis, ac magis ſemet armans, *Iſaacium Angelum* Imperatorem proclamat, & ad palatium deducit. Indè miſſi ſatellites, qui *Andronicum* fugientem perſequerentur. Peruenerat ille cum Annâ coniuge, ac ſcorto quodam Chelen, ad Tauroſcythas illinc traiecturus. Sed marinis tempeſtatibus aliquoties in litus eiectus, à perſecutoribus comprehenſus eſt.

Ad *Iſaacium* perducto, poſt varias contumelias, dextera præciditur. Poſt aliquot dies altero oculo effoſſo, ſcabioſo camelo impoſitus, per forum triumphi ſpecie traducitur. Tum verò nonnulli clauas in caput eius impingere:alij ſtercore nares eius fœdare: alij ſpongias excrementis hominum pecudumque repletas in faciem eius exprimere:alij verbis obſcœnis parentes ipſius inſectari: quidam verubus latera pungere: ſcortum denique quoddam impudens ollam feruenti aquâ plenam in faciem eius effudit. Hoc modo deductus in theatrum, pedibus fune colligatis ſuſpenditur. Interim ipſe clamabat, *Domine miſerere*, *Quid calamum contritum infringitis*? Nec adhuc contentus erat vulgi furor, Andronico ſuſpenſo. Nam laceratâ tunicula, virilia eius vexata ſunt: & quidam longum enſem per fauces eius ad inteſtina vſque traiecit. Duo quoque Latini generis enſes ambabus manibus in nates eius adegerunt, vt periculum facerent, vter eſſet acutior. Poſt tot ærumnas ægrè vitam abrupit, dexterâ cum dolore ad os admotâ: vt multi putarent, eum calidum ex ea ſanguinem ob recentem plagam adhuc diſtillantem exſugere. Imperauit annos duos, cùm antea quoque rerum potitus eſſet vnius anni ſpatio, ſine purpurâ, & diademate. Poſt eius mortem filij quoque, *Ioannes* & *Manuelus* cæcati perierunt. *Nicet.Ioan.Cinnam.Annal.Glic.*

ANNO CHR. 1189.

HENRICVS Angliæ Rex in Galliam venit, ſed malè ibi accipitur à Rege Galliæ, nec pax iniri potuit, & cùm fortè for-

Digitized by Google

fortunâ res ad prælium ſpectaret, turpiter cadit, & tandem pax conficitur die 29. Iunij. Ipſe verò *Henricus* triduo poſt moritur, cùm regnaſſet annis 34. & menſibus 7. Succedit ipſi filius *Richardus*, qui Dux Normanniæ, & Comes Andegauenſis declaratur, & poſteà tendens in Angliam, coronatur. *Pariſ.*

ANNO CHR. 1190.

FRIDERICVS BARBAROSSA XXII. Romanorum Imperator, filius *Friderici* cognomento *Cocles* Ducis Sueuiæ, fuit optimus Princeps in quo magnitudo animi, atque conſilij fides, conſtantia, moderatio, pietas, adeò excelluerunt, vt nulla ei virtus magno viro, & optimo Principi digna defuiſſe videatur. Ex prælio Polonico & Saxonico formidabilis euaſit, & apud Orientales gentes celebris: ſed ex eo etiam quòd Turcos ad ipſum Iconium ijſdem cladibus affecit. Nam ipſe quidem Sultanus ad Taxara profugus, ignorationem excuſabat eorum, quæ filij ſui feciſſent, vtpotè ab vno ex eis Copatino regno pulſus. Turcæ verò hortorum aggeribus & foſſis, quæ crebra ſunt iuxta Iconium, occupatis, & macerijs pro muro obiectis, Alemannorum acceſſum facilè ſe prohibituros putabant, cùm omnes ſagittarij optimi eſſent, atque vno in loco expediti, cum grauis armaturæ equitibus pugnaturi. Sed id quoque conſilium eorum fuit irritum. Nam Alemanni cùm Turcas ſepta hortorum ſubire, atque indè velut ex propugnaculis ſagittare viderent, ſic fecerunt. Quiſque peditem armatum in equi ſui tergum recepit, vt ex eo tanquam ſcala, maceriâ conſcenſâ, comminus cum hoſte congrederetur; & ipſi, qua equis patebat iter, opitulabantur. Ita tum quoque Turcæ plerique, mali malè perierunt: nonnulli etiam diſperſi, fugâ ſalutem quæſiuêre. Vt autem occiſorum multitudinem hoſtium teſtimonio comprobamus: Iſmaelita quidam, qui ei pugnæ interfuerat, ad Imperatorem profugus, per ſuam religionem iurauit, ſe ducentos argenti ſtateres pollinctoribus numeraſſe, vt cadauera ex ſuo dumtaxat horto efferrent. Alemanni verò Iconio potiti, vrbem ingredi noluerunt: ſed in tectis ſuburbij fixis tabernaculis, nec vllâ re aliâ niſi ad

Digitized by Google

ſi ad vitam tuendam neceſſarijs indè ablatâ, cœptum iter ſunt proſecuti. In hac expeditione ferunt Alemannum quendam corpore ingenti,& robore inuicto preditum, populares ſuos longo interuallo ſecutum, pedetentim inceſſiſſe, equum trahentem ex itinere fatigatum. Iſmaelitas verò circiter quinquaginta viros fortiſſimos, ſuis ſtationibus euagatos, illum vndique ſagittis petijſſe. Cæterum eum lato ſcuto tectum, & firmitate thoracis fretum, alacrem perrexiſſe, nihilo magis Barbarorum telis commotum quàm ſi rupes eſſet. Vnum autem cæteris iactantiorem, abiecto inutili arcu, longum enſem ſtrinxiſſe, & concitato equo comminus illum vt promontorium, aut æream columnam gladio percuſſiſſe. Alemannum verò gladio, qui heroicam dexteram deceret, ambos anteriores pedes hoſtilis equi tanquam fœnum amputaſſe, qui cùm in genua prolapſus, nihilominus ſeſſorem in ſellâ ſuſtineret,enſem in medium Perſæ caput ita impegiſſe, vt equite in duas partes diſcepto, etiam iumenti tergum, ſellâ quoque diſſectâ, vulneraret. Eoque ſpectaculo Perſas attonitos,non amplius eſſe auſos vnum eorum laceſſêre, qui nihil accelerato itinere pedetentim veſperi in caſtra ſuorum peruenerit. Aiunt Iſmaelitas, veritos ne Rex in ditione ipſorum, vt quos deiciſſet moraretur, ſimulatione benignitatis eum ſibi placare voluiſſe. Eum verò procerum filijs obſidibus acceptis, & plurimis itinerum Ducibus aſſumptis,ita fines eorum ſuperaſſe. Paulò verò poſt, cum Armenię fines attigiſſet, non paucos ex eis obtruncaſſe, cæteros domum remiſiſſe.

Ab Armenijs honorificè ſuſceptus Imperator,& dies complures ibi commoratus, Antiochiam ire in animo habuit: augeſcente in dies eius gloriâ, & nomine illuſtrato, tum ob prudentiam tum propter inuictum exercitum, nullo hoſte occurrente. Cùm autem ad fluuium quendam perueniſſet, vorticibus aquarum ſuffocatur, vir honeſtâ, & perpetuâ memoriâ dignus, & iudicio prudentum vel in tali obitu felix: non eo tantùm quòd nobilis ortus genere auitum Impp. in multas gentes obtinuit:ſed ob illud potius, quòd vltrà omnes omnium gentium Chriſtianarum princeps Chriſti deſiderio flagrans patriâ, delicijs regijs,

tran-

Digitized by Google

tranquillitate, beatâ domi, ſuperbâque cum chariſſimis vitâ deſpectis, cum Chriſtianis Paleſtinæ incolis ærumnas tolerare maluit: & propter Chriſti nomen, & vitalis ſepulchri venerationem, exteras terras patriæ prętulit, ab eo inſtituto non tot paraſangis, non tam longinquo & vbique difficili itinere, non periculis, quæ à gentibus, per quarum prouincias tranſeundum erat, imminebant, deterritus. Non aquæ penuriâ, non præfinitus, iiſque empticius panis, & alicubi inſidioſus, eum ab inſtituto dimouit. Non liberorum amplexus cum lacrymis, & extremæ ſalutationes, animum eius commouerunt, aut effœminarunt: ſed potius inſtar Pauli Apoſtoli, vitam parui æſtimans abijt, non modò vt vinceretur, ſed etiam vt pro Chriſti nomine moreretur. *Nicet.* Tantus in exercitu męror & luctus excitatus eſt, vt vix vlli principum tantùm lacrymarũ datum ſit. Sequenti die exercitus iurauit *Friderico* Imperatoris filio, & Antiochiam venit die 21. Iunij, vbi filius *Fridericus* patrem ſepelit ante aram in Templo D. Petri. Imperauit autem annos 38. menſes 3. Succedit ipſi filius *Henricus*, qui ſextus eſt huius nominis, & imperauit annis 8. *Antonius Vulpius* de Friderico Barbaroſſa ſic cecinit.

Exciſæ Italiæ cupiens penſare ruinas
Vel ſaltem in pulchra quærere morte decus,
Æneobarbe, Aſiæ fines irrumpis, & hoſti
Eripis auectas religionis opes.
Inuidit cæptis Fortuna inimica ſecundis
Nam dum te in nitido proluis amne, cadis.
Macte animis ingens Aſiæ diguiſſimè campis
In quibus illuſtres tot cecidere viri;
Hinc vatum calamos & marmora & æra fatigas,
Hinc merito claris annumerare viris.

ANNO CHR. 1195.

ISAACIVS ANGELVS Orientis Imperator ex nobili Comnenorum familiâ, ineunte vere, cùm ipſius exercitus iterum clade à Walachis affectus eſſet, ipſe contra eos proficiſcitur, vbi quendam Eremitam accedit, qui futura prædicere ſolebat.

Is

Digitized by Google

Is nihil ipſi reſpondit, ſed imagini eius, quæ fortè aderat, oculos effodit, id quod factum eſt paucis diebus poſt, die videlicet decimâ Aprilis, cùm *ab Alexio Comneno* fratre ſuo, & imperio exueretur, & oculis priuaretur, cùm præfuiſſet imperio annos nouem, & menſes octo, *Alexius* frater hìc imperat annos 8. menſes 3. & exuitur Imperio ab Iſaaci filio. Cùm coronaretur *Alexius* equus eum ſeſſorem capere noluit. Cùm tandem Imperator in eum inſiluiſſet, adeò ferociuit, vt coronam eius deijceret primùm, & deindè ipſum Imperatorem. Corona ita fracta Imperatori reponitur, & alius equus adducitur. *Nicet.*

ANNO CHR. 1196.

GVIDO Rex Hyeroſolymorum de feneſtrâ Palatij procidens expirat: eius coniugem Iſabellam ducit *Americus*, qui ita & Cyprum, & regnum Palęſtinæ, quantum eius fuit, occupat. *Append. Vrsb.*

ANNO CHR. 1198.

HENRICVS SEXTVS XXIII. Germanorum Imperator, *Friderici Barbaroſſæ*, & *Beatricis* Reginaldi Comitis in Burgundiâ filiæ, filius, moribus quidem amabilis fuit, & eloquens, ſed *Friderico* patri diſſimilis ingenio, virtute, & felicitate; ab ineunte ætate venatui, & libidini totus deditus fuit. Præceptorem habuit *Godefridum Viterbienſem*, qui ei librum carminum inſcripſit, Regulaſque vitæ in eo pręſcripſit, & ab hiſce verſibus laudatorijs, ex quibus natura, atque indoles eius cognoſci poteſt, incipit:

O Iuuenis Iuuenum, flos mundi, gloria Regum,
Vrbis, & Orbis honor, cui plaudunt tempora rerum,
Suſcipe conſilium, quod mea metra ferunt.
Sordibus implicitos, prauoſque cauebis amicos,
Omnibus æquus eris, ſed caſtigabis iniquos:
Proſpice quidquid agas, te tibi noſce magis &c.

Henricum autem bellum ad repetendum regnum Siciliæ in Germaniâ molientem, primùm mors patris, deindè ſeditio Germano-

norum oppreſſit. Nam famâ de obitu Friderici allatâ, Colonienſes, & quidam alij Principes res nouare, & regnum ei adimere voluerunt; verùm poſtquam Leodienſem Epiſcopum truculentius cæteris ſe gerentem de medio ſublatum viderunt, ſtatim incœptum omiſerunt, & veniâ petitâ ad *Henricum* ſe contulerunt. Itaque *Henricus* rebus omnibus breui compoſitis exercitum conuocauit, atque extremo anno cum vxore *Conſtantia* Alpes traiecit. Fuit hæc *Rogerij* Siciliæ Regis filia, cum quà nuptias ſplendidiſſimas celebrauit Mediolani die 27. Ianuarij anno Chr. 1186. cùm annos haberet 21. & cum eâ dotis loco accepit Regnum Siciliæ. *Conſtantia* & ſi putaretur nunquam paritura eſſe, quòd quinquageſimum annum attigiſſet; tamen grauida facta Panormi in feſto S. Stephani *Fridericum* puerum peperit, qui poſteà Imperator euaſit. Tandem *Henricus* ex Germaniâ in Siciliam reuerſus, dum claſſem cogit, & armat ſecuturus ſocios, Meſſanæ in febrem ardentem ex veneni potu, (quod propter adulteria coniugem propinaſſe ferunt; ſeu vt alij volunt ex venationis labore) incidit, & cùm fratri *Philippo* filium ſuum commendaſſet, in feſto S. Michaelis diem ſuum obijt, anno ętatis 32. imperij 7. Cadauer Panormum deuectum ſepulturæ mandatum eſt. *Conſtantia* cum *Friderico* puero regni adminiſtrationi ſucceſſit. *Chronic. Spangenb. Sigon.*

ANNO CHR. 1199.

RICHARDVS Rex Angliæ initâ pace cum Philippo Rege Galliæ in quinquennium, Ducem Aquitaniæ ſubigit, vbi dum obſidet caſtellum quoddam, vulneratur telo die 26. Martij, quod vulnus cùm id minus curaret, adeò inflammatum eſt, vt medicationis nullus eſſet locus, & moritur die 6. Aprilis, cùm regnaſſet annos decem, ſuccedit ipſi frater *Ioannes*, qui ſtatim Normanniam occupat, & die 25. Maij venit in Angliam vbi die 27. eiuſdem menſis in feſto Aſcenſionis Chriſti coronatur, & regnat annos 8. *Pariſ.*

ANNO CHR. 1204.

ALEXIVS ANGELVS Orientis Imperator *Iſaaci Angeli* filius, vix conſtitutus Imperator, à plebe, quæ *Angelorum* imperium diutius toleraturam negabat, adoleſcens quidam *Nicolaus Canabus* inuitus Imperator inauguratur. Quæ vbi *Alexius* audiuit *Bonifacium* Marchionem accerſit; initoque conſilio, vtrique viſum eſt Latinas cohortes in Palatium admittendas eſſe, quibus nouus iſte Imperator, & populus qui illum deſignaſſet, ſubmoueretur. Eo conſilio nunciato, *Alexius Ducas* qui ob coniuncta ſupercilia Murzulphus dictus fuit, arreptâ occaſione, ad defectionem, quam parturiebat idoneâ cum multis cognatis ſuis ſpadonem fiſco præfectum ſibi conciliat, homuncionem incrementis dignitatis, & largitionibus non inexpugnabilem. Is verò Imperatoris conſilio bipenniferis nunciato, efficit, vt ea amplectenda cenſeant, quæ ipſe vellet, & Romanis grata eſſent. Ex eo Imperatoris expulſio quaſi per ludum inchoatur, eumque *Ducas* intempeſtâ nocte adit (erat enim ei intimâ familiaritate coniunctus, Protoueſtiarij dignitate & inſignibus calceis ab eo ornatus) & magnâ voce ait, cognatos eius, & plurimos obſcuros homines, in primis verò bipenniferos Barbaros furioſo impetu in foribus eſſe ad eum, ob initam cum Latinis familiaritatem, & amicitiam, diſcerpendum. Is verò eo nuncio territus, atque obſtupefactus, orat, vt quid agendum ſit moneat. Tunc ille Imperatorem latâ veſte, & ad pedes vſque fusâ, complexus, per portam pleriſque ignotam, in tentorium, quod in palatio habebat, quaſi liberaturus perducit. Qui ob id factum ei penè gratias agebat, & Dauidicum illud canebat: *Occultauit me in tentorio ſuo, in die malorum meorum; texit me in occulto tabernaculi ſui*. Ille verò alternis reſpondebat: *Labia doloſa in corde, & in corde locutus eſt mala; ac pacate mecum loquuti ſunt, & irati doloſ ſtruxerunt*. At *Alexius* ſtatim compedibus iniectis, in omnium teterrimum carcerem conijcitur, *Murzulfus* verò inſignia imperij ſumit, eumque deinceps alij Imperatorem de more conſalutant: alij ad *Canabum* in templo ſedentem confluunt, virum le-

leni ingenio, cordatum, & non imbellem. Sed quia peiora apud Conſtantinopolitanos in primis vincunt, *Ducæ* opes creſcebant, & firmabantur, *Canabi* verò ſplendor vt lunæ deficientis obſcurabatur: nec multò poſt à ſatellitibus Ducæ captus, cuſtodię traditur, populo nihil opitulante, poſt proclamationem eius diſperſis omnibus. Cæterum *Alexio* Imperatori *Ducas* bis venenum propinauit, quod cùm adoleſcens tum ætatis robore, tum antidotis, quibus clam vtebatur, viciſſet, laqueo ei guttur elidit. Clauâ tamen ferreâ in ſiniſtro latere contunditur: vt crederetur lapſus exanimatus, menſe imperij ſexto die octauo. Verùm ne *Murzulfus* quidem vltra duos menſes, & 16. dies imperio potitus eſt, expugnatâ rurſus à Latinis vrbe: qui eâ captâ, de ſuorum procerum numero *Balduinum* Flandriæ Comitem communibus ſuffragijs Imperatorem deſignarunt, agentem annum ætatis 32. virum pium, modeſtum, adeò pudicum, vt mulierem inuerecundè non adſpiceret, quamdiu à coniuge aberat, & bis qualibet hebdomadâ veſperi ploclamari iuberet, ne quis in ſuo palatio cubaret, qui alienam mulierem attigiſſet.

Murzulfum hoc imperante *Alexius* Iſaacij frater, quem Cõſtantinopoli relicto imperio profugit, dolo comprehenſum luminibus orbauit: neque multò poſt excæcationem idem *Murzulfus*, in Latinorum manus delatus, Byzantium reducitur, & ob Dominum, Imperatoremque ſuum Iſaaci F. laqueo ſtrangulatum, in iudicium vocatus, capitis damnatur, nouoque ſupplicij genere afficitur. Nam in altiſſimam columnam perductus, indè præcipitatur: & aliquandiu in pedes deſcendens, deindè in caput ſubuerſus, & humi alliſus, miſerabiliter interijt. *Nicet.*

ANNO CHR. 1205.

BALDVINVS FLANDER Orientis Imperator deſignatus, ætatis anno 32. nondum expleto, piuſque, ac pudicus præ reliquis, ac dignus eo apice viſus. Cùm peragratis prouincijs Theſſalonicam veniſſet, ciues exemplo Byzantinorum territi, introitum in vrbem militum deprecantur, perficiuntque officijs, vt redeatur Byzantium, vbi *Bonifacius* Marchio iam res nouas

agitabat. *Balduinus* eum placauit conceſsâ Theſſalonicâ, quam modeſtè ingreſſus Ferratēſis, mutato paulò poſt animo,ſpoliauit opibus,oſtētatoque è *Maria Hungarica*(fuerat ea quondā Iſaaci Imperatoris coniux) filio, Græcos ad ſe pellexit, vt Berœâ, Lariſsâ, totâque Peloponneſo potiretur, quòd & factum, Græciâque occidentalibus collum ſubdidit. *Balduinus* firmandarum opum cupidus, traiecit in Aſiam, præmiſſo Henrico fratre, qui per Idæ montis anguſtias, Adramitium vſque proceſſit. Pruſa Bithyniæ portas ei clauſit, cladемque haud modicam intulit. Adrianopolis à Græcis defenſa, tempus Ioanni Myſorum Duci dedit armandi ſuos, qui interceptus inſidijs, *Balduinum*, & Latinos, partim occidit, partim vinculis oneratos in captiuitatem rapuit. *Balduinus* vnius anni Imperator, maceratus carcere, fœdâ tandem morte interijt. *Niceta* refert, eum pedibus manibuſque truncatum, in vallem præcipitatum, & volucribus eſcam factum, tertio demùm die expiraſſe: Scythiſque haud multò mitiores Latinos terram, mariaque rapinis, & cædibus compleuiſſe. Vtriſque populis victæ ciuitates cùm pœnas miſerabiles darent, ipſi viciſſim Latini, Scythæque alternis ſe cladibus atterebant. *Dandulus* Venetorum Dux,ruptis è fugâ inteſtinis perijt. Latini interim neſciunt, quid ſuo Imperatori factum ſit, & hoſtibus ſine Principe ſe opponere non audent. Hinc factum Conſtantinopoli decretum,quo Latini promulgarunt ſe nemini popularium ſuorum inaugurationem regni conceſſuros, niſi morte *Balduini* prius exploratâ. Cùmque hoc modo annum vnum, & menſes quatuor Rempublicam ſine Imperatore adminiſtraſſent, audito eius interitu, *Henricum* fratrem Imperatorem declarant, qui imperio potitus, cùm ex ſuis Oreſtiade relictis, Scytharum,& Valachorum exercitus denuò egredi audiſſet:non hoſtium multitudine territus, nec ſuperiorum bellorum cladibus conſternatus, exire non dubitauit,vt & ſuos conſeruaret, & Græcorum reliquijs ſubueniret. Igitur Adrianopolim profectus, cùm Valachos Latinorum conſpectu, audaciam vſitatam, & rei militaris habitum etiam poſt illas ſtrages retinentium, territos vidiſſet: vſque ad Crenum, & Borcam eos eſt perſequutus. Indè

dè per Agatopolim, Anchialum vſque progreſſus, ibique caſtris poſitis, & multis rebus geſtis,vndè pecunias,homines, pecudum greges, & armenta cepit, ſaluus Conſtantinopolim redijt. *Niceta* hiſtoricus, qui Conſtant. Senator primarius fuit, & amplo officio apud Imperatorem functus erat, valdè prædicat Latinorum modeſtiam, & iuſtitiam in eligendo Imperatore, quod decus Græci in ſimili caſu per cędes, & ſanguinem expetiuiſſent. *Annal.Glyc.*

ANNO CHR. 1206.

IOTHATINES Sultanus Attaliæ Princeps, cùm *Alexius* Theodori Laſcaris ſocer ex Europâ in Aſiam profugiſſet, ad ipſum ſe ſe contulit, vt eius ope genere pulſo, rerum ipſe potiretur. Sed irritus hic conatus fuit, *Iathatine* manu Theodori fortiter præliantis interempto. Cùm autem annis 18. *Theodorus* imperaſſet, naturæ debitum perſoluit; *Ioanne Duca*, qui filiam eius Irenem in matrimonio habebat, ſucceſſore deſignato. *Annal.Glyc.*

ANNO CHR. 1208.

PHILIPPVS SVEVVS XXIV. Germanorum Imperator, *Henrici VI.* germanus, qui moriturus imperium, & filium ſuum *Fridericum* adhuc minorennem, h. e. quinque annorum puerum, fidei ipſius *Philippi* fratris commendauit. Hic adducto ſecum teſtamento *Henrici*, & *Friderico* nepote ſuo ex fratre, in Germaniam profectus eſt, atque Proceres imperij ſuæ promiſſionis admonuit, ſibique interim dum puer adoleuiſſet, vt erat teſtamento diſpoſitum, adminiſtrationem imperij concederent, & iuſta poſtulanti Principes Germaniæ aſſenſum præbuerunt. Deliberata hæc, & tractata ſunt Haganoæ, conſilia gubernante Epiſcopo Argentinenſi. Hinc *Philippus* decem annis imperium ſummâ cum laude adminiſtrauit, & pacatâ Germaniâ Imperium domi exornaturus legibus, ac iuſtitiâ foris amplificaturus bellis externis fuiſſet, ſi vita ſuppeditaſſet. Fuit enim naturâ bonus, ſapiens, moderatus, acer, & magnanimus Princeps, non in-

indignus tanto honore: quòd oſtendit in Italiæ gubernatione, quam in metu, & officio continuit,& in ciuilibus bellis, quorum aſperitatem bonitate, & lenitate ſuâ moderatus eſt, ac mitigauit, & acceſſit ad naturæ dotes rerum multiplex vſus, atque exercitatio longa in militaribus negocijs & politicis. Igitur motibus ciuilibus ſedatis, & pace in Germaniâ conſtitutâ, externos hoſtes aggredi conſtituit, vt *Canutum* Regem Daniæ, qui Hamburgum, & Lubecam ambas vrbes imperiales in hiſce motibus interceperat. Sed die 22. Iulij cùm in arce Bambergenſi fortè quieſceret in lectulo poſt venæ ſectionem, paucos tantùm familiares admittens, *Otho* Comes Palatinus (cui olim Imperator filiam deſponderat, ſed quòd *Otho* familiarem quendam Ducis Bauariç præter cauſam occidiſſet, atque ita homicidij reus, & perfidiâ notatus eſſet, ipſum repudiarat) familiariter ingreſſus cubile, ferro in iugulum Imperatoris adacto, & cubiculario fruſtra caput Domini protegente, ſauciato, vitâ eum priuauit, diemque ſic optimus Imperator, cùm annos decem imperaſſet, perfidè occiſus, clauſit extremum. Corpus primùm Bambergæ ſepultum: poſteà Spiram translatum eſt. Et *Otho* parricida non multò poſt ab *Henrico* Palatino Philippi Mareſcalco interemptus, facinoris ſui præmium tulit. *Cruſius* tale Epitaphium *Philippo* concinnat:

Inclytus hic primi Friderici *natus humatur.*
Illuſtri Rex Romanus virtute Philippus.
Cuius Bamberga ſcelerata cæde perempti,
Corpus Spira tegit, mens aura poſſidet aſtra.

OTHO IV. Dux Saxoniæ ſtatim dicit Comitia Francofurti, vbi à quinquaginta Principibus, qui conuenerant eligitur Imperator, vbi etiam lex de eligendo Imperatore ab *Henrico* ſancita antiquata eſt: hæc talis erat, vt Imperator impoſterum fieret ex ſolâ ſanguinis ſucceſſione, ita vt fieret hæreditarium, cuius initium ipſe tum fecit,dum filium ſuum creauit ſucceſſorem, & regna ſua Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ, Principatum Capuæ, & Spoleti, & alia vniuit imperio, vt quicumque eſſet Imperator, hæc regna ſimul haberet. Igitur hac lege antiqua-

tâ,

tâ, noua ſancita eſt his ferè verbis: *Imperatorum nullus hæreditariam dignitatem ſibi vendicato. Princeps ſex, ſacri ordinis tres,* Moguntinus, Treuirenſis, & Colonienſis. *Profani totidem*; Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ (qui tum fuit Brunſuicenſis) & Marchio Brandeburgenſis, *eum eliguntо*. Hi *ſi diſcordes fuerint, Bohemiæ Regem cooptanto.* Factum hoc decretum cum conſenſu Principum in pręſentiâ Legatorum Papæ, qui fuerunt *Hugolinus* Oſtienſis, & *Leo* Sabinenſis Cardinales. *Conſtit. Imp.*

ANNO CHR. 1123.

PETRVS Arragoniæ Rex, eodem hoc anno, quo *Fridericus Imper.* filiam ſuam vxorem ducit, ipſe occiditur. Cauſa hęc fuit Saracenis ex Africâ in Hiſpaniam nauigantibus, ipſi fortiter à Rege Arragoniæ repelluntur, qui elatus hac victoriâ, cùm Pontifex eodem tempore crucem prædicare iuberet contrà Albigenſes, eoſdem defendere conatur, & Comiti Leiceſtriæ, qui Dux erat contrà Albigenſes, prouinciam adimit, & ſe Tholoſanis coniungit. Sed Archiepiſcopus Narbonenſis Bituricenſem Ciuitatem expugnat, & cum Comite Leiceſtriæ contra Regem Arragoniæ pugnat, eumque trucidat die 13. Septembris, cùm regnaſſet annis 17. Cui ſuccedit *Iacobus* filius, qui regnat annis 63. *Annal. Arrag.*

GERTRVDIS Regina Hungarorum, mater *Eliſabethæ*, cùm maritus bellum Rhutenis inferret, trucidatur à Comite *Petro*, qui ſtatim deprehenſus ſequenti nocte dat pœnas. *Chron. Aug.*

ANNO CHR. 1217.

HENRICVS Caſtellæ Rex adhuc puer, dum cum equalibus ſuis ludit in areâ, tegulę ictu percutitur, & comminuto capite moritur die 6. Iunij fer. 3. cùm regnaſſet annis duobus & menſibus octo, ſuccedit *Ferdinandus*, qui regnat annis 35. *Marian.*

Digitized by Google

ANNO CHR. 1221.

PETRVS ANTISIDORENSIS Imperator Conſtantinopolitanus vxorio iure (quando maſcula nulla ſupererat proles) innixus, ab *Honorio* Pontifice ad D.Laurentij Templũ extrà vrbem inſignia imperij accepit. Indè Venetis Nauibus ſoluens, cùm Dyrrachium in Venetorum gratiam fruſtra tentaſſet, à *Theodoro Laſcare*, qui ſe Græcorum Imperatorem gerebat, per aſſimulationem pacis, præter iuſiurandi religionem & fidem, medio conuiuio obtruncatur. Sunt qui circà nemoroſa Theſſaliç loca (Tempe ea vocant) inſidijs captum, & in vinculis aſſeruatum produnt. Succeſſerat autem ipſi filius *Robertus*, qui ad nuncium paternæ captiuitatis Conſtantinopolim iam dudum venerat, dicitur imperaſſe annos ſeptem. *Egnat. Pariſ.*

ANNO CHR. 1225.

BALDVINVS quidam venditabat ſe prò *Balduino Flandro*, olim Imperatore Conſtantinopolitano, repoſcebat à Rege Galliæ Comitatum Flandrenſem, & perſuadebat ferè omnibus, ſe verum eſſe illum *Balduinum*, ſed filia tamen eius pro patre eum planè agnoſcere nolebat, & de re totâ inquiſitionem inſtituit, & tandem deprehendit eum impoſtorem eſſe, ideò ſuſpenditur, ab vtroque latere appenſis canibus *Pariſ.*

FRIDERICVS Comes Iſenburgius, quia in itinere trucidarat vulneribus octo *Engelbertum* Epiſcopum Colonienſem, poſt biennium ferè capitur, & *Frider. Imp.* iuſſu, rotâ, vt alijs latrones contunditur, eique imponitur, arxque eius ad ſolum vſque deſtruitur *Monach. Colon.*

ANNO CHR. 1226.

LESCVS ALBVS princeps Poloniç, *Caſimiri* filius per proditionem à *Suentopolco* Pomeraniæ Duce interficitur, cùm à morte patris annis 33. præfuiſſet, variâ fortunâ, ter electus, ter repulſus, ſuccedit ipſi *Boleslaus Pedicus* filius, qui regnauit annis 52. *Chron. Pol.*

AN-

ANNO CHR. 1230.

ACTIOLINVS Patauinorum Tyrannus, portentum humani generis, Saxonici ſanguinis à proauo *Alberico* auoque, & patre Actiolinis, Italicæ ſtirpi ad horribilem ſæculi peſtem inſertus. Vir fuit, vt *Iouius* ſcribit, ſuſpicioſus, vafer, infidus, ſæuus, & ſemper ad imperium anhelans, modò hanc, modò illam perſonam induere, hiſtrionum more didicerat. Ex eâ cruentâ ſimultate armis vehementer exercitus, Patauio, Vicentiâ, Veronâ, Taruiſio, ex ciuili diſcordiâ potitus eſt. Erant ei copiæ equitum & peditum perpetuis inueteratæ bellis, & quòd magno vſui fuit, fide, ſtudioque partium ſibi addictę; quibus acceſſerant Saracenorum alæ formidabiles, Germanorumque chohortes, & turmæ eximiæ virtutis, quas *Fridericus II.* Imp. attribuerat, tanquam Gibellinæ factionis Principi, atque impigrè tuenti Cęſaris nomen. Has vt aleret vniuerſas ciuitatum fortunas in fiſcum redigere opulentos ciues damnare, atqne proſcribere: Templa donarijs ſpoliare;ſacros earum reditus iutercipere,& neminē denique,qui pecuniâ,authoritate,clienteliſque valeret incolumē pati erat ſolitus.Ingenio ſiquidē audaci auaro, impenſeque impio, & nunquā cædibus ſaturato,dū odiū, lethale omnibus latè extenderet, ita euaſtarat florentiſſimas vrbes, vt cùm aduerſarum partium ſibi ſuſpectos ſuſtuliſſet, in Gibellinos denique, amicorumque præcipuos ac intimos familiares, immaniſſimè graſſaretur. Aedificarat ſingulis in vrbibus, atque oppidis carceres tenebris horribiles, in quos inuiſorum agmina contruderet, vt inædiâ, miſerabilique illuuie,tetro odore, & lurido ſqualore enecti, in compedibus, & robore crudeliter interirent; putreſcentiumque cadauerum immenſo fœtore cæteris pallentibus exoptata mors contagione, & metu accerſeretur. Nam eâ truculentiâ erant cuſtodes, vt niſi ex menſium interuallo carceres ſtercore prę alto, & multâ putidorum cadauerum ſanie redundantes, repurgarent, & cumulata inter ſemianimes enectorum corpora, vncis extraherentur. Nuſquam vel ſpatioſiſſimi carceres accumulatos etiam in ſtrues captiuos capiebant, non tortorum atque carnificum numeroſæ manus,

edendis cruciatibus,expediendiſque laqueis atque ſecuribus ſufficiebant. Viui homines in fruſta laniorum cultris ſecabantur. Quòd verò inauditæ crudelitatis fuit, capitale erat tortori, atque carnifici maturaſſe ſupplicia, vt vita per articulos, momentaque temporis, ad longos cruciatus extenderetur. In eos autem, vel inſontes, quos neci deſtinaſſet tanquam minoris criminis delatos, ita ex ſummâ ſæuitiâ fictæ clementiæ laudem quærebat, vt monoculos, vnipedes,& vnimanos dimitteret; poſtremò lugentibus ſuorum funera,vt lugere deſinerent,oculos eruebat: ex pauore circumſpectantibus fugam, vt viæ labore liberaret, amputabat pedes; alienæ porrò calamitati liberâ voce indolentibus, ne diù vociferarentur, linguam præcidebat. Delatores quoque ipſos negligentiæ, incuriçque damnatos, cùm damnandorum nomina deficerent, ductos in præaltam turrim, vt certius ſpecularentur, atroci ludibrio, ſed meritâ pœnâ, in foſſam præcipites dabat. Immenſæ autem humanitatis arbitrabatur, damnatorum, atque exulum vxoribus,& liberis, eâ conditione vitam condonaſſe, vt fœminis deciderentur mammæ, mares verò ad non dubium inimicæ ſobolis interitum caſtrarentur. Per hunc modum nuſquam remiſsà atrocis animi ſæuitiâ, ſed in dies rediuiuâ feritate debaccantem, ſupra triginta millia omnis generis ſexus, ætatiſque hominum, teterrimmo ſupplicio ſuſtuliſſe, eorum temporum ſcriptores tradunt. Iamque immanis bellua inſatiabili ingluuie vorax, humanique ſanguinis ſitibunda, Mantuç, Brixiæ, Mediolano, & cunctis Italiæ vrbibus inhiabat, deuoraſſetque procul dubio, niſi Romani Pontificis Legatus, Actiuſque Ateſtinus, indomitam feri monſtri rabiem vltricibus armis infregiſſent.

Actiolinus per eos dies conſpirantibus ſecum Inſubrum patritijs, quos *Martinus Turrianus* inducto popularium dominatu in exilium egerat, in id conſilium totus incumbebat, vt Mediolanum improuiſo adortus inuaderet, reductiſque patritijs, & pulſo *Turriano* Pontificij nominis ſtudioſo, debilitatas iam pridem iacenteſque Cæſarianas partes erigeret. Verùm cùm tyrannus acerrimè dimicans hoſtium turmas perrumpere conaretur

tur

tur, ei verutum ſcorpione adactum in imo crure pedem transfigit. Saraceni, Germanique in primis & reliquæ copiæ, multis acceptis vulneribus repelluntur. Nec tamen ſe ſe deſerit tyrannus, nec dolore vulneris, nec ſupremi diſcriminis metu ſuperatur; indeque conuerſis ſignis, ad vadum quo tranſierat, inſtante iam tergis *Turriano* ſe proripit. Multi ſuorum profluentis vorticibus abrepti perierunt; ipſe alto generoſoque vectus equo ita in ripam euaſit, vt madefacto vulnere ſeptuagenarius ſenex exorto intolerabili rigore quateretur, & quòd indomiti ſpiritus virum peruincere poterat, hoſtium antecurſores ad ſe opprimendum prouolantes conſpiceret. Per hunc modum â tergo premente *Turriano*, & à fronte noui hoſtis occurſu pulſus, & latè profligatus, cum paucis ſe fugæ mandat, Brixianâ viâ. Sed euadentem *Vbertus*, *&* *Actius* cum expeditâ equitum manu conſequuntur, & capiunt. Is *Vberto* non multum antea amico, atque eiuſdem factionis, quàm Actio veteri, & implacabili hoſti ſe dedere maluit. Eo modo exutus armis, ignobilique equo impoſitus ad Boſij tabernaculum perducitur, à quo humaniter reputatione tantæ calamitatis ſuſceptus eſt, ſed cùm ferox animus obligandi vulneris faſcias, & cuncta vitæ alimenta obſtinatâ feritate repudiaret, nec vllas vt bene ſperare vellet preces admitteret, dentibus infrendens, contumacique ore defixis ſolo oculis ſpectabatur. Tantus autem erat militum concurſus, vt magno ludibrio ſingulis propè inceſſentibus, latro impius, & tortor, & carnifex crebrò appellatus, incondito circumfuſæ ad Tabernaculum turbę, clamore, & fremitu, ad ſupplicium depoſceretur. Itaque Duces vrgentis iam coronæ violentiam veriti, eum ſpectaculo repentè ſubtrahunt, intempeſtaque nocte lecticæ incluſum ſub cuſtodiâ Soncinum deuehi iubent. Nec multò poſt in eodem pertinaci obdurantis animi decreto execrabilem animam exhalans, meritos cruciatus, quos feruida ira exulum ſtruebat, indignabundus effugit. Verùm *Albericus* Taruiſinorum tyrannus nequaquam virtute bellicâ, ſed naturæ immanitate *Actiolino* fratri comparandus, pro ſe, fratreque cumulatas ſcelerum pœnas perſoluiſſe viſus eſt, cùm Taruiſio pulſus,

Digitized by Google

& in Zenonis arce obſeſſus & captus, vxores, filiaſque in oculis viuas comburi, filios membratim diſecari, ſe ſe demùm diu tortum, attractumque pedibus equorum iugis per ſalebras, & vepreta, ad necem raptari, laniataque membra feris, atque volucribus deſtinari, omnium miſerrimus ſpectarit. *Antonius Franciſcus Rainerius* tale de Actiolino diſticon concinnauit:

Sylla, Nero, Caius, Mezentius; his tu
Azoline, ipſo & ſæuior es Phalari.

ANNO CHR. 1231.

LVDOVICVS BAVARVS à Morione, quem per ludum inceſſebat, trucidatur: alij putant Saracenum quendã de induſtriâ ſe Morionem eſſe ſimulaſſe, & præmio conductum ad Principem occidendum. *Annal. Suev.*

ANNO CHR. 1235.

CLAREMONTENSIS COMES edixerat *Haſtiludium*, ad quod euocauerat vicinos Comites, & Principes. Eò igitur aduenjunt Comes Hollandiæ *Florentius*, & Comes Cliuiæ. *Claremontenſis* occidit *Florentium* Comitem, & quia videbatur datâ operâ id feciſſe, Comes Cliuiæ eum viciſſim obtruncat, & ita ex ludo fit lugubre prælium. Præfuerat Florentius annis 12. Succedit ipſi *Wilhelmus* filius puer, cuius tutor fuit Epiſcopus Traiectenſis. Factus eſt hic *Wilhelmus* poſtea Romanus Imperator, & Comitatui pręfuit annis 21. *Chron. Belg.*

ANNO CHR. 1237.

GEORGIVS Princeps Moſcouiæ, perſequitur à *Batho* Tartaro, qui Moſcouiam regiam vrbem, omneſque reliquos principatus inuadit, ipſum Regem interficit, & Moſcouitis nouũ ducem dat fratrem cæſi ducis, & eos ſeruilem in modum tractat diuturno tempore, donec iugum Tartarorum iterum excuterent. *Moſcouit.*

ANNO CHR. 1241.

HENRICVS Dux Tartarorum, in Sileſiam irrumpens, cum Vratislauienſibus in initio feliciter prœliatur, poſteâ tamen magnâ clade vincitur, & in ipſo prœlio trucidatur. ***Dubr.***

ANNO CHR. 1244.

ELMVTAN Sultanus Ægypti anno Hegiræ 642. à Turcomannis coniuratione factâ pulſus in turrim ligneam confugit, cui Turcomanni ignem ſubijciunt, vt Sultanus comburatur: ne hoc fieret, ipſe ſe in profluentem prœcipitem dedit, atque ita ſimul igne perijt. Ei ſufficitur ſequenti anno Turcomannus ***Aredin-Ibic***, atque ex eo tempore Turcomanni, ſiue ***Mameluchi*** in Ægypto dominati ſunt. ***Zacuth.***

ANNO CHR. 1246.

FRIDERICVS Dux Auſtriæ prohibet ***Belæ*** Regis Hungariæ in ſuum regnum reuerſuri, ne per fines ſuos tranſeat. ***Bela*** cùm alia via non pateret, vi ſibi tranſitum facere conatur, & cum ***Friderico*** prælio decertat. ***Fridericus*** ad dexterum oculum vulneratus, equo excutitur, & conteritur, die decimoquinto Iunij. ***Dubr.***

ANNO CHR. 1247.

LVDOVICVS Comes Palatinus ***Mariam*** vxorem adulterij ſuſpectam interficit, pro quo facto Cœnobium ædificat; indè Caſtrum Friburgh contrà Epiſcopum Auguſtanum conſtruit, & ***Annam*** Regis Poloniæ filiam vxorem ducit. ***Trith.***

ANNO CHR. 1248.

HENRICVS LANDGRAVIVS, ab Epiſcopo Moguntino, & Colonienſi electus Imperator, poſt vulnus acceptum ad vlmam, morbo inſuper corripitur, ideò Iſnacum defertur, vbi ex vulnere moritur. Nullos reliquit hæredes maſculos, ſed filiam, quæ nupſerat Duci Brabantiæ, & filium habebat

tri-

Digitized by Google

trimulum: Sororem etiam habebat, quæ nupſerat *Diterico* Marchioni Miſniæ, ex quâ filium ſuſceperat *Henricum* Marchionem Miſniæ, bello ſtrenuum; vtraque pars contendit hæreditatem ad ſe pertinere, vtraque pars occupat vrbes, Marchio in Thuringiâ, Sophia in Haſiâ per interceſſores Principes; Res verò eò deducitur, vt quòd quiſque occupaſſet, teneret, donec per Imperatorem, & Principes ſententia proferretur; fuit ita res in inducijs per quadriennium. *Fab.*

ANNO CHR. 1250.

FRIDERICVS SECVNDVS Rex Siciliæ, XXVI. Germanorum Imperator, filius *Henrici VI.* & *Conſtantiæ* fuit. Cum *Otho IV.* Imper. apud Pontificem Romanum in odium incurriſſet, eò quòd Pontificias ditiones inuaſiſſet, & ad totius Italiæ imperium adſpiraſſet, *Innocentius III.* Papa ſolemnem in eo deteſtationem exprompſit, quâ illum piorum communione ſubmouit, atque omnes Principes, populoſque, qui illi Sacramenta dixiſſent, religione ſolutos ab illo recedere, tamquam à nefario homine, & capitali Eccleſiæ hoſte præcepit. Quâ re acceptâ Germaniæ Principes, Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, Dux Bauariæ, Landgrauius Thuringiæ, & Archiepiſcopi Moguntinus, & Treuirenſis in vnum coeuntes ipſum communi conſilio reliquerunt, ac *Fridericum* Idibus Decembris in Apuliâ commorantem Regem ex authoritate Pontificis deſignarunt, eumque ad coronam accipiendam inuitarunt, Legatis Henrico, & Anſelmo ad ipſum, & ad Pontificem deſtinatis. *Fridericus* ergo euocatus ad imperium ex Siciliâ, quanquam repugnantibus vxore, & Siculi regni proceribus, tamen aſſenſus eſt, & Legatos, qui miſſi erant, vt ipſum adducerent, ſecutus per Tridentinam vallem, & Rheticas alpes peruenit in Germaniam anno Chr. 1212. Ibi à ſuis exceptus, & iuſtis copijs inſtructus, mox recepto Briſaco, & Haganoâ expugnatâ, Mogunti comitia egit, vbi iuramentum fidelitatis ipſi multi dederunt; Indè *Othone* procul in Saxoniam pulſo, omnem ad Rhenum Germaniam magnâ celeritate occupauit; cùmque Aquiſgrani coronatus eſſet, quo minus

minus

nus metueret, ſe ſe fœdere, & ſocietate vicini Regis Franciæ *Philippi* muniuit. Progreſſu temporis *Othone* mortuo, *Fridericus* regnum ſine controuerſiâ tenuit, ac ſtatim res Germaniæ componere ſtuduit, quo maturiùs, ac liberiùs rebus vacare Italiæ, atque ad coronam imperij accipiendam accurrere poſſet. Verùm *Friderici* imperium non ſolùm Eccleſiæ, ſed etiam cuncto regno, atque adeò etiam Italiæ vniuerſæ calamitoſum extitit; neque enim aliud fuit, quàm aſſiduum cum tribus Pontificibus, & cum ſingulis Italiæ ciuitatibus bellum; quos omnes tanto odio ac tantis viribus oppugnauit, vt in eo *Henricum* patrem ſuperarit, auum verò *Fridericum* æquauit. Ex Pontificibus autem alter altero acrior, & iuris Eccleſiæ retinentior, nunquam contumaciæ illius reſiſtere deſtiterunt. Cùm enim *Fridericus* in Italiam proficiſci conſtituerit, vt inſignia imperij acciperet, præmiſit Legatum *Conradum* Epiſcopum Spirenſem Cancellarium ſuum, qui fide iuſiurandi omnes ciuitates, & populos, Italię obſtringeret, viamque ſibi ad ſummum dignitatis faſtigium præpararet. Et vt famam clementiæ, benignitatis aſſequi, & conſeruare poſſet, & ipſe multa priuilegia dedit, & confirmauit, & Legato ſuo idem faciendi poteſtatem liberam conceſſit. Mox ergo Legatum ſuum ſubſecutus promptiſſimis omnium ſtudijs ac officijs in Italiâ ſuſceptus eſt. Sed Mediolanenſes acceptæ ab auo eius *Friderico Barbaroſſa* iniurię memores, poſtulationi *Friderici* de coronâ ſibi conferendâ locum dare noluerunt. *Fridericus* hanc ſibi factam iniuriam diſſimulatione prudenti pertulit, & rectâ Romam profectus 10. Kalend. Decembris ab *Honorio* Pontifice per Abbatem Fuldenſem coronationem impetrauit, his pactis interuenientibus, vt omnes conſtitutiones, & donationes pro libertate, ac tranquillitate Eccleſiæ, eiuſque poſſeſſionum integritate, à *Friderico*, eiuſque prædeceſſoribus datas, factaſque, diplomate nouo roboraret. Crucem ſignatis Damiatam obſidentibus quantocyus ſubueniret, copiaſque in continentem Ægypti exponeret. Paulò poſt ſpreta iuriſiurandi religione, quod *Innocentio* primùm, mox *Honorio* præſtiterat, vexatis terris Pontificijs, Archiepiſcopos, Epiſcopos,

pos, Prælatos pro libitu, & inſtituebat, & deijciebat, electiones liberas ſibi vſurpabat, ab Eccleſiijs collectas exigebat, pædagia, & vectigalia Clericis imponebat, Eccleſiarumque priuilegia violabat, hinc iuſtum Pontificis odium ſibi conciliauit. *Sig.*

Demùm *Friderico* prædictum fuerat, ſe in caſtro quodam *Florentino* moriturum; ideò *Florentiam* ſemper vitauit. Verùm die 3. Decembris venit in arcem quandam in Apuliâ, quę *Florentina* dicebatur: vbi veneni morbo correptus eſt. Cùm autem à tali morbo reconualeſcere poſſe videretur, *Manfredus* filius eius nothus, iam Tarentini Ducatus honore decoratus, iniecto in os patris decumbentis puluino ipſum ſuffòcauit: iuſto Dei iudicio, vt qui matrem ſuam Romanam Eccleſiam tam miſerabiliter tractauerat, à filio ſpurio pari pœna tractaretur, anno ætatis 57. imperij 38. magnâ pompâ à *Manfredo* in Montis Regalis Eccleſiâ ſepultum ſcribunt *Ricordanus*, & *Ioannes Villanus*, atque hoc Epitaphium eius ſepulchro inſculptum:

Si probitas ſenſus, virtutum gratia, cenſus,
Nobilitas orti poſſent obſiſtere morti:
Non foret extinctus Fridericus, *qui iacet intus.*

Circumfertur aliud eiuſdem Epitaphium, quo maximam Regum potentiam, dignitatem, opes in ſepulchri titulum redigi non ineleganter deſcribitur.

Qui mare, qui terras, populos, & Regna ſubegit
Cæſareum fregit ſubitò mors improba nomen.
Sic iacet, vt cernis, Fridericus *in orbe ſecundus:*
Nunc lapis hic, totus cui mundus paruit, arcet.

Eâdem porrò nocte, quâ ille interijt, ipſius Præfectum Florentinę Ranerium è monte merlo, concidente fornice camerę, in quâ iacebat, oppreſſum tradunt. Quantum verò ex *Friderici* morte, res Eccleſiæ, quæ depreſſæ erant, aſſurrexerint, vide apud *Odoricum Raynaldum* alioſque catholicos Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores.

ROBERTVS frater *D. Ludouici IX.* Regis Galliæ, dum Saracenos in villâ inſectatur, ab ipſis interficitur die 1[illegible]. Februarij. Poſteà iterum acris fit pugna â *D. Ludouico*, in quâ etſi

Sara-

Saraceni magnâ cateruâ irruerent, noſtri tamen fortiter eos ſuſtinent. Poſt aliquot dies aduentat *Sultani* filius cū magno exercitu, *Galli* contrà peſte conflictantur, & etiam inopiâ commeatum, cùm Damiata nihil afferri poſſet, impedientibus Saracenis. Ideò *D. Ludouicus* conatus eſt redire Damiatam die 5. Aprilis, vbi cùm totus exercitus circumdaretur Saracenis, Rex *Ludouicus* captus eſt, cum duobus fratribus, reliqui ferè omnes ad internecionem cæſi: laborabat tunc Rex peſte, ſed à Sultano diligentiſſimè curatus eſt. Tandem ineuntur induciæ, vt Damiata Saracenis reddatur, captiui vtrinque dimittantur. Rex pro liberatione octo millia Biſantinorū ſoluat, & decennio toto bellum contrà Saracenos non gerat, atque ita Rex liberatur die 2. Maij, vbi inducię, & inita pax publicabatur. Inter publicandum *Sultanus* à ſuis in fruſta conciditur, & ex duodecim millibus captiuorum, vix tria millia redduntur. Rex *Ludouicus* liberatus Ptolemaidem nauigat die 8. Maij, vbi integrum quadriennium permanſit. Fratres enim dimiſerat in Europam ad adducendas nouas copias. *Nangis.*

HENRICVS Danorum Rex ab *Abele* fratre in mari ſuffocatur: *Abel* verò ſequenti anno, dum Friſonibus bellum infert, trucidatur. *Chron. Belg.*

ANNO CHR. 1252.

HENRICVS filius *Friderici II.* Imp. cùm ad fratrem *Conradum* properaret, in Lucanis per inſidias à Saracenorum Duce occiditur, procurante fortaſſis id *Conrado* fratre, vt *Pandulphus* habet. *Pariſ.*

ANNO CHR. 1254.

CONRADVS QVARTVS XXVII. Germanorum Imperator filius *Friderici II.* & *Iola* Regis Hieroſolymitani filię, quam Fridericus eâ lege matrimonio ſibi iunxit, vt ius regni Hieroſolymitani, & hæreditatem acciperet. Indè fieri, inquit *Nauclerus*, vt hodie etiam Siciliæ Reges titulum Regni Hieroſolymitani vſurpent. Hic in Italiâ operâ *Icelini* multa crude-

litatis exempla edidit, & ſacro ſpiculo ab *Innocentio IV*. percuſſus, cenſuras Eccleſiaſticas nec quicquam penſi ducens, ad reliqua regni Neapolitani diripienda, atque depopulanda poſt Comitium die 24. Februarij apud Melſim celebratum properauit: & *Henricum* duodecim annorum fratrem ex Siciliâ accitum, vt cum theſauris puero à *Friderico* relictis, vnâ quoque, & regno Siciliæ potiretur, Ioanni Mauro Capitaneo occidendum dedit: atque non multò poſt diebus Aprilis exercitu admoto, Calabriæ, Apuliæ, Capitanatę, & Principatus Tarentini multis ciuitatibus in poſſeſſionem acceptis occubuit, veneno in clyſtere à medico infuſo, procurante *Manfredo*, extinctus die 22. Maij vigiliâ Aſcenſionis, anno 19. ab electione, à morte patris quarto. Moriturus *Conradinum* filium triennem, quem ex *Margarita* Ducis Auſtriæ Leopoldi filiâ ſuſceperat, hæredem, regnique ſucceſſorem reliquit, tutoribus illis Bauaris Proceribus, quos ſecum ipſe Neapolim duxerat, ei aſſignatis. Fuit *Conradus* Friderico patri, inclementiâ, ambitione, & malignitate perquam aſſimilis, Eccleſias in equorum ſtabula commutans, ſed elegantiâ, & morum facilitate, quam ille artificio quodam præſeferebat, carens, vt prudentia illum, vel potius Patris aſtutia deſtituiſſe videbatur. Mortui cadauer fortuito incendio ſemiuſtum indicium dedit animam eius ignibus perpetuis deputatam eſſe. Aliquis ei ſepulchrale Epitaphium inſcripſit his verſibus.

Funere Conradus caruit, tumuloque rebelli
Vtraque namque negat munera, religio.
Atque oſſa illius medijs dum ſeruat in vndis
Trimacris, ignis edat intumulata cremat.
Diſcite vos Reges, Diuos non temnere, punit
Vos natura Dei ſapè miniſtra reos.

Conrado extincto, cùm ciuitates regni Neapolitani ab eodem euerſæ, ſibi à tutoribus *Conradini* metuerent, & imperium Germanorum perquam exoſum haberent, *Manfredo* non illibentèr parebant: maximè quòd is acerrimo ingenio, apud Pontificios *Innocentij* partes ſe agere, apud Conradinianos autem pueri tute-

tutelam ſe ſuſcepiſſe mentiretur. Cùmque ingentis eſſet Spiritus, & nonniſi ad regnum adſpiraret, teſtamentum à *Conrado* factum in primis ſuppreſſit, conſcijs quibuſque veneno ſublatis: & populos ad Conradini pueri nepotis ſui in Alemaniâ agentis fidem ſolicitauit: eius tamen extinguendi deſiderio inflammatus, veneno infecta nonulla ei in Germaniam munuſcula miſit, quæ ſi nihil efficerent, in Italiâ ad capeſſenda regna inuitauit, vt illic vi apertâ, ſeu dolo malo infantem imbellem opprimeret atque regnum vtrumque ad ſe transferret. Nam eos qui partium pueri fuerant, dubios, vacillanteſque videbat, atque in rebellionem, ſi qua ſe offerret, occaſio, pendentes.

ANNO CHR. 1256.

WILHELMVS Comes Hollandiæ, XXVIII. Germanorum Imperator, filius *Florentini* in haſtiludio occiſus, vt diximus ſuprà ad annum 1235. Mater dicta fuit *Mechtildis*, filia Henrici Ducis Brabantiæ, & ſoror *Andreæ* Regis Hungariæ, qui pater fuit S. Eliſabethæ. Soror huius *Wilhelmi* fuit Comitiſſa illa Hennebergenſis, *Margaretha* dicta, quæ anno ſalutis 1277. ætatis verò ſuæ 30. Hagæ-Comitis in Hollandiâ, in die Paraſceues vno partu infantes viuos trecentos ſexaginta quinque, maſculos, & fœminas magnitudine pullorum Gallinarum peperit, quot ſcilicet ſunt dies in anno: qui poſtquam per Epiſcopum ſuffraganeum Traiectenſem Guidonem, præſentibus nonnullis proceribus,& magnatibus,in pelui quadam baptiſmi Sacramentū percepiſſent,& maſculis *Ioannis*, fœmellis verò nomen *Eliſabeth* impoſitū fuiſſet,vnâ cū matre omnes eodem die deceſſerunt, & in Monialium Ordinis S. Bernardi Monaſterio Loduno, non procul ab Haga ſito, tumulati ſunt. Occaſio autem, hæc fuit: Mendica quædam, quæ gemellos vno partu habuerat, ab hac Comitiſſâ eleemoſinam petijt, illa autem non ſolùm eam inanem à ſe dimiſit, ſed tanquam adulteram inſimulauit: negabat enim poſſe fieri, vt ex vno viro gemellos ſuſciperet; ideòque hoc ſuo partu detectum eſſe, quòd ſe alijs viris proſtituiſſet. Innocens mendica hac exprobratione,& igno-

Digitized by Google

minioſâ repulſâ commota precibus ſuis à Deo flagitauit, vt ſi ſe caſtam, & puram ſciret, daret Comitiſſæ ex marito ſuo tot fœtus vno conceptu, quot ſunt dies in anno. Quòd etiam euenit; ſicut *Ludouicus Guicciardinus, Ludouicus Viues, aliÿque Hiſtorici* teſtantur. Nunc ad Wilhelmum redeat ſermo.

Cùm *Henricus* Thuringiæ Landgrauius ex vulnere ad Vlmam accepto obijſſet, Principes Electores nil remittentibus iuſtis Pontificum odijs aduerſus *Wilhelmum* II. detulerunt ſummam rerum ad *Wilhelmum* Comitem Hollandiæ. Electio facta eſt anno Chr. 1347. Cùmque iam Imperator electus in Italiâ commoraretur, Friſij occaſione acceptâ, Hollandiam inuaſerunt, eamque ſpoliarunt. *Wilhelmus* igitur vt ſuę ditionis fines tueretur, collecto exercitu contrâ Friſios profectus eſt, & feliciter rem geſſit. Debellatâ igitur Friſiâ ac ſubactâ, cùm victor eâ egrederetur, à quibuſdam fugitiuis ſecus viam in arundineto latitantibus, cuſpidibus transfigitur, & cùm agnitus eſſet, nè fierent maieſtatis rei, clam in loco ignobili ſepelitur. cùm Hollandiam annis 21. rexiſſet, & Imperator fuiſſet annis 9. cui ſuccedit filiolus *Florentius* iam anniculus, qui prę̨eſt annis 30. *Chro. Trai.*

ANNO CHR. 1266.

MANFREDVS Friderici II. Imper. filius nothus, ex nobili pellice Blancâ natus. Hic varios in imperio tumultus excitauit, & patrem iniecto in os eius puluino, ſuffocauit. Deindè fratri *Conrado* author fuit, vt multa crudeliter ageret, quo ipſum apud ſuperos inuiſum redderet, tandem & eum veneno ſuſtulit. Eo ſublato, eius filij *Conradini* in Bauariâ degentis tutelam ſuſcepit, vt ſub eo prætextu regnum Siciliæ, & Italiæ occupare poſſet: ſed cùm multiformis eius perfidia manifeſtaretur, ſimul & ſpe regni decidit, & vitam amiſit. Nam vſurpato ſibi regio nomine, & ductâ Arragonum Regis filiâ, poſtquam Pontifici ſubiectionis fidem dediſſet. & ſimulatione quadam fefelliſſet, miſit in Germaniam percuſſores, qui *Conradinum* interficerent, & nondum perpetratâ cę̨de eam cum magno ſuo exitio,

ac

ac ſi verè mortuus *Conradinus* eſſet, diuulgauit, & quaſi ad ſe iure ſucceſſionis pertineret, regnum vi, & exteris Saracenorum auxilijs occupauit, ſed pœnas mox dedit, & regna parricidijs aſtutè acquiſita amiſit.

— Nec enim lex iuſtior vlla eſt,
Quàm necis artifices arte perire ſua:
Ergo, & periurios meritò periuria fallunt.

Ouid. 1. de art. aman. Quarè hiſce conſilijs prauis *Manfredi* commotus Pontifex *Vrbanus* IV. *Carolum* Comitem Andegauenſem, fratrem *D. Ludouici* Regis Galliæ, aduerſus *Manfredum* anathemate percuſſum euocauit, & *Carolus* in Italiam veniens, Anno Chr. 1265. Romæ magno honore exceptus, Senator creatus, & Rex Hieroſolymorum, ac Siciliæ proclamatus eſt. Anno ſequenti propè Beneuentum *Manfredum* prælio vicit, & interficit per proditionem, operâ *Ioannis Rotæ*, Comitis Caſertæ, cuius coniugem *Manfredus* ſtuprarat, illumque inſepultum abiecit: atque ita *Manfredus* eſca canum, & volatilium factus. Quippè Dei occulto, & mirabili iudicio ſepulchri honore indignus fuit, qui nihil Deum, ipſamque adeò pietatem veritus, genitori ſuo vitam ademit. Ipſa namque natura, & terra mater ab huiuſcemodi nefarijs hominibus abhorret. Vxor quoque eius ac liberi ex eâ ſuſcepti poſteà in carcere miſerè perierunt. *Manfredo* ad flumen Viride tale Epitaphium fuit erectum:

Hic iaceo Caroli Manfredus morte ſubactus,
Cæſaris hæredi non fuit vrbe locus.
Sum patris ex odio auſus confligere Petro:
Mors dedit hìc mortem, mors mihi cuncta tulit.

Idem *Carolus* miſſo in Thuſciam equitatu, Florentiam, aliaſque ciuitates, *Gibellinis* pulſis, *Guelfis* reſtituit. Opportunè tunc plurimi Florentinorum Guelfæ factionis, in auxilio Carolo aduenêre, ſtrenuam operam in bello contrà *Manfredum* polliciti. Hos cùm Pontifex commendatos Carolo eſſe iuſſiſſet, inſigni in armis & vexillis præferendo, tum ornauit, tum diſcreuit; quòd fuit Aquilæ rubentis imago, ceruleum Draconem ſubiectum vnguibus præmentis. *Bzou. Trith.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1268.

CONRADINVS filius *Conradi IV.* Imper. fuit poſtremus ex *Friderici Barbaruſſæ* familiâ: Hæres regnorum Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ, qui *Manfredo* è medio ſublato, magnis in Germaniâ collectis copiis, innumerâ penè Gibellinorum multitudine adiunctâ, adeò Mareſchialli (erat is Præfectus militię Caroli Regis) in Hetruriâ vires diſtraxit, vt commiſſo cum eo prælio, inſigni victoriâ potiretur, occiſo ipſo Duce, & aliquot Guelforum millibus: & ni per *Henricum* Senatorem vrbis in vlteriorem Italiam fuiſſet euocatus, Aretium vrbem cepiſſet, totamque ſibi Hetruriam ſubiugaſſet, videbat enim Siculorum, & Neapolitanorum animos ſibi inclinari. *Clemens* tamen IV. in Cœna Domini, & in dedicatione Baſilicæ S. Petri, contumacem *Conradinum* ſpirituali gladio ferit, & totius rei cauſam, ordinemque Regi *Carolo* præſcribit. *Conradinus* excommunicatus petulantiorem animum à cenſurâ accepit, adeòut quidem ſub ſignis conſpici à *Clemente* voluerit, & Eccleſiæ, Sedique Apoſtolicæ extrema intentarit. Conſpicatus Pontifex Viterbium prætereuntes, ſeque in armis oſtentantes Duces in veteranum Regem impetu improuidè ferrentur: ſeù diuinitus: *Hæ*, inquit, *opimæ victimæ ad aras aguntur*. Conradini numeroſum exercitum auxerunt Gibellini, ex varijs locis confluentes: immò & *Henrici* Regis Alphonſi frater anno præcedente receptus à Pontifice, eum ſequutus eſt: ad Fucinum lacum ventum, & loco pugnæ deſignato, cùm tribus horis pugnatum eſſet, *Carolus* ex inſidijs hoſtem adortus, ſolutis iam ordinibus, pro victore ſe gerentem clariſſimam tulit victoriam; hinc *Conradinus* magnâ clade victus, & captus cum *Friderico* Auſtriaco. Euaſerat quidem, ſed ex annulo agnitus, ex fugâ eſt retractus. His ad ſe adductis, *Carolus* victor non contentus gloriâ victoriæ, quòd magni, & generoſi fuiſſet animi, ſuperbè inſuper, & contumelioſè illudit. Nouo enim, ac nomine regio indigno exemplo, caput ſecuri amputari iuſſit Neapoli vnâ cum *Friderico* cognato Auſtriæ Duce. *Robertus* Flandriæ Comes quidem vehementiſſimè obſtiterat,

Ca-

Digitized by Google

Carolumque admonuerat, victorem generoſum decere, moderatum, & clementem eſſe; ſed nihil effecit. Vicit enim impotens animi cupiditas. Nam ita fert natura rerum, vt omnis victor inſtabili rerum ſecundarum deſiderio efferatur, neque finem vllum cupiditati ſtatuat: & ad quem ęmulatio acceſſit, eius mentem ſic obruit, vt eam planè feram, & inconſultam efficiat. Quarè Comes Flandriæ, cùm id impedire (ne videlicet *Conradinus*, & *Fridericus* occiderentur) non potuiſſet, protonotarium *Robertum Barium*, qui è cathedrâ capitalem ſententiam tenuiſſimæ conditionis homo pronunciauerat, tanquam vitâ indignum, enſe confodit; ne gloriari poſſet, ſe tantæ excellentiæ Principes morte damnaſſe. Carnificem quoque poſt peractam cædem ſtatim interfici iuſſit: ne gloriari poſſet, à ſe tam nobilem ſanguinem effuſum. *Carolus* cæde nefariâ Principum virorum ſuam cupiditatem explere non potuit, quin & Epitaphio acerbo mortuis inſultaret: quod nec pium, nec Chriſtianæ charitati conſentaneum eſt. Tale autem interfectis Heroibus monumentum memoriæ poſuit:

Aſturis vngue Leo pullum rapiens Aquilinum,
Hic deplumauit, acephalumque dedit.

Cæterum vt ex Hiſtoriarum monumentis liquet, crudelitatis fama terribilis *Carolus* fuit, nam Siculos immoderatè rexit, & multam lanienam eorum cumulauit. Cui in faciem *Petrus* Arragonum Rex aliquando dixit. *Tu Nerone Neronior, & Saracenis crudelior es.* Conſtat poſt decollatum *Conradinum*, & *Fridericum*, caput Friderici extremum calorem expirantem, nomen Beatiſſimæ Virginis ſemel, & ſecundò diſertè pronuntiaſſe.

Intereà *Margarita* mater *Conradini* Neapolim venit, multo auro onuſta, redemptura filium ſi adhuc ſuperuiueret, ſed occiſum inuenit, locumque à cædis loco nonnihil à ſe remotum templo à ſe dotato ornauit; cui iam anteà Neapolitani Coriarij hoc Epitaphium poſuerant.

OS-

OSSIBVS, & MEMORIAE

Conradini de Stouffen, vltimi ex ſua progenie Sueuiæ Ducis, Conradi Rom. Regis Fr. & Friderici II. nepotis: qui cùm Siciliæ, & Apuliæ Regna exercitu valido vti hæreditaria vindicare propoſuit, à Carolo Andegauio I. huius nominis Rege Franco Cæperani in agro Palento victus, & debellatus extitit, denique captus, cum Friderico de Asburg, vltimo ex linea Auſtriæ Duce, itineris, ac eiuſdem fortunæ ſocio, hic cum alijs (proh ſcelus!) à victore Rege ſecuri percuſſus eſt. Pium Neapol. Coriariorum collegium humanarum miſeriarum memor, loco in ædiculam redacto, illorum memoriam ab interitu conſecrauit.

Tandem etiam *Carolus* Conradum filium nothum *Friderici II.* Imper. Ducem Antiochenum perſecutus, captum oculis priuauit, & ſuſpendi iuſſit. Tota proindè *Friderici II.* poſteritas deleta, & vetuſtiſſima, nobiliſſimaque ſtirps Ducum Sueuiæ imperio, & rebus, domi, foriſque, pace ac bello ſapienter, & fortiter geſtis clariſſima, extincta eſt, cùm imperaſſet annos 115. regnaque Siculum, ac Neapolitanum tenuiſſet annos 76. *Sifrid. Miſcell. Blond. Bzou.* Idem verò *Carolus* quibus artibus hoſtes vicit, iiſdem & ipſe tandem perijt, vt ſuo loco demonſtrabitur. Vide Ann. Chr. 1282.

ANNO CHR. 1271.

RICHARDVS Comes Cornubię XXIX. Germanorum Imperator, filius *Ioannis* Regis Angliæ, & *Eliſabethæ* fuit. Hunc defuncto *Wilhelmo*, plerique Germanorum Principes Imperatorem elegerunt, miſſuſque in Angliam ad *Richardum* euocandum Epiſcopus Colonienſis, qui eò venit Anno Chr. 1257. die 13. Ianuarij. Paulò poſt Paſchą *Richardus* in Germaniam tranſiturus vento detentus, alijſque incommodis fuit. Coronatus Aquiſgranæ in feſto Aſcenſionis die 17. Maij. Sed alij Principes diſſentientes ab electione, conuenerunt Francofurti, & *Alphonſum X.* Caſtellæ Hiſpanum Imperatorem crearunt. *Richardus* verò cùm multa non neceſſaria, nec Imperatore ſatis digna geſſiſſet, perſequendo eos, qui in eius electionem non conſen-

ſe-

ſerant, armorum præſidio magis, quàm procerum beneuolentiâ, ſe tutum fore exiſtimans, omnium odio grauatus, ac facultatibus, quas dum vrbes imperij ab alijs oppignoratas redimeret, & in obſequium traheret, perdidit, exahuſtus, deſperatione quadam in patriam ad *Henricum* fratrem Regem Angliæ redijt cum quo contrà ſubditos bellum gerente ſocia arma induit, & in obſidione cuiuſdam vrbis ſagittâ percuſſus mortuus eſt, die 2. Aprilis *Chron.Colon.Pariſ.*

Magnus per eoſdem dies, Viterbij facinus, ex inopinato caſu accidit: Venerat ad *Theobaldum* ex Palęſtinâ reducem *Henricus* adoleſcens *Richardi* tunc defuncti filius: multa paterni olim regni negotia apud Sedem Apoſtolicam tractaturus. Dumque nouum creari Pontificem anxius expectaret: *Guido* Comes Montfortius & ipſe adoleſcens, cum *Philippo* Francorum Rege eodem ſe contulerat: Fortè ad Baſilicam D. Laurentij, *Henricus* rei diuinæ audiendæ ingreſſus fuerat; cuius ignarus *Guido*, & ipſe paulò poſt acceſſerat. Sacram tunc hoſtiam eleuabat Sacerdos, cùm Montfortius *Henricum* liberali, & prorſus regiâ facie iuuenem conſpicatus, & *Richardi* filium eſſe doctus, in æde ſacrarum maximâ, propè ipſam, aliquot confoſſum vulneribus interfecit, viâque ſibi ferro factâ, præparatum ad valuas templi equum conſcendit, abijtque ad ſocerum, *Rubrum*, Comitem Anguillarium, Hetruriæ Præfectum. Cauſa cædis fuit, quòd *Richardus* Simeonem Comitem Montisfortis patrem Guidonis per dolum interimi ſiue iuſſiſſet, ſiue adeò toleraſſet. Cædes *Henrici* apud omnes, & in primis apud Anglos conflauit ingentem inuidiæ flammam *Carolo* Regi, quòd non proſequeretur cædem factam ab eo, cui ipſe Vicarius imperij, & Hetruriæ prouinciam procurandam dediſſet, & nobiliſſimas nuptias conciliaſſet. Frater Henrici *Eduardus*, cor occiſi balſamo imbutum in Angliam retulit, & pixidi aureæ inditum in faſtigio columnæ ad pontem Londinenſem erectæ collocauit, vt memoria eius occiſionis ante oculos Anglorum verſaretur, quæ eos ad vindictam ſumendam in momenta excitaret. *Bzou.*

ANNO CHR. 1273.

CAROLVS Siciliæ Rex perfidè in venæ ſectione, quam inſtituerat 26. Maij, veneno interficitur. *Annal.Stereon.*

ANNO CHR. 1278.

OTTOCARVS Rex Bohemiæ, vxore inſtigante Imperatori rebellat, clam comparato exercitu, cùm Imperator nullum ferè exercitum haberet, Imperatorem aggreditur die 26. Auguſti, feriâ 6. fit acre prælium, & Bohemi vincuntur, caduntque ad 14. millia, ipſeque Rex capitur, ſed ab Auſtrijs ita malè tractatur, vt biduò poſt moreretur, poſtquam regnauerat annos 26. *Hiſt.Aug.*

ANNO CHR. 1282.

ABAGA CHAM Tartarus, cùm iterum exercitum contrà Babyloniæ Sultanum duceret, curâ Sultani veneno necatur. Succedit ipſi frater *Tangodor*, qui Muhamedanis deditus, *Muhamed Cham* appellari voluit, & quoſcumque potuit, ad Muhamediſmum cogit, & Chriſtianos crudeliſſimè perſequitur, regnauit triennio ferè. *Marin.*

Hoc tempore *Carolus* Comes Andegauenſis, cùm omnem Siciliæ vtriuſque ditionem cepiſſet, Magiſtratus ex popularibus ſuis Gallis vbique conſtituebat, qui iura dicerent ac prouinciæ prçeſſent: quod officium illi ita obibant, vt faſtu, luxuriâ, crudelitate implerent omnia, inſolita vectigalia imponerent, intolerabilia tributa exigerent, fœminas nobiles, & opulentas ad matrimonia adigerent, nuptias adulterarent, ſub prætextu laniorum ſubſtragulorum, quæ Iudæi, ac cæteri pro viribus facultatum militibus, & miniſtris regijs curiæ iuſſu exhibere tenebantur, domos ingreſſi, ſupellectilem omnem excuterent, mulieres impudicè tangerent, in ciues non aliam ob cauſam, niſi quia lautioris fortunç eſſent, proſcriptionibus, relegationibus, bonorum publicationibus infremerent. Verùm Siculi 17. annorum tyrannidem compoſito animo, inter murmura tamen tacita perpeſſi,

peſſi, ſimul ac illos zelotipiæ ſenſus inceſſit, tum quoque indignari, excandeſcere, concurrere, conſilia, arma, bona, & ſanguinem in Gallorum excidium conferre cœperunt. In primis ad *Nicolaum III.* Pontificem mittunt Legatos, qui eum tali exordio affati: *Qui tollis peccata mundi miſerere noſtri*. Iterum, *Qui tollis peccata mundi miſerere noſtri*. Tertium: *Qui tollis peccata mundi miſerere noſtri, filia noſtra malè à Dæmonio vexatur*. Ad Gallorum feritatem, inſolentiam, luxum, faſtum, & tyrannidem compeſcendam longâ ſerie recitatis criminibus excitant. Indè verò *Ioannẽ Prochytam* (cuius vxorem ſupradictus *Carolus* ſtuprauerat) etiam *Palæologum* Imper. Conſtantinopolitanum, & *Petrum* Aragoniæ Regem (cui promiſit Legatus nomine Siculorum, ſi res proſperè ſuccederet, eum ad Regni Siciliȩ moderamen vnanimi Procerum conſenſu, vocatum iri: cùm præſertim eius coniux *Conſtantia* ſoror Regis *Manfredi* hæres legitima, & non proximior adeſſet) ſibi contrà *Carolum* conciliant, & deniquè communibus ſuffragijs coniurant, de omnibus Gallis in totâ Siciliâ nullo ſexus, ȩtatis, conditionis diſcrimine habito, vno eodemque tempore, cùm primùm circà Veſperam campanȩ ſignum auditum fuerit, improuisò occidendis. Anno igitur Chriſti 1282. Cal. April. feriâ 3. Paſchatis, dato ſigno, vt conuenerat Campanæ ad Veſpertinas preces, Siculi in Gallos nil tale vnquam veritos ſummâ violentiâ, & vno quaſi impetu derepentè inſurgunt. Quarè vltionis ardori ſic indulgebant, vt etiam prægnantes (proh nefas!) exenterarint, & paruulos, ne quid Galliçȩ ſtirpis ſupereſſet, ſaxis illiſerint, duarumque horarum ſpatio octo millia Gallorum eâ clade peremptâ ſcribantur, inter quos fuerunt ducenti Nobiles. Hinc factum eſt vulgò prouerbium: *Veſper Siculus*. Cȩde confectâ *Petrus Aragonius*, qui ad Hipponem Africȩ euentum Siculȩ conſpirationis præſtolabatur, accerſitus, Inſulam deditione Procerum occupauit, ſeque Regem Apuliæ, & Siciliȩ coronari iuſſit. Etſi autem *Petrus* quarto anno ab occupatione deceſſit, defenſam tamen Aragonij retinuerunt, donec infelici, & calamitoſâ *Caroli* poſteritate extinctâ, ijdem inuitati, à *Ioanna* viduâ poſt longa & difficilia bella re-

Digitized by Google

gnum Neapolitanum etiam obtinuerunt, Gallis à ſucceſſione exclusis. Poſſeſſionem illorum regnorum *Ferdinandus Aragonius* decedens ſine hærede maſculo reliquit *Carolo V.* Imperatori, nepoti ex filiâ. Cùm autem *Carolus* Andegauenſium Comes nuncium de cæde ſuorum, Romæ agens, accepiſſet, fertur dixiſſe: *Quando fortunam mihi aduerſam vis eſſe Deus, facito, vt ſenſim amittam, quæ breui temporis ſpatio parta ſunt.* Fruſtrà ergo cùm ſæpè multumque tentaſſet, Siciliæ recuperationem, omnique ſpe decidiſſet, tandem mærore animi extinctus eſt, Anno Chr. 1285. die 7. Ianuarij, cùm Siciliam, & Apuliam obtinuiſſet annis ferè 17. eiuſque filius, etiam *Carolus* dictus à *Petro Aragonio* captus, & in carcerem coniectus miſerè vitam finijt. *Auentin. Pandulph. hiſt. Neap. Aretin. Paul. Æmil. &c.*

ANNO CHR. 1283.

LEOLINVS Princeps Walliæ, cùm tertiò fidem datam Regi Angliæ fefelliſſet, & prælio decertaret, trucidatur; frater eius *Dauid* captus, pœnam defectionis capite luit, & Præfectus à Rege Wallis imponitur. *Polyd.*

ANNO CHR. 1285.

MAHVMED CHAM fratrem ſuum *Argon* interficere conatur, quòd foueret Chriſtianos: ſed *Argon* elapſus ex inſidijs, fratrem *Mahumed* trucidat, & *Cham* appellatur. *Marin.*

PETRVS Aragonius Siciliæ Rex, à *Philippo* Rege Galliæ ad Gerundam in prælio vulneratus, cùm omnia ferè recuperaſſet, quæ Gallus occupauerat, moritur die 8. Nouembris, annos natus 46. cùm annos nouem regnaſſet: ſuccedit ipſi filius *Iacobus*, qui tantùm ſex annis præfuit in Siciliâ, poſteà in Aragoniam conceſſit. *Marian.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1292.

SERAPH Sultanus Babyloniæ, vlterius perſecuturus Chriſtianos, claſſem ædificat, vt in Cyprum traijceret, ædificatque centum triremes. Sed Saraceni metuentes ſibi à bello maritimo, eum in venatione trucidant. Indè cùm moreretur abſque hæredibus, ingentes de ſucceſſione exortæ ſunt diſſenſiones: frater tamen eius tandem aliquid obtinuit. *Marin.*

ANNO CHR. 1293.

CONRADVS Glogouienſis Dux, *Heinricum* Ducem Lignicenſem patruelem ſuum, captum vaſi ferreo includit, in quo nec ſedere, nec recumbere potuit per ſex menſes. *Hiſt. Polon.*

ANNO CHR. 1294.

IOANNES Dux Brabantiæ in haſtiludio die Inuentionis S. Crucis in brachio periculosè vulneratur, & moritur, cùm pręfuiſſet annis 26. ſuccedit ipſi filius *Ioannes*, qui præfuit annis 18. Hic montem Gertrudis ſuis ditionibus adiecit, & terram Waſſenburgenſem. *Chron. Belg.*

ANNO CHR. 1295.

ALEXANDER Scotiæ Rex, equo excuſſus, ceruices frangit, & moritur die 19. Martij, cùm regnaſſet annis 37. Indè diſſenſiones oriuntur, obtinet tamen regnum frater *Ioannes*, qui vnico tantùm anno præeſt. *Buchanan.*

ANNO CHR. 1296.

PRIMISLAVS Rex Poloniæ cum exiguis copijs occurrens *Othoni*, & *Ioanni* Marchionibus Brandeburgenſibus. Pomeraniam, quæ ad Polonos tunc pertinebat, vaſtantibus, occiditur menſe Martio, cùm tantùm ferè octo menſes regnaſſet. Status regni Polonici iterum conueniunt die 23. Aprilis, & creant Regem *Ladislaum* Locticum, cui tamen poſt quadriennium,

Digitized by Google

nium , propter ignauiam , & libidines abrogant Imperium. *Hiſt.Pol.*

FLORENTIVS Comes Hollandiæ, fraudolentèr à ſuis Baronibus, & aulicis in venatione deductus, capitur, & ad Angliæ Regem abducendus abſtrahitur. Quidam effugientes euocant ſubditos, qui latrones illos inſequuntur, qui tamen prius quàm caperentur, *Florentium* interficiunt, cùm præfuiſſet annis 42. Capti latrones, dolio clauis acutis conſerto, incluſi de monte in planiciem deuoluuntur,& rotâ deindè contunduntur, idem accidit etiam Baroni de Cronenburg authori ſceleris, quem Comes Cliuenſis vindex parricidij integro anno obſedit. Succedit *Ioannes* filius, qui triennio præeſt.*Chron.Trai.*

ANNO CHR. 1299.

ADOLPHVS NASSOVIENSIS XXXIII. Germanorum Imperator, è veteri & clariſſima familiâ Naſſouicorum oriundus fuit. Hic authoritate *Gerardi* Epiſcopi Eppenſteinij, conſanguinei ſui, Electoris tunc Moguntini ad Imperium promotus Aquiſgranum deductus, ibi cum vxore *Imagina* ab Archiepiſcopo Colonienſi vnctus, & coronatus eſt menſe ſexto à morte *Rodulphi* Imperatoris. Ante imperium bellicæ fortitudinis ſpecimina edidit: Ducem Brabantiæ numero ſuperiorem, quinque prælijs ordine vicit, & occiſis quinque belli Ducibus, ſpolia opima reportauit. Quamobrem ſibi magnam virtutis opinionem, famamque conciliauit non modicam, nec ſolùm proſperis, verùm etiam aduerſis rebus inuictus. Cùm enim ſexto prælio aduerſus Brabantos captus eſſet, & interrogatus, ecquis eſſet? maſculè reſpondit; *Sum Comes Naſſouiæ, non quidem ditionibus potens, ſed rebus magnis gerendis natus; mirorque quòd gladij mei mucronem effugere potueris, vt noris hoſtem numero imparem non eſſe contemnendum*. Hoc audaci reſponſo delectatus Dux Brabantiæ honeſtè habitum, & donis oneratum, factâ pace dimiſit. Verùm *Adolphus* Imperator electus, nihil ferè tanto nomine dignum geſſit. *Albertus* Thuringus, *Friderici* Imperatoris è filiâ nepos, inuitis filijs, ſuum vendidit *Adolpho* principatum,

Digitized by Google

tum, inteſtinoque ſubditos bello implicuit. Cùm enim Thuringi ipſi homagium facere nollent, niſi ſoluerentur iuramento à ſuis principibus *Friderico*, & *Dithmanno*, vi eos cogendos adegit. Quarè Thuringiam, & Miſniam armis, & ferro adortus expilauit, diripuit, vaſtauit, moniales, & virgines ſtuprandas militibus conceſſit, immanitate, & crudelitate Turcas ipſos superans. Nec Marchiones *Fridericus*, & *Dithmannus* ſuis rebus defuêre, collectoque ingenti exercitu variâ fortunâ cum *Adolpho* dimicarunt. Hinc cùm *Adolphus* indigna adeò, & nefaria multa in ſe admitteret, imperij Principibus indignus ſceptro iudicatus eſt, & Moguntiæ collectis denuò Electoribus ob cauſas memoratas imperio deijcitur, & *Albertus Auſtrius* in Regem eligitur. Idem *Moguntinus*, qui anteà author cum Principibus ad eligendum eum extiterat, imputatâ ipſi ingratitudine, Eccleſiarum vaſtatione, diminutione imperij, ſtupratione virginum, mercenariâ militiâ, vt ab ijſdem deijceretur imperio, effecit. Igitur cùm *Adolphus Alberto* à Principibus Germaniæ Imperatori electo, cedere imperio nollet, armatis copijs contrà eum profectus eſt *Albertus*. Congreſſi in campis Wangionum, Wormatiam inter ſpiramque cæſus *Adolphus* vitâ ſimul cum Imperio exuitur poſt ſex horarum prælium diù ancipiti euentum geſtum. *Albertus* in *Adolphum* aduerſo ſole pugnantem inuectus ſecundum oculum tranſuerberat, & in iugulum demerſo gladio lethiferè vulnerat. Filius *Adolphi* cum 60. comitibus capti, multi æſtu ſolis, & puluere ſuffocati, plures fugâ lapſi. Cadauer occiſi in Monaſterio Boſenthal fuit humatum vſque ad tempora Henrici Luxemburgenſis, cum hoc elogio:

Anno milleno, trecenteno minus vno
In Iulio menſe Adolphus ruit in enſe,
Per manus Auſtrali proceſſi marchinam.

Coniurati omnes in *Adolphum* pugnantes miſerabili morte perijſſe narrantur. Nam *Albertus* poſt decem annos à *Ioanne* Duce fratris filio enſe perimitur. Comes de Hohenlohe & Comes de Ochſenſtein pari morte ſublati. *Moguntinus* apoplexiâ tactus ex templo expirauit. Comes gemini pontis in fluuio hauſtus.

ſtus. Epiſcopus Argentinenſis à ruſtico gladio transfoſſus. Comes de Linnigen in phreneſim incidit. Cæteri percuſſores infelici ſtrage demeſſi. Ne verò à quoquam electio *Alberti* irritaretur occiſo *Adolpho* Francofurti conuentum indixêre ſeptem viri, ibidemque concordibus omnium ſuffragijs imperium iterum detulêre 9. die Auguſti, progreſſique Aquiſgranum 24. eiuſdem menſis ex more priſco coronantur. *Naucler. P. Æmil. Trith. Lzou.*

ANNO CHR. 1306.

VALLA Scotorum Rex, qui fideliſſimè regnum tutatus fuit, tempore quo Scoti inteſtinis diſſenſionibus conflictabantur, capitur, & cum cruciatu necatur, nouuſque Rex tunc electus fuit *Robertus Bruſſius*, qui coronatur hoc anno menſe Aprili, regnauitque annis 24. *Buch.*

WENCESLAVS Rex Bohemiæ expeditionem inſtituit in Poloniam, vt regnum illud paternum ſibi acquireret, ſed Olmutij meridiano tempore in cubiculo quieſcens trucidatur, incertum an à ſuis, vel à ſubornatis ab *Alberto* Imperatore percuſſoribus, cùm vix annum regnaſſet. Ab hoc tempore Bohemi externis Regibus vſi ſunt. *Hiſt. Pol.*

ANNO CHR. 1308.

ALBERTVS I. AVSTRIACVS XXXIII. Germanorum Imperator, filius *Rodulphi I.* Imperatoris per depoſitionem *Adolphi* Imperator eſt electus de quo ſupra. Hic Princeps fuit pius, iuſtus, in conſilijs prudens, caſtus, verax, oſor ſimulationum, erga obedientes clemens & beneficus, erga delinquentes verò ſeuerus, ergà pauperes liberalis, in rebus aduerſis patiens, & conſtans, alienus à ſæuitiâ, nec in vindictam præceps, ijſque, à quibus erat læſus, ſi modò delictorum veniam peterent, clementer ignouit, iuxtà illud *Ouidij*:

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.

Has tamen egregias animi dotes nefandâ auaritiâ, dum alienas opes

opes ad ditandos ſuos quærebat, obſcurauit, & planè in gubernatione infelix fuit. Ideò non multa de eo notatu digna ab hiſtoricis prodita ſunt. Habuit filium primogenitum *Rudolphum* nomine, qui in vxorem duxit *Blancam* ſororem Regis Galliæ: & poſt illius mortem *Calliſiam* Bohemicam, ſed ex neutrâ coniuge liberos ſuſtulit. Hunc pater *Albertus* duxit in Bohemiam, vt *Wenceslao* anno primo regni occiſo, ſuccederet: quòd & factum eſt, ſed non integro anno regnauit, diſſenteriâ enim mortuus eſt aduentante hyeme. Cùm igitur ſine prole *Rudolphus* deceſſiſſet, *Henricus* Dux Carinthiæ, quem Barones ante *Rudolphum* inconſulto Imperatore Regem deſignauerant regnum ſibi iterum vendicabat. *Albertus* contrà ſuis id aſſerere molitus, & ingreſſurus Bohemiam, exercitum trium millum equitum, & quinquaginta millium peditum adduxit. Sed cùm Rhenum traijcere vellet, inter Riſum Arulamque amnes, conſilio, & operâ Baronum quorumdam interfectus eſt à fratris filio *Ioanne*, cui tanquam prodigo adminiſtrationem Sueuiæ ademerat. Initiũ cædis fecit *Ioannes* Dux, qui freno arrepto equum retinuit, & pugione in collum adacto, coniurationis ſocios cohortatus eſt, qui caput diſſecuerunt medium, & confoderunt pectus. Sed & parricidæ profugi ſua tulerunt præmia, diuinitus retracti ad pœnas. Hunc exitum habuit, *Albertus* Calend. Maij, cùm imperaſſet annis ferè decem. Diſcant Reges non eſſe mouenda ciuilia bella rapiendæ dominationis causâ, ſine ordine legum, & Deum velle, vt legitimos Magiſtratus veneremur, ſimus cuſtodes pacis, non inflati appetamus gradus ſubliniores ſine vocatione, ſed amemus humilia. Multoties enim accidit iuxtà iræ diuinæ comminationem, Qui gladium acceperit, gladio peribit. *Æn. Sylu. Hiſt. Bohem.*

FRIDERICVS Marchio, & Landgrauius occurrit fortè fortunâ *Philippo Naſſouio* ad Bornâ, vbi equeſtri prælio decertant, & Marchio, Naſſouium parricidam inſequutus, eum ſuâ manu occidit; Indè hoſtes cùm nemo ſumptibus occiſo *Alberto* ſuccurreret, paulatim ex his terris diſcedunt, & Iſnacenſes, & reliqui ſpontè ſub imperium redeunt, Freiburgenſes vi capiuntur,

Digitized by Google

& quoniam Marchio multis damnis ab Imperatoribus affectus erat, in compenſationem horum occupauit Aldenburgum, Chemnitium, & Zuuicauiam, quæ erant vrbes imperij. Ciſalpinæ gentes, cùm nullus Imperator in Italiam veniret, & *Albertus* occiſus eſſet, eligunt ſibi ſuos præfectos Dominos. Ita Verona eligit *Scaligeros*, Mantua *Paſſerinos*, Patauium *Carrarienſes*, ſic *Eſtenſes* in poſſeſſionem Mutinæ venerunt. *Platin.*

ANNO CHR. 1312.

FERDINANDVS Caſtellæ Rex duos fratres, cædis ſuſpectos ex vinculis cauſam dicere iuſſos, capitis condemnat, qui teſtati Deum, & ſuam conſcientiam, clamant, ſe innocentes damnari, & tandem *Ferdinando* Regi de iniquitate ſententiæ latæ in diem trigeſimum, diem dicunt quo ſibi reſpondeat coram Chriſto: Qui paulò poſt morbo tentatus inuenitur exanimatus in lecto, annos natus tantùm 25. cùm regnaſſet annos 17. Succedit ipſi trigeſimo die ab iſtis damnatis *Alphonſus*, qui regnat annos 38. *Hiſt.Hiſp.*

ANNO CHR. 1314.

PHILIPPVS IV. cognomento *Pulcher* Rex Galliæ, dum aprum inſequitur, equo excutitur, vndè in morbum incidit, quo moritur die 29. Nouembris cùm regnaſſet annos 28. Succedit ipſi filius *Ludouicus X.* qui regnat ferè ſeſquianno. *Annal.Fland.*

ANNO CHR. 1 27.

EDVARDVS Rex Angliæ per vxorem Iſabellam Franciam, & adulterum *Rogerium Mortimerium* in cuſtodiâ captiuus necatur, cuius parricidij poſt pœnas dederunt *Eduardo* filio. *Buch.*

ANNO CHR. 1330.

SERVIÆ Dux bellum infert *Michaeli* Bulgariæ Deſpotæ propter diuortium, quod fecerat cum ſuâ ſorore, & Impera-

Digitized by Google

ratoris ſororem duxiſſet, & prælium cum eo committit, quo *Michael Deſpota* victus eſt, & trucidatus. Sed tamen Seruiæ Dux victoriâ nequaquam feliciter vſus eſt, paulò poſt enim à ſuis, vel ſciente, vel diſſimulante filio, occiſus eſt. *Niceph.Greg.*

ANNO CHR. 1345.

ANDREAS Rex Ieruſalem & Siciliæ, filius *Caroli* Regis Hungariæ, biduo antequam regio diademate inſigniri deberet, barbarâ immanitate necatus fuit. Tanti viri infandum, & crudele mortis illatæ genus inter alios Petrarcha, oratorio ſtylo ſic deſcribit: *O infelix Auerſa, verè auerſa, nomen ex re ſumptum! Auerſa, inquam, prorſus ab humanitate & fide, quarum prima homini, ſecunda regi, & iuſto domino debebatur: in te vtriuſque ſpreta reuerentia, vtriuſque in te ſacrum gentibus fractum fœdus. In te enim fraude impia periit Rex tuus, ferro vtinam, aut virili morte alia, vt hominum manibus interfectus, non ferarum dentibus atque vnguibus laceratus videretur. O iniquo condita ſydere, infauſto ſignata vomere, cæmentis extructa ſanguineis, & vipereis habitata cultoribus, magiſtra vrbs crudelium exemplorum. Abundæ impietatis, & criminum erat, animatam principis ſacroſanctam effigiem, ad imaginem Dei factam, violare tam atrociter, tam ſuperbè: nunc id ſcelus non in homine quolibet auſa es, ſed mitiſſimum, innocentiſſimum hominum, & dominum tuum, & ante annos tui ſollicitum, tui amantem: raræ indolis puerum, magnæ ſpei Regem, truculentiſſimè laniaſti. Immò non tu, ſed in te acres, & immites, dicam homines, an belluæ? an quod aduentitij genus monſtri, qui orbem Italicum barbarica feritate maculantes, tuum, ſuumque Regem non gladio, non veneno, dura licet, ac ſolita Regum morte, ſed velut incendiarium, aut latronem infami laqueo peremerunt, & cuius vertici debitum ac ſperatum diadema, diu perfida tergiuerſatione diſtulerant, eius collo reſtem & nodos miſerabiles iniecerunt: vt exequiarum genera alia, & vita longiore digniſſimi corporis ludibria indigna prætercam, quæ noſtro fortè ſilentio poſterorum notitiæ ſubtrahuntur. Tu quidem miſera Ciuitas, hæc perpeſſa tuis in penetralibus, quæ omnes terras, & omnia ſæcula tri-*

Digitized by Google

ſti ſunt inquinatura memoria. Cæterum & culpæ expers, niſi quòd patientiam criminum ſæpè conſenſui proxima eſt, & nec obſtare poteras, nec vlciſci, miſeratione potius digna, quam odio &c. Cauſam tanti ſceleris alij *Ioannæ* adulterijs & ambitioni tribuunt, alij improborum hominum audaciæ, qui iactatis temerè ab Andrea vocibus fuerant laceſſiti, inter quos eſt Clementis vitæ author. *Occaſio*, inquit, *huius ſceleris ſpecialiter fuiſſe dicitur, quia ipſe tanquam virtuoſus, & audax verbo, & facto monſtrabat, ſe velle punire multos, quos videbat criminoſos, & malè ſe habentes, quam primùm dominium dicti Regni ad ipſum perueniſſet: de quo malè ſibi conſcij, & meritò formidantes cogitauerunt aduerſus eum, & modo præmiſſo ſibi ipſis præcauere.* In quo diſcant noua dominia acqirentes, quòd à principio non exaſperent, moleſtent, aut terreant ſubditos ſuos, etiàm quantumcumque demeritos, neque pandant interiora ſui cordis; ſed diſſimulent, & potius tales alliciant, eiſque blandiantur, donec habeant dominij ſui firmitatem, dederintque ordinem, per quem aduerſum eos procedere valeant abſque ſui periculo, & ſcandalo aliorum; quia ex oppoſito modo ſimili, aut crudeliori perijſſe, aut à dominijs ſuis iecti fuiſſe leguntur.

Sequenti anno Pontifex commiſit *Bertrando* è Baucio Comiti Montis Caueoſi, vt in necis Andreæ Regi illatæ participes legum feueritatem exerceret. Sumptum itaque eſt illius iuſſu ſupplicium de *Tralizi*, & *Ebuli* Comitibus, vt regiæ necis auctoribus, quorum poſtremum magnum regni, vt vocabant, ſeneſcalcum turpis cum Reginâ Ioannâ commercij ignominiam ex publicâ famâ notatum refert *Ioannes Villanus*: qui iniecto hamo linguę, ne loqui poſſent (Pontifex enim Bertrando imperia dedit, vt ſi Regina, regijque principes criminis participes reperirentur, rem ſilentio premeret, Sedique Apoſtolicæ accuratę circumſtantijs deſcriptam referret, ne regnum in maiores tumultus conijceret, ſibiqne Reginæ iudicium reſeruaret) impoſiti currui lapidibus ſunt obruti à furente dolore, & vindictâ populo, flammiſque traditi. Raymundus præfectus cubiculi Reginæ captus, ac filius, cui à Pace nomen inditum, *Andreæ* Regis

inter-

interfecti cubicularius publicè, detractis forcipibus carnibus, excarnificati: *Raymundus Cabanus*, *& Nicolaus Mirazanenſis* ſeptimo Auguſti haud diſſimili affecti ſupplicio: in carceres etiã coniectæ duæ fœminæ *Philippa* Reginæ magiſtra, ac *Sancia Campana*, quę apud ipſum plurimum gratiâ floruerant; ſed harum patrocinium *Ioanna* enixè ſuſcepit: Et certè prætermiſſum aliquorum ſontium ſupplicium, datis ad *Bertrandum* è Baucio 7. Kal. Decembris literis quæritur Pontifex, præcepitque, vt cùm reorum cauſam iam inſtruxerit, leges in eos exerceat. Non hæc placarunt *Ludouicum* Hungarię Regem ægrè ferentem poſci quidem adminiſtros ſceleris ad ſupplicium, ſed illius auctricem diſſimulatione præteriri. Parabat itaque exercitum vlciſcendæ necis Andreæ Regis fratris ſui cupiditate, ac *Ioannam* Reginam in crimen vocabat vt adulteram. Afferuntur aculeatæ, & ardentes *Ludouici* literæ à Collenutio: *Inordinata vita præcedens, retentio poteſtatis in regno, neglecta vindicta, vir alter ſuſceptus, & excuſatio ſubſequens, neces viri tui te probant eſſe participem, & conſortem*. Cætera vide apud *Odoricum Raynaldum*. Ioannæ necem habebis infra ad annum 1381.

WILHELMVS Comes Hollandiæ, cùm ex Boruſſiâ rediiſſet bellum Traiectenſibus infert, eos duobus prælijs vincit, & Traiectum obſidet ſex menſibus; indè pace factâ in Friſiam expeditionem facit, vbi infeliciter res gerit, & ab hoſtibus, immiſſis acquis ſuffocatur die 26. Septembris, & cùm abſque liberis obiret, ſoror eius Margaretha, quæ nupta Imperatori Ludouico erat, vt vicinior hæres Comitatum Hannoniæ, Seelandiæ, & Hollandiæ, adfert domui Bauaricæ, quos obtinuit hæc familia annis ferè octuaginta, donec ijdem Comitatus ad domum Burgundicam peruenirent. Præfuit *Margaretha* annis 6. *Trith.*

ANNO CHR. 1346.

EDVARDVS Rex Angliæ Calendis Iulij applicat in Normanniâ nauibus plus quàm mille, multa loca capit, & diripit, ditemque prædam cum captiuis in Angliam mittit. Indè

dè ferè Lutetiæ propinquat, ſed cùm Gallus cum exercitu appropinquaret, retrocedit, & prælium tandem conſeritur ad ſyluam Creſſiacam die 26. Auguſti feriâ 7. vbi ſagittarij ſoli Anglorum totum exercitum Gallorum fuderunt, durauitque prælium totâ die & nocte inſuper, donec Luna occideret, quòd factum eſt horâ primâ poſt mediam noctem. Cecidêre in prælio *Ioannes* Rex Bohemiæ, & Rex ex Balearibus inſulis, Dux Lotharingię *Rudolphus*: Carolus frater Regis Galliæ: *Ludouicus* Comes Flandrię, & multi alij nobiles; altero die cùm Angli capta ſigna Gallorum erexiſſent, milites Galli tanquam ad amicos approperant, vbi non pauciores, quàm priori die ceciderunt. *Eduardus* poſt victoriam *Cales* vrbem obſidet, quæ obſidio continuata eſt vſque in ſequentem annum, Galliæ verò Rex Ludouicum, Ludouici Comitis Flandriæ filium baltheo militari cingit, & Comitem Flandriæ facit, qui præeſt in variâ fortunâ annis 38. cùm pater præfuiſſet annis 24. Bohemi, quòd vterque Rex & *Ottogarus*, & *Ioannes* die 26. Auguſti ceciderint, eum diem atrum habent. *Chron. Boem.*

ORCANES Turcarum Rex II. filius *Othomanni*, qui primus apud Turcas Regis nomen tulit, tantique Imperij fundator extitit à tenui Galacię oppido, quod *Othomanzicū* hodie vocatur, *Othomannus* eſt appellatus, quod nomen poſteà in familiam tranſijſſe perſpicimus. Is cùm viginti octo annis regnaſſet fato functus eſt, *Orcane* filio imperij hęrede relicto. Hic magnitudine animi, vi corporis, & cupiditate proferendæ ditionis patrem æquauit; bellicis autem æque bonis, & malis artibus, vir doloſus & ſolers, profuſâque in primis, & perenni erga milites liberalitate ſuperauit. Per hunc modum veterano inſtructus exercitu, cùm amicitiam, & fœdus cum Ciliciæ Rege ductâ in matrimonium eius filiâ iniuiſſet, *Michaeli Paleologo* Conſtantinopolitano Imperatori graue bellum intulit, adortuſque demùm Pruſſiam Bythiniæ caput, eam vrbem obſidione, & admirandis machinis expugnauit. Sed non diù eâ victoriâ lætatus eſt, nam in eâ oppugnatione ſagittâ ictus, cùm ſpiculum humeri oſſibus infixum ſine vitę diſcrimine reuelli nequiuiſſet,

obi-

obductâ plagâ, febrem, & ſaniem mortiferam aliquot poſt menſes accerſiuit, anno eius imperij 22. *Orcani* ſucceſſit *Amurathes* filius, vir nequaquam maiorum exemplo manu promptus, ſed bello, & pace ſimulator egregius; quippe qui aſtu, & vigilantiâ ſingulari occaſiones proferendi imperij opportuniſſimè captaret, nuſquam firmâ fide, aut incolumi iureiurando, de quo infrà ad annum 1389.

ANNO CHR. 1347.

LVDOVICVS BAVARVS XXXV. Germanorum Imper. filius *Ludouici* Comitis Palatini, & Electoris, atque Ducis Bauariæ fuit. Defuncto *Henrico* Lutxelburgio, Electores imperij tandem cùm imperium in menſem decimum quartum vacaſſet, conuenerunt Francofurti Anno Chr. 1314. vbi electio incidit difficilis, & periculoſa inter duos competitores & conſobrinos *Fridericum* pulchrum (qui ab eleganti, & procerâ ſtaturâ ſic cognominatus eſt) Auſtriæ Ducem *Alberti* Imp. filium, & *Ludouicum* Bauarum. Hunc elegerunt Moguntinus, & Treuirenſis Archiepiſcopi, *Ioannes* Rex Bohemiæ, & *Waldemarus* Marchio Brandeburgenſis. Cæteri, *Colonienſis*, *Rudolphus* Palatinus ad Rhenum, qui frater erat *Ludouici*, & *Rudolphus* Dux Saxoniæ oppoſuerunt *Fridericum*. Ille vt ſuffragijs ſuperior, mox poſt electionem coronatus eſt vſitato in loco Aquiſgrani ab Epiſcopo Moguntino: hic verò minori Comitatu Bonnæ coronam accepit à Colonienſi. Hinc Germania in factiones diſtracta, bellumque inteſtinum ortum, quod annis 8. fortunâ variâ, euentuque ancipiti geſtum eſt. *Bauarus* tandem imperij æmulo ſublato, cum exercitu Italiam ingreſſus, Imperatorem ſe ſpreto Pontificis conſenſu appellauit. Diadema primò ferreum Mediolani ab Archiepiſcopo ſumpſit: deindè cùm Romam veniſſet, coronatus eſt cum coniuge *Margbareta* Anno Chriſti 1328. die 6. Ianuarij per Cardinalem *Stephanum Columnam*, conſentiente Senatu, Clericis, populoque Romano, Papa verò (qui tum in Gallijs commorabatur) reclamante. Demùm Anno Imperij 33. fertur *Ludouicus* veneno intoxicatus à viduâ *Alberti* *Au-*

Auſtraci, cùm quâ familiariùs conuerſari conſueuerat, quod cùm vomitu eijcere non poſſet, vt corpus roboraret, venatum abijt: vbi dum vrſum ingentem impetit, maximo impetu de equo præcipitatur, & paulò poſt die 11. Octobris moritur. Sepultus Monaci in Bauariâ. Succedit *Carolus IV*. qui imperat annos 32. *Onuph.*

ANNO CHR. 1349.

DEfuncto *Roberto* Siciliȩ Rege, *Ioanna* eius vxor interfecerat maritum ſuum *Andream*, fratrem *Ludouici* Regis Hungariæ; quapropter *Ludouicus* bello perſequitur *Ioannam*, & eam regno Apuliæ pellit. *Bonf.*

ANNO CHR. 1357.

SOLEIMAN filius *Orcanis* Regis Turcici, cum paucis militibus per Helleſpontum tranſijt in Thraciam, & captiuo Græco ductore caſtrum quoddam occupat, & paulò poſt meſſis tempore pluribus militibus accitis caſtrum illud firmat, cum prȩfecto Calliopolis pugnat, vincit, & Calliopolin deditione capit. Hæc Imperator *Ioannes* adeò ſpernit, vt diceret, vini amphoram tantùm amiſſam eſſe, & ſtabulum quoddam porcorum; ſed quid hoc modo amiſſum fuerit, euentus docuit. Sequenti anno dum *Soleiman* leporem inſequitur, excutitur equo, & moritur. Pater eius *Orcanes* poſt duos menſes, & ipſe obijt, cùm regnaſſet annos 31. Succedit ipſi filius alter *Amurathes*, qui ſedem regiam in Pruſiâ figit, & regnat annos 32. *Annal.Turc.*

ANNO CHR. 1361.

GERARDVS Cómes Montenſis, & *Arnoldus* Comes de Blanckenheim in haſtiludio Coloniæ ſe ſe mutuò impetentes, dum neuter ſatis cauet, ambo alterius lanceâ ſimul confixi ſunt. *Trith.*

ANNO CHR. 1362.

PETRVS Caſtellæ Rex clade afficitur à Mauris, multi occiſi, captique ſunt; nihilominus tamen Grantiæ Rex fœdus cum eo facit, ſed *Petrus* eum fraude interceptum trucidat, cùm paulò ante *Blancam* vxorem occidiſſet. *Marian.*

ANNO CHR. 1364.

CAROLVS Bleſenſis, & *Ioannes* de Monteforti, cùm diù certarent de poſſeſſione Britanniæ, prælio decertant die 29. Septembris, in quo *Carolus* Bleſenſis ingenti clade vincitur, & trucidatur, atque ita *Ioanni* Montifortio Britanniam reliquit. *Annal. Fland.*

ANNO CHR. 1367.

PETRVS Caſtellæ Rex, exul, & pulſus à fratre notho *Heinrico*, auxilia impetrauit ab Anglis, quorum ope Pyrenæos montes ſuperat, & Pampelonem venit. *Heinricus* collecto exercitu ſe ſe ipſi opponit, & prẹlio concertat die 3. Aprilis, & vincitur, fugitque in Galliam. *Petrus* recuperato regno, *Principes* Ciuitatum, qui deditionem ad *Heinricum* ſuaſerunt, omnes interficit, & odium ſubditorum auget. Aliâ vice *Heinricus* cum *Petro*, qui ſuum ipſius regnum vaſtabat, & Anglos, quibus ſtipendia non ſoluerat, dimiſerat, pugnat, vincit, & *Petrum* fugientem fraudeque interceptum capit, & die 23. Martij ſecuri percutit, cùm regnaſſet annis 19. Hinc alij hoſtes exorti, qui ius ſibi ſumebant in regnum Caſtellæ, ſed *Heinricus* tempore & induſtriâ prior reliquos compreſſit, regnatque annis 13. *Mariana.*

ANNO CHR. 1371.

WENCESLAVS Dux Lutzelburgenſis, & Brabantiæ mouet bellum *Wilbelmo* Iuliacenſi, leui de cauſâ prælio cruento dimicatur die 22. Augusti, in quo *Wenceslaus* capitur cum plurimis alijs. Occiditur *Guido* Comes Fani Pauli, item

Digitized by Google

Eduardus Dux Geldriæ cadit, cùm decem annis præfuiſſet: ſuccedit iſi frater *Reinaldus*, qui hiſce decem annis captiuus fuerat, qui tamen poſt tres menſes etiam moritur, nullo relicto hærede, die 6. Decembris. *Annal. Fland.*

ANNO CHR. 1373.

MAGNVS Dux Brunſuicenſis, qui nullum bellum vnquam feliciter geſſerat, tamen Comitem Schonbergenſem bello petit, à quo trucidatur *Spang.*

ANNO CHR. 1381.

CAROLVS III. primùm Dyrrachij Princeps, poſteà Rex Siciliæ, regio diademate Pontificiâ manu ab *Vrbano VI.* redimitus, & Senator Vrbis creatus fuit, vt Romanorum copijs ad eripiendum, abſtrahendumque ex ſchiſmaticæ Reginæ manibus regnũ fultus eſſet. At *Ioanna*, vt referunt vetuſta diaria *Hect. Pignat.* dolore furens 22. Martij die Neapolitanę vrbis Proceres exciuit, inque lachrymas effuſa belli ſubſidia popoſcit, atque eius vir *Otho* Caroli aduentum præſentiens 14. Maij ſigna ad regni limitem promouit, quaſi in Romanum agrum irrumpere pararet: ſed 24. Iunij à S. Germani oppido propulſatus eſt à Carolo, qui indè Nolam ſe recepit, atque vndecimâ Iulij die cum Neapolitanis ad ſe excitis pactiones inijt. Breui ad ſpem ſubindè euentus reſpondere *Carolo*, populis in eius fidem, ac poteſtatem venientibus, atque ideò *Othone* Brunſuicenſi pugnam inire non auſo, exercitum Neapolim 19. Iulij duxit, moxque à populo patefactæ illi vrbis portæ. Exceptus triumphatoris more Neapoli *Carolus* Reginam in arce munitiſſimâ cui *Oui* nomen inditum, obſidione cinxit, cùm *Otho* præcipiti fugâ per pontem dilapſus Auerſam ſe recepiſſet: tum verò perterrita *Ioanna* miſſo vigeſimo Auguſti die *Vgone Sanſeuerinate* interpetre, in deditionem *Caroli* ſe venturam eſt pollicita, ni labente quatriduo eam *Otho* Brunſuicenſis liberaret. Is itaque inſtructâ triplici acie Reginæ opem ferre 24. Auguſti conatus eſt; ſed in primâ certaminis impreſſione, amiſſis pluribus è ſuis, cæſoque Comite Montiſ-

tiſferrati, ab hoſtibus circumfuſus ruente equo in terràm euolutus captuſque, & in carcerem coniectus eſt: quo aduerſo caſu conſternata Regina, ſiue blandis verbis à victore *Carolo* delinita, ſuiſque obcæcata ſceleribus, ſe ſuâque vnâ cum arce *Carolo* permiſit: ad quam periculo liberandam ſeriùs, nimirum decima Septembris, decem Prouincialium triremes ad portum appulerunt.

Sequenti anno immiſſi ab Antipapâ Ludouici Andegauenſis in Italiam irruptio grauem Eccleſię intulit terrorem, qui poſteà illo pereunte, diſſipatoque exercitu euanuit; ſperataque Gallorum præſidia *Ioannæ* Reginę regio honore deiectæ exitium pepererunt: *Carolus* enim firmando ſolio intentus, vt *Ioannæ* ſtudioſorum ſpes eliderer, ac nouandarum rerum occaſionem remoueret, cùm iam Aquila, & Montorij, Licienſis, & Cuperſanus comites rebellaſſent, vt refert *Hector.Pignat*. infelicem mulierem interfici iuſſit. Necis genus aliqui fuiſſe ſcribunt, laqueo fractas ei fuiſſe ceruices, dum in ſacello flexis genibus preces fundebat, quòd *Theodoricus è Niem* affirmat: alij verò impreſſo ore puluino, atque intercluſo ſpiritu ſubſtragulis prętocatam, alij necatam fame, aut iugulatam tradunt; quâ de re hæc Clementis pſeudopontificis rerum geſtarum anonymus author monumentis conſignauit: *Ioanna Regina immaniter fertur interempta fuiſſe per miniſtros dicti Caroli, & ſic fieri ordinantis: modus autem interemptionis ſuæ variè extitit narratus, nam aliqui dixerunt ipſam ſtrangulatam, aliqui ſub vna culcitra ſuppoſita, ligatiſque manibus, & pedibus ſuffocatam*. Extitit is triſtis, ac tragicus Ioannę Reginæ exitus, non diſſimilis ab eo, quo *Andreas* eius primus maritus ab ipsâ fuerat interemptus: *Si quis, quæ fecit patitur, iuſtiſſima lex eſt*, ſcripſit *Suidas*. Eius corpus in templo S. Claræ ſeptem dierum flexu ſpectandum populo propoſitum, ne quis ſcilicet illius ſpe, & deſiderio arma moueret. *Raynald.* *Caroli* infelicem, & tragicum exitum habebis infrà ad annum 1386. In eadem Eccleſiâ S. Clarę Neapoli, hoc inſculptum eſt Epitaphium:

Inclyta Parthenopes *iacet hic Regina* Ioanna
Prima, prius felix, mox miſeranda minus.
Quam Carolo *genitam mulctauit* Carolus *alter,*
Qua morte illa virum ſuſtulit ante ſuum.
Obijt 1382. die 22. Maij. Indictione quintâ.

MAGNVS Dux Moſcouiæ tercentum millibus bellatorum ſuccinctus in Liuoniam maximo terrore irrupit. Sed Catholicis diuinum patrocinium non defuit: præfectus enim arcis obſeſſę, cùm totam noctem precibus ad Deum fundendis conſumpſiſſet, mane emiſſo ex arce iaculo Imperatorem confixit: cuius cædis caſu in fugam ſe coniecēre, funeſtum ac luctuoſum Principis caſum deplorantes. Cuius prodigij hiſtoriam *Tilmannus Bredebanchius* narrat.

ANNO CHR. 1384.

LVDOVICVS Comes Flandriæ in contentione cum *Ioanne* Biturige vulneratur pugione die 6. Ianuarij, ex quo vulnere moritur die 9. Succedit ſocero *Philippus* Dux Burgundiæ. *Annal. Fland.*

ANNO CHR. 1385.

BERNABO Dux Mediolanenſis cùm principatum tyrannide ſuâ fœdaret, iniquiſque bellis toties Romanos Pontifices vexaret, tandem capitur vnâ cum filijs dum *Ioanni Galeatio* nepoti, & genero vaferrimo homini religioſam peregrinationem fingenti occurrit: tum Bernabonis ædes pretioſiſſimâ refertæ ſuppellectili plebi expoſitę ſunt, vt diriperentur, quo illius latrocinij ſocietate *Galeatio* ipſi obſtrictior eſſet: reliquæ verò opes ampliſſimę, quæ in arce non ſine multorum fuſis lachrymis cumulatæ fuerant, in proditionis pręmium ceſſerunt. Vt verò facinoris inuidiam à ſe remoueret *Ioannes Galeatius*, crimen proditionis retorſit in *Bernabonem*, ac veluti conuictum ſuſtulit, vt refert S. Antoninus: *Non poſt multos*, inquit, *dies in carcere illum veneno perire fecit, ſicque crudeliſſimus Tyrannus in multis proditor*

ditor perſecutor Eccleſiæ ſecundùm exigentiam operum ſuorum mercedem congruam recepit Bernabo ipſe. Addit *Corius* illum cùm ſenſiſſet propinatum ſibi venenum infuſum iuſculo, crimina acerbiſſimè planxiſſe, ſacramentiſque ſe muniuiſſe, atque interruptis ſuſpirijs repetijſſe hæc verba: *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicias.* Adiuncto paternæ ditioni Bernabonis principatu *Ioannes Galeatius* regiam dignitatem exambiuit, quam cùm ab Vrbano, quem ampliſſimis muneribus deuincire eſt conatus, obtinere non poſſet, haud leuia in eum odia concepit, proferendique imperij cupidus occupatâ fraude Veronâ, Scaligeros; tum Pataujo compulſo ad deditionem, Carrarienſes euertit, magnumque Italiæ, ac præſertim Etruriæ tyrannidis ſuæ terrorem iniecit. *Raynal.*

ANNO CHR. 1386.

CAROLVS III. Rex Siciliæ, de quo ſupra, anathemate perculſus ab Vrbano VI., regioque iure priuatus, eo quòd cum coniuratis ſentiret, Eccleſiaſticæ ſententiæ cùm hoc anno ſentit, atque ob læſam Pontificiam Maieſtatem pœnas diuino Numini dedit, raptumque Hungaricum diadema ſuo cruore tinxit, quâ de re Gobelinus: *Quia*, inquit, *benedictionem Domini Vrbani Papæ, qua alias regnum Siciliæ adeptus erat demeruit, benedictio elongata eſt ab eo, & maledictio eiuſdem Domini Vrbani, ſicut aqua ingreſſa in interiora ipſius facta eſt ei ſicut veſtimentum, quo opertus in vita, nec morte quidem interueniente exutus eſt. Nam poſtquam magnam Hungariæ partem contrà Sigiſmundum ſibi vendicauerat, ab aduerſarijs Sigiſmundo fauentibus inter fideles ſibi commixtis in caſtro quodam ſibi ſubdito, dum ſe ſecurum credidit, gladio ſubito percuſſus, interijt.* Adſcribit etiam *S. Antoninus* Caroli necem diuinæ vindictę ob ſæuitiam nempe ab eo adhibitam in *Ioannam*, à quâ materno ſtudio educatus prouectuſque fuerat, ob tyrannidem, vitiumque ingrati animi in *Vrbanum*, à quo regijs apicibus fuerat exornatus, ob contemptum ſacrarum cenſurarum, vndè plurium regnorum dominus ſacra terra tegi non meruit. Ex *Ioannæ* quidem necatę inuidiâ *Eliſabetham* Hun-

Hungarię Reginam ad comparandas *Carolo* inſidias ferunt ſtimulatam, cùm ipſi à regio iam ſolio deiectę inſuſurratum eſſet, vt *Ioanna* meminiſſet, iniectuſque terror non diſparis calamitatis, recuperandæque ſimul priſtinę dignitatis cupiditas illam vreret. Pręcipuo itaque Palatino Garo conſiliorum conſorte adhibito, inſtructus eſt armis & audaciâ *Blaſius* cognomento *Forgach* miles fortiſſimus, qui *Carolo*, haud pridem Hungaricâ coronâ à Strigonienſi Archiepiſcopo redimito, in Reginarum Hungarię ędes excito, caput ceruicibus enſe abſcidit; moxque eius Comites Itali atrociſſimo caſu perculſi ſe ſe in fugam dedere. Neque illius infelicis caſus pręſagia defuiſſe referunt, cùm *Carolo* regiâ inunctione delibuto ſacrum S. Stephani vexillum, quod pręferri nouis Regibus conſueuit, portę teſtudinis caſu illiſum in varias partes laceratum concidit; eodem verò tempore, quo Neapoli & Florentiæ ob ſuſceptam à Carolo Hungaricam coronam publicâ lætitiâ celebrabatur Nuntij de eiuſdem Regis cęde delati fuêre. Quâ in re fallaciam humanę felicitatis perpendens *S. Antoninus*, hęc grauiter pronunciat: *Quia gaudium hypocritæ, ſcilicet mundi, ſuauis apparentis, & non verè exiſtentis, tranſit ad inſtar puncti, vix tanta feſtiuitas finem habuerat, & luctus, & gemitus populo nunciatur de morte ipſius Caroli, & in dolorem, & fletum verſa eſt cithara.*

LEOPOLDVS Dux Auſtrię, Sempachium vrbem obſidere conatus, eodem die ad vrbem illam venit, quo 1400. pedites ab Heluetijs vrbi pręſidio mittebantur. *Leopoldus* hoſce aduenientes ſolo equitatu aggreditur, ſed turpiſſimè vincitur, & trucidatur, reliqui diſſipantur, & caſtra cum omni apparatû capiuntur. *Trith.*

ANNO CHR. 1388.

WENCESLAVS Saxonię Dux & Elector, cùm ante quadriennium defuncto fratre Ducatum Lunęburgenſem accepiſſet, ac ſoli Cellenſes ad Ellerã fluuium ipſi ibidem reſiſterent, illorum vrbem obſedit, vbi vulneratus oppetijt die 17. Maij anno 23. Electoratus; ſuccedit ipſi filius *Rudolphus*, qui

prę-

prę eſt annis 31. Inteſtini motus ingentes in Germaniâ exoriuntur, cùm Ciuitates Sueuię, Bauarię, & Francię contrà Principes Germanię conſpirant. Principes ſibi metuentes ſtatuunt, à quouis principe vicinas Ciuitates eſſe oppugnandas, atque ita *Eberhardus* Comes Wirtenburgenſis, ciuitatum Sueuicarum exercitum fugat, propè oppidum Willam, ſed tamen ſine ſuorum clade. Filium enim Vlricum in pugnâ amittit, quę accidit 23. Auguſti; indè cùm Wirtenbergenſis victoriam perſequeretur, ciuitates pacem petunt, & pecuniâ luunt. Palatinus Elector, auditâ hac victoriâ, Moguntienſes, Wormatienſes, & Spirenſes, qui iam Palatinatum vaſtabant, etiam pręlio aggreditur, ineunte menſe Nouembri, eoſque vincit, & multos capit, quorum ſexaginta in fornace lateritiâ cremat, reliqui pecuniâ ſe redimunt. Nobiles de Croneburg Francofurtenſes, qui ſibi bellum inferebant, debellandos ſibi ſumunt, eos pręlio vincunt, multos capiunt, qui ſeptuaginta millibus florenorum redimuntur, atque ita fœdus hoc pernicioſum diſcuſſum eſt. *Spang. Trith. & alij.*

ANNO CHR. 1389.

AMVRATES I. Turcarũ Rex Tertius, ſicâ transfoſſus, & interfectus eſt à Chriſtiano quodã ex Lazari Bulci Seruię Deſpotę exercitu in caſtris ad cãpos Coſouę anno regni 31. poſtquã (vt *Laonicus Chalcondyles* de eo ſcriptum reliquit) bella maxima, numeroque 37. in Europâ, & Aſiâ geſſiſſet, & in nullo victus ſuccubuiſſet. Huic *Iacube Zelebi* filio ipſius à proceribus doloſè interfecto, alter filius *Baiazetes I.* Turcarum Rex quartus, conſentientibus omnium ſuffragijs, in regio ſolio ſuffectus eſt. Eodem fermè tempore *Lazarus Bulcus* Seruię Deſpota *à Baiazete* Turcarũ Imperatore pręlio in campis Coſouę victus, & captus, ac vindicandę mortis *Amuratis* patris cauſâ in conſpectu ipſius fruſtulatim conciſus eſt. *Leonclau.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1390.

IOANNES Caſtellæ Rex, ludibundus quaſi equo excutitur, & moritur die 9. Octobris, cùm regnaſſet annos 11. menſes 6. Succedit filius *Henricus* puer vndecim annorum qui regnat tantùm annos quinque. *Marian.*

ANNO CHR. 1393.

QVinque *Nobiles* Lutetię, ſtupâ pice illitâ veſtiti, vt ſylueſtres homines, vel Satyri viderentur, mediâ nocte choreas agunt, aſſumuntque in hanc ſocietatem Regem, eodem modo veſtitum; quibus *Aurelianus* patruus Regis ioci causâ facem admouet, ſed hoc modo quatuor *Nobiles* planè ſunt cremati, Rex vix ſeruari potuit. Nomina eorum in annalibus extant: factum in ædibus Reginæ, in ſuburbano *D. Marcelli*, die 28. Ianuarij feriâ tertiâ. *Annal. Fland.*

ANNO CHR. 1395.

IOANNES Aragonię Rex, dum venationibus dat operam, portentoſæ magnitudinis lupâ, ſiue ſpectro potius, territus moritur 19. Maij; ſuccedit ipſi *Martinus* frater, qui tum aberat in Siciliâ. Sed Comes Fuxenſis ſimiliter magnas copias cum auxilijs Regis Galliæ educit, vt Aragoniæ regnum occupet, ſed prohibitus commeatu, menſe Ianuarij ſequentis anni, inglorius in Galliam redit. *Marian.*

ANNO CHR. 1397.

THOMAS patruus *Richardi* Regis in Angliâ deteſtabatur patruelis ſui Regis ignauiam, eumque dehortabatur: ſed Rex per inſidias patruum capit, & ſtrangulat. *Pol.*

ANNO CHR. 1399.

HENRICVS filius Ioannis Lancaſtri, exhęreditatus, à Baronibus Anglis reuocatur, qui etiam *Richardum* Regem capit, quem Barones ad perpetuos carceres damnant; ſed ipſe

cum

eum mori cogit, & inauguratur Rex die 13. Octobris, vocaturque *Henricus IV*. regnatque annos 13. *Richardus* regnarat annis 22.

ANNO CHR. 1400.

DAVID Regis Scotiæ filius, quod libidinoſiùs viueret, à patruo in carcerem conijcitur, & fame necatur. Sequenti anno Scoti in Angliam irrumpunt,& Northumbriam vaſtant, ſed prælio à Rege vincuntur die 7. Maij, in quo flos nobilitatis Scotiæ perijt. *Annal.Scot.*

ANNO CHR. 1401.

SIGISMVNDVS Hungariæ Rex, Barones 32. rebelles ſibi in Hungariâ occiderat, quapropter à ſubditis captus, viduæ cuidam, cuius maritũ cum reliquis occiderat, captiuus datur, vt ſeruetur,donec ordines regni de eius ſupplicio ſtatuant; ſed *Sigiſmundus* perſuadet viduæ, vt dimittatur, quo facto recuperat regnum, & viduæ filios ad ſummos honores promouet. *Æneas Syl.*

ANNO CHR. 1402.

BAIAZETES I. Turcarũ Rex IV. crudeliſſimè omnia omnibus eripiens,cùm vrbem Conſtantinopolim obſidione cingeret, & præ oculis hominum nullum auxilium, vel liberatio adeſſet, Deus contrà eum excitauit *Tamerlanem* Regem Tartarorum, qui infinitâ armatorum multitudine in regionem eius irruit Ann. Chr. 1399. & multa loca vaſtauit. Initio *Baiazetes* filium ſuum cum magno exercitu ei obuiam miſit in regionem Cappadociam; ibi pugnam inſtruxerunt, ſed Turcę victi ſunt, & filius *Baiazetis* à Tartaris captus, ſtatimque morti traditus eſt, cæteri milites etiam plerique interfecti ſunt. *Baiazetes* obſidionem ſoluit, & ipſe aſſumptis omnibus copijs, *Tamerlani* obuiam in Aſiam profectus eſt. Habuit in exercitu trecenta millia equitum, & ducenta peditum. Caſtrametatus eſt eo in loco,vbi olim *Pompeius Magnus* Mithridatem vicerat, nempè ad Stellam mon-

Digitized by Google

tem in Gallicię Bithinięque confinibus: Hoc loco atrox prælium commiſſum eſt, in quo ex vtraque parte pluſquam trecenta millia hominum ceciderunt, & *Baiazetes* victus eſt. fraude Tartarorum ſuorum euocatorum, qui in ipſâ pugnâ ſua ſigna ad *Tamerlanem* tranſtulerunt, quòd & fecerunt multi alij Principes, qui *Baiazetem* oderant: Solus Deſpota Seruiæ fideliter genero Baiazeti adhæſit, qui poſteà fugâ euaſit. *Baiazetes* igitur captus, & ad *Tamerlanem* deductus, humaniter initiò habitus eſt. Dum verò animum victoris acerbiorem reddit, reſponſione inſolentiore, quâ dixit, ſe ſi *Tamerlanem* ita cepiſſet, caueâ ferreâ incluſurum, ipſe aureis compedibus vinctus caueæ includitur: denique conſcenſurus equum, eo pro ſcabello vtebatur, & in ludibrium per totam Aſiam eum circumducebat, egregium, & admirandum humanarum rerum ſpectaculum. Cùm autem aliquando deprecatio fieret, vt *Tamerlanes* excellentiæ illius vellet parcere, reſpondit: non punio eum vt Regem clarum, ſed ſicut tyrannicum latronem. *Baiazetes* ita in hac miſeriâ mortuus eſt. Nam in caueâ habitus, cùm Tamerlani quoties equum conſcenderet, ſcabelli loco fuiſſet, & vinctis poſt tergum manibus, oſſa, & micas cum canibus ſub mensâ Tamerlanis vorantibus, roſiſſet; vxori etiam contumeliæ innumerę illatæ eſſent, quę ferè ſeminuda alijs miniſtrare coacta, non amplius ferens ignominias,& miſerias, ac omni ſpe libertatis à Tamerlane impetrandę ammiſsâ, mærore ad deſperationem veluti adactus, mortem ſibimetipſi conſciuit, & caput caueæ ferreæ, quâ tenebatur incluſus, tandiù alliſit, donec perfracto cerebro fremens, ac frendens expiraret, anno captiuitatis quarto. Huic anno ſequenti ſucceſſit *Solymanus I.* filius natu maximus, Turcarum Rex quintus. Iſte *Tamerlanes* genere Parthus, gregarius miles, adeò inter ſuos mentis vi & corporis agilitate excelluit, vt breui temporis ſpatio multarum gentium Dux fieret, & mille & ducentos equites in aulâ ſuâ aleret. Nam feliciſſimo rerum ſucceſſu Mediam, & Scythiam, Perſiamque, Rege earum trucidato, armis ſubegit: Meſopotamiam inuaſit, & Armeniam tranſitoque Euphrate cum quadringentis millibus equitum, &

ſex-

Digitized by Google

ſexcentis millibus peditum minorem Aſiam obruit. In obſi dionibus vrbium; primâ die albo tentorio vſus: ſecundâ rubeo, tertiâ nigro. Qui ſe ſe dabant in albo ſedenti, ſalutem conſequebantur: Rubeus color moriendum patribus familias indicabat: Niger Ciuitatis excidium, & omnia in cinerem conuertenda. Interrogatus aliquando ab homine Genuenſi, qui ei familiaris erat, cur tantâ crudelitate vteretur? commotus, ac veluti furens diſtortâ facie, ac ſpirantibus ignem oculis, reſpondit: *Tu me hominem eſſe arbitraris? ira Dei ego ſum, & orbis vaſtitas: caueto ne poſt hac mihi occurras, niſi velis interrogationis tuæ pœnas dare?* Curriculum eius non adeò fuit longum, ſed hoc breui ſpatio tamen vim, terroremque terrarum Orbi magnum iniecit. Obijt anno Chr. 1404. relictis duobus filijs, tanti imperij ſucceſſoribus, & tot regnorum, & Prouinciarum hæredibus, qui cum odijs, & bello inteſtino digladiarentur, eadem facilitate tot regna amiſerunt, quâ pater ea ſibi acquiſiuerat, adque priores ſuos dominos redierunt: Et vt *Tamerlanes* terrori mortalibus fuit viuus, ita terroribus vmbrarum, & fremitibus horrendis ſepulchrum eius circumſonuit. *Æn.Syl Annal.Turcic.Laonnic.*

ANNO CHR. 1403.

SOLYMANVS I. Turcarum Rex quintus, *Baiazetis* filius, collegerat exercitum in Europâ & bellum facit fratri *Iſſem* ipſumque ſequitur in Aſiam, vbi eum vincit, & trucidat, cùm ferè quatuor annos regnaſſet, vt *Laonicus* habet, ſed eodem tempore *Muſa* tertius frater, à Tamerlane, vbi cum patre captus fuerat, dimiſſus in Aſiam venit, & quoſcumque poteſt *Solymano* hoſtes facit, ſibique exercitum parat. Proficiſcitur etiam ad *Lazarum* Seruię Deſpotam, auum maternum, eumque inſtigat ad bellum ſecum ſuſcipiendum, promiſſis multis muneribus, & obtinet auxilia, venitque Adrianopolim, vbi Rex conſtituitur. Indè cum fratre *Solymano* propè Conſtantinopolim pugnat, eumque vincit. Sed *Solymanus* victus cum quingentis ferè ſe abſcondit propè Conſtantinopolim; indè fratris *Muſæ* caſtra irrumpit, ea occupat, & *Muſam* reuertentem reijcit, qui de-

Digitized by Google

ſertus à militibus fugit, & *Solymanus* Adrianopolim, aliaque loca recuperat, regnatque annos ſeptem, donec in odium veniret, ex voluptatibus, quibus ſe ſe dederat: quapropter à militibus deſeritur, qui ad *Muſam* fratrem *Solymani* defecerunt, *Solyman* deſertus à fratre capitur, & trucidatur Anno Chr. 1410. *Muſa* verò retinet regnum annis tribus. *Annal. Turc.*

ANNO CHR. 1405.

CARCARIVS dominus Patauij, in carcere ſtrangulatur, cùm Veneti eâ Ciuitate potirentur die 23. Nouembris. *Iuſtin.*

ANNO CHR. 1407.

IOANNES Burgundiæ Dux, Aurelianum Ducem patruelem, quòd coniugem de ſtupro appellaſſet, curat interfici die 22. Nouembris Lutetiæ, & ſequenti anno Burgundus cum exercitu in Gallias venit, coram Rege cauſam cædis dicit, & abſoluitur. *Annal. Fland.*

ANNO CHR. 1411.

ORCHANES filius *Solymani I.* à Musê Turcarum Rege ſtrangulatur, cùm Græcorum Imperator à *Muſa* obſidione cinctus, in Aſiam miſiſſet ad illum adducendum. *Laon.*

ANNO CHR. 1413.

MVSA ZFLEBIS VI. Rex Turcarum, cum *Mahumete* penultimo filio Baiazetis prælio congreditur. *Mahumetes* in pueritiâ, ne à fratribus interficeretur, iuſſu tutoris ſui artificium faciendarum chordarum didicerat: iam cùm adoleuiſſet, exercitum contrahit in Carmaniâ, & tandem Aſiæ imperium inuadit, indè fœdus facit cum Imperatore Conſtantinopolitano, & traijcit in Thraciam, vbi vincitur à *Muſa*, quapropter refugit Conſtantinopolim, & indè in Aſiam. *Muſa* inſecutus eum fuiſſet, ſed impeditur à Conſtantinopolitano, qui omnes portus præſidijs firmauerat. Sequenti anno *Mahumet* exercitum reparat,

rat, & venit iterum in Europam, ibi priuſquam acie congrederent, *Chaſanus* ſocius *Muſæ* Regis ad Mahumetem transfugere conatur. *Muſa* verò hoc videns, transfugam occidere parat, ſed à miniſtro Chaſanis hærum tutante, manu truncatur, quo conſpecto Turcæ eum repudiant, & ad Mahumetem tranſeunt, qui fratrem Muſam laqueo ſtrangulat, cùm annos tres, & menſes ſex regnaſſet, & *Mahumet* regnat annos octo. *Laon.*

ANNO CHR. 1414.

LANTILAVS, ſiue *Ladiſlaus* Rex Neapolitanus ex Hungariæ Regibus oriundus, cùm iam opibus, reliquâque potentiâ plurimum polleret, arma cepit aduerſus Tyrrhenorũ regnum atque adeò contrà reliquam Italiam, vbique præclara facinora deſignans. Et quidem mouens exercitum contrà Tyrrhenorum vrbem *Florentiam*, eamque obſidens expugnare nitebatur. Cuius rei integram hiſtoriam ſic *Laonicus* deſcribit. Cùm autem, inquit, in longum vrbis obſidio extraheretur tempus, & obſeſſi iam ad extremam veniſſent neceſſitatem, ferunt eos in colloquium veniſſe cum Rege, petentes pacem: promittentes interim ſe promptos, & paratos eſſe facere quæcumque imperaſſet, ſaltem pacem daret petentibus. Quorum precibus victus, poſtulauit ciuis cuiuſdam filiam formâ excellentem omnes quæ tum in eâ vrbe formoſæ habebantur. Hanc cùm accepiſſet formę elegantiâ omnes ſuperare (fert enim vrbs iſta mulieres in primis formâ præſtantes, virgineſque venuſtiſſimas) eam petijt ſibi vxorem dari, cùm in colloquium cum Tyrrhenis ſuper pace iungenda veniſſet. Erat enim Rex ille inter cætera intemperans, & libidinoſiſſimus, & tantùm inſaniebat amore mulierum. Iuſſerunt itaque Tyrreheni, vt pater virginis eam quam pulcherrimè exornatam Regi traderet. Aiunt, puellæ patrem fuiſſe medicum inſignem, adeòut facilè omnes eâ facultate ſuperaret. Cùm igitur multa tentaret, nec tamen poſſet vllâ ratione ſibi conſulere, quin filiam Regi daret, commiſcuit cicutam quam potuit efficaciſſimam. In iſtâ namque Italiæ vrbe cicutam commiſcere ſolent efficaciorem, quàm in reliquis vrbibus.

Ac-

Accepit & pannum, quem cicutę immerſit, vt venenum imbiberet. Quo facto pannum veneno imbutum filiæ dedit: monens, vt vbi Rex cum eâ concubuiſſet: ipſa panno iſto mentulam eius quàm decentiſſimè abſtergeret. Hunc igitur cùm accepiſſet pannum auro exornatum, ſpectaculoque dignum, eum diligenter cuſtodiuit, vt Regi ſicut pater præceperat, poſt concubitum inſeruire poſſet. Ducentes igitur virginem iſtam, obtulerunt eam Regi, qui visâ, formę pulchritudine captus, obſtupuit: amoreq; ardens, cum eâ Veneris fœdus inijt. Puella autem iuſſa patris faciens, multis blandimentis adhibitis, panno Regis mentulam abſterſit. Quo cùm eſſet tactus Rex, in humorem nonnihil reſolutus, in febrim incidit acutiſſimam, & continuò expirauit. Etiam puellam eſſe mortuam tradunt, cùm etiam ipſam cicuta per humorem diffuſa contagio infeciſſet. Regis exercitus, vbi primùm ipſe mortem obijt, dilapſus domum redijt: & Florentia obſidione liberata eſt. Quidam Itali perhibent, non patrem pannum infectum veneno puellæ tribuiſſe, verùm Senatum vrbis eam exornaſſe quàm pulcherrimo ornatu, vt formoſiſſima Regi appareret: eundem etiam Senatum pannum dediſſe. Sed hæc hactenus, quia turpia ſunt, dixiſſe ſufficiat. Poſt obitum Regis, cùm vxor eius admodum inquietaretur propter regnum ab Italis, nec non regionis Duces ipſi plurima negotia faceſſerent, nupſit *Rhainerio* Andegauenſi prouinciæ Regi, Gallorum Regis patrueli, eique regnum Neapolitanum tradidit. *Laonic. Bonf. Æn. Syl.*

ANNO CHR. 1415.

ANTONIVS Dux Brabantiæ, vnâ cum Aurelianenſi Duce, Anglos Galliam miſerè vaſtantes, ferè omni commeatu intercludit; ſed cùm eos nimium vrget, & cum deſperatione pugnat, vincitur, Anglorum decem millia erant, qui in acie decem millia Gallorum trucidant, decem millia capiunt. Cecidit in acie *Antonius* cum fratre *Philippo*: reliquit Dux duos filios, *Ioannem*, & *Philippum*. Accidit clades propter Azincurt, die 25. Octobris. *Chron. Belg. & Flander.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1417.

CAROLVS filius Caroli Regis Galliæ, Delphinus, veneno extinguitur die 5. Aprilis feriâ ſecundâ poſt Dominicam Palmarum. *Suffrid.*

ANNO CHR. 1418.

WILHELMVS Comes Hollandiæ interficitur, quapropter *Ioannes* Epiſcopus Leodienſis, eius frater, miſſis legatis ad Concilium Conſtantienſe reſignat Epiſcopatum, ducitque vxorem, & Comitatum Hollandiæ inuadit. *Suffrid.*

ANNO CHR. 1419.

RVDOLPHVS Dux & Elector Saxoniæ iuſſu Imperatoris legatione fungitur in Bohemiâ, vt ipſos ad Eccleſiæ vnionem reuocaret; ſed ſeditioſi quidam ne aliquibus perſuaderet, eum tollendum cenſuerunt, & cùm ferro non poſſent, veneno eum peremerunt, qui mortuus eſt die 11. Iunij cum Electoratum adminiſtraſſet annis 31. Filios eius *Wenceslaum*, & *Sigiſmundum* dormientes turris Sueidnicia ad Eliſtrum oppreſſerat, ideò ſuccedit frater *Albertus*, qui præfuit annis tribus. *Spang.*

ANNO CHR. 1422.

ALBERTVS Saxoniæ Dux & Elector vltimus ex familiâ *Anhaldina*, cùm animi causâ venatum iuiſſet in ſaltus Lochauios, & cum yxore ac gynecæo in caſulam ruſticam diuertiſſet, orto incendio nocturno, vix per feneſtram nudus euaſit, morboque è terrore contracto, paucis poſt diebus nullo relicto hærede: cùm duraſſet dignitas Electoratus in antiquâ, & illuſtri familiâ *Anhaldina* annis amplius 200. Atque ita ditio hæc ad imperium recidit, & *Fridericus* Elector Brandeburgicus nomine Imperatoris ditionem illam, cuius caput eſt Witeberga occupat, & præſidijs munit. *Cranz. Fab. Chron.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1423.

MVSTAPHA Solymani filius, ſuperioribus annis bellum patruo facere conatus eſt; ſed cùm omnes propter æquitatem fauerent *Mahumeti*, fruſtrè operam impenſus eſt, & à Græcis captus, in carcere vſque ad mortem Mahumetis detentus fuit. Quò mortuo Græci liberarunt captiuitate Muſtapham, contrà filium Mahumetis Amurathem; Hic verò legationem miſit ad *Emanuelem* Grẹcorum Imperatorem, monuitque fœdera eſſe ſeruanda. Sed *Ioannes* filius nuper Auguſtus creatus, putauit vtramque partem eſſe fouendam, vt mutuis certaminibus atterrentur, atque ita Conſtantinopoli Muſtaphæ iunguntur, qui cùm videretur regnum firmaſſe in Europâ, in Aſiam tranſit ad pellendum *Amurathem*: ſed rumor ibi ſpargitur Conſtantinopolitanum defeciſſe ad Amurathem, & ita deſeritur à militibus, & Amurathes inſequitur fugientem. Cùm verò obſtantibus Græcis cum exercitu mare tranſire non poſſet, Genuenſem nauem inuenit, & Gubernatori mercedem perſoluit quantam voluit, & *Muſtapham* capit, eumque laqueo ſtrangulat, cum ferè annis tribus regnaſſet. *Laon.*

ANNO CHR. 1424.

MVTIVS ATTENDOLVS cognominatus *Sfortia* Cotignolæ in Romandiolâ natus,è Patriâ adhuc adoleſcentulus diſcedens, ſub *Ioanne Aucuto*, & *Alberico Barbiano* in diuerſis bellicis expeditionibus tam mirabile ſui fortis animi ſpecimen dedit,vt non ſolùm contemporaneorum, ſed veterum quoque Hæroum vires ſuperaſſe videretur. Ab initio ſuæ famæ, Alcides huius ſeculi ad *Albericum* Marchionem Ferrariæ contrà *Galeatium* Ducem Mediolanenſem accurrit; in hoc bello præclariſſimas ſui nominis laudes adeptus eſt, ita vt initâ pace, *Galeatius* ipſe ad proprium ſtipendium inuitauit, ad cuius progreſſus plura bella feliciter & glorioſè ad finem conduxit. At proindè, emulorum inuidiâ, à Duce dimiſſus, ad Florentinos confugit, à quibus libentiſſimè exceptus, aduerſus ipſum *Galeatium* Bo-

Bononiam obſidentem cum forti exercitu mittitur, & in duro certamine apud Caſalichium tam ſtrenuè ſe geſſit, vt ab ipſis inimicis Victor mirabilis exclamatus fuerit. Poſtmodum ad Piſanorum clades commotis armis, *Angelum* ipſorum Ducem debellauit. Indè dum *Nicolai* III. Ferrarienſis Gentibus imperabat, *Othonem* III. Parmę Ducem propè Mutinam ſuperauit, & ad fugam coegit. Aliquot poſt annos *Ioannes* XXIII. cum, vnà cum *Ludouico* II. Andegauenſi ad regnum Neapolitanum contrà *Ladislaum* Regem tranſmiſit, & inſignis victoria apud Arcem Siccam ab eiuſdem Ladislai gentibus relata, vſque hodie ſummæ Sfortiæ militari peritiæ, & virtuti attribuitur: Quarè pro tanti meriti compenſatione *Ioannes* XVIII. prædictus *Cotignolæ* Comitis titulo decorauit. Pace deindè compoſitâ cum Romano Pontifice *Ladislaus* apud ſe ſummâ æſtimatione eum retinuit, & cùm regnum in bellicis occaſionibus ſtrenuè defendiſſet, ac regium nomen, pluribus relatis victorijs ſummoperè decoraſſet; Rex non immemor tanti meriti, ei magnum Principatum in ſuo regno donauit; nec non *Ladislao* mortuo, *Ioanna* II. Regina coniux honores & Principatum auxit, & ſublimauit; quando Sfortię opere, & ſermone placatis regni diſſenſionibus, hoſtibus diſperſis, Primatibus rebellibus ad obedientiam reductis, Beneuenti, Trani, Barij, Siponti Ciuitates eius dominio aſſignauit. Poſteà dum *Braccius* Peruſinus Tyrannus Romam durâ obſidione præmebat, Reginæ *Ioannæ* iuſſu, *Sfortia* vt *Martino* V. Pontifici opem præſtaret, cum forti exercitu venit, & Tyranno, eiuſque inſtructæ aciei tam audacter ſe oppoſuit, vt magno ſecuto prælio, in fugam tandem abire conſtrinxerit; Cuius egregiæ virtutis Pontifex remunerator factus, nobilem Eccleſię Romanę Signiferum creauit. Denique dum aliâ vice contrà præfatum *Braccium* Aquilæ Ciuitatem obſidentem magnô comitatu abibat, & cùm Aternum flumen vado traiceret, adoleſcenti abrepto vndis accurrere volens, ipſemet inter rapidas vndas demergitur.

IOANNES olim Epiſcopus Leodienſis, tutor Hollandiæ, cùm tutelæ annis ſeptem præfuiſſet, veneno ſublatus moritur

die 6. Ianuarij: Veneficus à factione Hamaticâ conductus, ſupplicio afficitur, ideò *Ioannes* Brabantiæ Dux, olim maritus *Iacobæ* in Hollandiam reuocatur. *Suffrid.*

ANNO CHR. 1432.

FRANCISCVS BVSSONIVS, cui à ſubalpinę Liguriæ oppido *Carmagnola* cognomen fuit agreſtis villici filius, quem ſubulcum nonnulli fuiſſe tradunt; verũ in puero contumacis ingenij, & tetrici oris ea inerat indoles, vt à prætereunte milite, pro armigero puero ſit abductus. Exindè varijs inſuefactus bellis vti valdè patiens laboris, & ad ardua quęque militiæ munera capeſſenda promptus & audax, facilè turmæ præfectus euaſit: illudenteque demùm fortunâ cùm ſub *Facinio Cane* quatuor turmarum ductor aliquandiu fuiſſet, poſt illius mortem Imperator eſt effectus, ſcilicet vt vtriuſque humanæ ſortis graue exemplum poſteris præberet. Creuerat honoribus, gratiâ, diuitijs ſub Philippo Vicecomite vſque adeò ſecundis rerum ſucceſſibus, cùm viuidæ eius virtuti nihil eſſet imperuium, vt eum in familiam ſuam adoptaret, propinquam nobiliſſimi ſanguinis ei in matrimonium collocaret, cumque ædificantem loculentiſſimam domum collatâ pecuniâ liberaliter adiuuaret, quæ domus etiam nunc reliquas omnes Mediolani laxitate, magnificentiâ, & ſumptu antecellit. Iamque ad ſummum fortunæ ſuæ faſtigium peruenerat, vt cùm ibi conſiſtere non poſſet, æmulorum obtrectatione preceps daretur. *Philippus* enim mutabilis ingenii ſui naturam ſecutus *Carmagnola* penè contempto, *Guidonem Taurellum* nauali de Rege Alphonſo victoriâ clarum, attollendum ſuſceperat. Huic mirè ſtudebat, ex aduerſo Carmagnolæ infenſus *Oldradus Lamponianus* Philippo intimus, vtpotè qui à primâ vſque adoleſcentiâ ſummæ gratiæ locum paraſſet. Non tulit contumelias vir notiſſimus meritis, & nomine ſuo indignas, Carmagnolamque natale oppidum à Philippo diſcedens ſe contulit, vbi piè inuiſit patrem exactæ ætatis, & quem iam pridem priſtinæ fortunę ſordibus eduxerat, coemptis prædijs, & multo auro ditauit. Indeque ſuperatis alpibus per Germaniæ fines ad

Ve-

Digitized by Google

Venetos profectus eſt, vt *Franciſco Sfortiæ* adipiſcendo Principatu iter viamque ſimul fatis ſuis aperiret. Nam aliquanto poſt ſuſcepto apud Venetos militari imperio, eoque fortiter geſto Veronâque, & Briziâ *Philippo* ademptis, in curſu gerendarum rerum oborto liuore Venetos offendit, periniquè, vt credi par eſt, perfidioſæ cunctationis accuſatus, quòd profligatam à *Philippo* Venetam claſſem, ad Cremonam terreſtri auxilio minimè iuuiſſet, occupandęque eius vrbis enatam occaſionem malignè prætermiſiſſe diceretur. Quas ob res ſimulatione conſultandi euocatus Venetias cuſtodię traditus eſt. Nec diù poſt cùm apud ſuſpicioſos, & vbi de republicâ quæritur ſæpius inclementes Patricios, infeſta ſuffragia valerent, de diu torto vel inſonte capitale ſupplicium eſt deſumptum; eâ famâ, vt nonnulli eum indigniſſimè damnatum dicerent, quòd auaritiâ, pręcipiteque malignitate maturatum ei exitium arbitrarentur; nam ex damnati opibus ſuprà ducenta millia aureorum nummum ad Fiſcum redibant. Auxit autem inuidiam atrocis inſpectatique ſupplicij ſpectaculum interdiu populo editum, cùm indignè tantus Imperator ad columnas rubras vbi noxij plecti ſolent, inſerto in os ligneo lupato, nè vociferari poſſet, traheretur, multis autem inſontis calamitatem, aut æquo ſeuerius ingrati Senatus decretum deteſtantibus; cum egregiè fortiterque rerum bello geſtarum memoria recens ſpectantium animos, excitis ferè lacrymis ad miſericordiam promoueret. *Iouius.* De eo *Adamus Fumanus* tale elogium reliquit.

Sedula apis veluti maturis aduolat vuis
Vt liquido vacuas diſtendat nectare cellas,
Ad te ſic mea ſe celeri tulit impetu Muſa
Bellica quem ad magnos virtus euexit honores
Franciſce, æternum pietas per ſæcula nomen
Cui peperit, cuncto Procerum cum aſtante Senatu
Ac magnis vna tecum de rebus agente.
Ad Scabrum haud veritus confeſtim exire parentem
Fortiaque infirmo circumdare brachia collo
Illicet hoc vnum malit, quam mille referre

Geſta tua præclara, & deuicta ex hoſte trophæa.
Magnorum decus Inſubrum, dux inclyte, tandem
Orta licet ſubito, fractum te attriuerit ingens
Tempeſtas, Caurique, importunæque procellæ,
Ne dubita; tua te pietas, tua maxima virtus
Venturo meritis cumulabit honoribus æuo.

ANNO CHR. 1437.

IACOBVS I. Rex Scotiæ, cùm annis fere 31. regnaſſet, viginti octo vulneribus inflictis in ſuo lecto trucidatur: ſuccedit filiolus *Iacobus* puer ſex annorum, qui regnat annos 23. dictuſque eſt *Iacobus II. Bucchan.*

ANNO CHR. 1444.

HIc eſt annus *Cladis Varnenſis* omnium celeberrimæ, & Chriſtianis luctuoſiſſimæ, cuius hiſtoriæ hæc ferè eſt ſumma: *Ioannes Hunniades*, natione ſemidacus, ſeu Walachus, Comes Biſtricienſis, ingenio dextro, animo magno & excelſo præditus, ac virtutis amator, poſt obitum *Vladislai* traditâ reipublicæ ſummâ, Hungariæ Gubernator, aut Prorex pronunciatus fuit, *Ladislao* Hungariæ Rege quintum ętatis annum agente. *Hunniades* ſecundis aliquot prælijs Turcas ſuperauerat, & *Amuratem* ita terruerat, vt pacem vltrò poſceret, & Chriſtianis decennij inducias offerret: quas cùm Hungari non recuſarent, præſtitum eſt ab vtraque parte iuramentum, Chriſtianis quidem libro Euangeliorum, Turcis verò Codici Alcorani digitos inter iurandum imponentibus. Moleſta ea res *Iuliano* Cardinali *Cæſarino* rerum experientiâ, virtute, & prudentiâ claro, fuit, cui proſequenda victoria videbatur, præſertim cùm *Eugenius* Papa IV. *Iuliano* ſcripſiſſet nullum valere fœdus, quod ſe inconſulto cum hoſtibus religionis percuſſum eſſet. Vladislaus itaque per *Iulianum* à iuramento abſolutus, & ad bellum inſtaurandum impulſus, & coactis ex Hungariâ copijs, atque auxilijs vndique accerſitis, Turcarum agros inuadere ſtatuit, *Ioanni Hunniadi* caſtrorum curâ commiſsâ. *Iulianus* Cardinalis milites

tes cruce ſignatos non paucos ſecum duxit: iter per Walachiam ſuſceptum, deindè tranſito Danubio in Myſiam ventum. *Amurates* hoſtium cognito aduentu exercitum ex Aſianis militibus comparauit. Ac ſi vera eſt fama, centum millium exercitum conflauit, qui traijcere Boſphorum Thraciæ non potuiſſet, niſi Genuenſes in ſingula Turcarum capita aureo nummo accepto, tranſeuntibus naues prębuiſſent. Aduentus Turcarum tam ſubitus fuit, vt prius veniſſe viſi ſunt, quàm auditi venire. Vbi ergo in conſpectu fuit multitudo hoſtium longè maior, quàm putaretur, ingens terror Chriſtianos inuaſit, qui tamen non detrectauêre certamen, nec regio ſanguini defuit animus. Attigerant autem Chriſtiani locum, cui *Varna* eſt nomen, non procul ab Adrianopoli, eratque profeſtum D. Martini 10. Nouembris. *Amurates* dato belli ſigno, ex 15. millibus equitum facto globo, impetum fecit in Chriſtianos, qui itidem ſtructis ordinibus aciem eduxerant: pugnatum eſt ferocibus animis: ſuperior acies noſtra Turcas in fugam vertit, quę res magno metu *Amuratem* perculit, fuiſſetque protinus prodito exercitu, niſi circumſtantes ſatrapę, comprehenſo eius equi freno, ignauiam illius increpaſſent, fugientique necem comminati fuiſſent. Perſtitit ergo vel inuitus, iuſſiſque fortiſſimis arma ſumere, pręlium inſtaurauit. Cùmque in ſingulas ferè horas nouis hoſtis ſuccederet, & ſauciorum Turcarum loca recentes, & viribus integri milites occuparent, Hungari non tam virtute, quàm numero ſuperati, paulatim referre pedem cœpêre. *Vladiſlaus* dum fortiter pugnat, equo deiectus obtrùncatur, caput eius haſtæ infixum per Græciam, atque Aſiam in ſignum victoriæ populis oſtentatum. *Hunniades* cùm ex pugnâ ſalutem nullam ſperaret, vnâ cum aliquot millibus Hungarorum, & Walachorum ex acie euaſit, quòd aliquos ſeruari, quàm omnes perire mallet. *Iulianus* ex hoſtium manibus iam elapſus, Hungarorum perfidiam effugere non potuit: nam poto equum dantem apud ſtagnum latrunculi quidam agnouêre, & ſpe pecunię apud eum inueniendæ deiectum equo necauerunt, ablatiſque veſtimentis nudum cadauer feris, àc volucribus dimisêre. *Æneas*

Syl-

Sylvius ſcribit eum tribus ſagittis confoſſum inter fugiendum apud quandam paludem equo lapſum exalaſſe ſpiritum, anno ætatis ſuæ 46. vir qui nihil vnquam omiſit, quòd ad Religionem, ac fidem catholicam, & Eccleſiæ authoritatem ſuſtinendam indicauerit. Fuit honeſtâ facie, ſtaturâ procerâ, ingenio excelſo, eloquentiâ ſingulari, & moribus nitidiſſimis ornatus, in Gymnaſijs accuratè verſatus, Ciuilis, Diuinique iuris ſcientiſſimus. *Cochlæus* Iuliani mortem defleuit his verſibus.

Integer, impollutus, inexpertuſque malorum
Venit in extremum ſanctior vſque diem:
Pontificiſque vocem dum ſuſtinet agmina, firmat,
Ad lympham diro cuſpide caſus obit.
Talis ad Eurotæ ripas dum cantibus auras
Mulcet, glande leui concidit ictus olor.

Antonius Franciſcus Rainerius tale de eo Elogium ſcripſit.

Te decorant magni cognomina Cæſaris, vnde
Ducis auos, at auoſque, & priſcæ exordia gentis;
Quique lacertoſus vexilla Patrumque Quiritumque
Extollit ſinuoſa auro, atque aſperrima ſignis
Veſtrorum decus heroum, columenque nepotum.
Te decorant oſtro inſignes duo lumina patres
Conati euerſo pariter ſuccurrere ſeclo
Qui tecum æthereis potiuntur nectare menſis.
Te decorat tua te pietas immenſa labantem,
Quæ tuit (heu pietas miſeranda) vt fulciat orbem.

Occiſi ſunt cum eo aliquot Epiſcopi, & Barones Hungariæ. De numero cæſorum non exactè conſtat: Illud exploratum eſt, longè plures ex Turcarum acie cecidiſſe, ſed pro numero copiarum longè maius Chriſtianis damnum illatum. Sunt qui affirmant ex Chriſtianorum exercitu vix ſaluâ parte tertiâ cecidiſſe ad quinque millia hominum, cùm Turcarum ſupra triginta millia perijſſent. Vndè victor *Amurates* interrogatus cur poſt victoriam nulla lætitiæ ſigna oſtenderet, *Nollem*, inquit, *hoc modo ſæpius vincere.*

AN-

ANNO CHR. 1446.

GLOCESTRIÆ DVX in Angliâ cùm regnum Angliæ tutorio nomine per annos 15. optimè rexiſſet, ſtrangulatur ab improbis in Angliâ conuiuente Rege: cauſa affertur, quòd in vindicandis delictis ſeuerior fuerit. *Polyd.*

ANNO CHR. 1452.

DVGLASSIVS Comes potentiſſimus in regno Scotiæ, cùm multa proterua in Regem faceret, in aulam vocatus, trucidatur. Hinc ingens ſeditio in regno Scotiæ orta, quæ ad quinquennium durauit. *Buch.*

AMVRATES II. Turcarum Rex octauus mortuus eſt Adrianopoli die 10. Februarij, cùm imperaſſet annis 30. Succeſſit in regni adminiſtratione *Mahumetes II.* Turcarum Rex nonus, & primus Imperator Orientis anno ætatis 21. qui fratrem ſuum, ne pater ſolus ſepeliretur, ſtatim ſtrangulari iuſſit. Vtrumque funus regio ritu duxit, & auſpicia regni pro more gentis parricidio conſecrauit. Nam feliciùs apud Turcas priuatis, quam Regibus liberi naſcuntur. *Buch.*

ANNO CHR. 1453.

MAHVMETES II. Turcarum Rex nonus, & Orientis Imperator I. ſub ipſum regni ſui auſpicium, Conſtantinopolim aggreditur maximo exercitu quadrigentorum millium, eamque obſidere cœpit, & ad expugnationem omnia idonea comparauit. Eius vrbis amplitudo cùm tanta ſit, vt in circuitu centum vndecim ſtadia contineat: diſtributis in muros militibus, eoque pacto inſtructis copijs, accidit vt minus munita foret. Bombardas habuit maximas, quæ globos emitterent librarum 400. Vnam habuit (ſi fides præſtanda eſt Hiſtoricis) quę à ſeptuaginta iugis bouum trahebatur, & viris bis mille. Secutę ſunt etiam naues triginta, triremes, & minores naues ducentæ. Obſidio cœpta die 5. Aprilis, durauit diebus quinquaginta quatuor; triduò antequam expugnaret indixit *Mahumetes*

tes ieiunium, & promiſit primo aſcendenti murum, prouinciam amplam, quam vellet in Europâ, exercitui toto direptionem vrbis per triduum. *Conſtantinus Palæologus*, territus tantis minis Legatos mittit de pace, cui *Mahumet* conditiones fert, vt quot annis ſibi pendat centena aureorum millia, & reliquâ Thraciâ abſtineret, aut ſi hoc non poſſet, excederet vrbe cum ſuis bonis. Sed *Conſtantinus* neutrã conditionem accepit, atque ita *Conſtantinopolis* Orientalis Imperij caput & ſedes, poſt 54. dies obſidionis vi, & armis expugnata, capitur à *Mahumete* Turcarum Rege, anno regni eius tertio: cùm Vrbs illa à *Conſtantino Magno* condita ſtetiſſet annis 1122. Cùm irruerent Turcæ, tanta hominum fuga fuit per reliquas partes vrbis, vt portæ omnes obſtruerentur iacentibus; primis enim quibuſdam decidentibus, reliqui ſuper eoſdem ruebant, & portas complebant. *Conſtantinus* Imperator fugiens in humerum accepto vulnere perijt. Eius extincti caput ad Mahumetem quidam attulit, præterque munera longè ampliſſima, principatu quoque donatus eſt. Imperio tribus annis, & tribus menſibus potitus fuerat, atque ita *Conſtantinus* Helenæ filius Conſtantinopolim condidit: & *Conſtantinus* Helenæ filius Conſtantinopolim perdidit. Tradunt Eccleſiaſtici Scriptores, *Conſtantinum Magnum* cùm ſtatuiſſet Imperij ſedem ex vrbe Româ in Orientem transferre, quò faciliùs Parthorum excurſiones compeſceret, Byzantium petiuiſſe, eumque ſibi locum diuinitus oſtenſum dixiſſe: mox vrbem ampliaſſe, noua mœnia erexiſſe, ſublimes excitaſſe turres, magnificentiſſimis operibus exornaſſe, tantumque illi decoris adieciſſe, vt altera ROMA non immeritò dici poſſet. Scriptores vetuſti qui florentem viderunt, Deorum potius in terris habitaculum, quàm Imperatorum putauerunt. Vrbi nomen NOVA ROMA indidit: ſed vicit obſtinatio vulgi, vt à Conditore CONSTANTINOPOLIS vocaretur. Quæ autem calamitates in hac expugnatione Byzantijs acciderunt, explicari dicendo nequeunt. Nam miſerabile hoc Conſtantinopolis exitium (ſi Hieroſolymitanum excipias) videtur omnia, quæ per vniuerſum Orbem contigerunt excidia, ſuperaſſe. Et ab hoc tempore Reges Turcici

Impe-

Digitized by Google

Imperatoris titulo vti cœperunt. *Æn.Sylu. Cranz. Leunclau.& alij.*

Mahumetes capto Byzantio, gloriâ inſoleſcens, & ſuperbiens, cædibus, rapiniſque omnia implebat. *Notaram* Regis Græcorum primarium iudicem cum vxore, & liberis redemit: & cum eo colloquutus, permiſit ei, vt vbi vellet, cum ſuis habitaret. Hic autem expectabat auxilium ab Italiâ, quod breui affuturum arbitrabatur, interim tamen Byzantij cum Rege manſit. Quidam Græci, qui erant libertatem conſequuti, & præſenti exitio ſubtracti, iterum colligebantur Byzantium, propinquos, & amicos eorũ in libertatem aſſerentes. Verùm haud multò poſt Regis iuſſu omnes interiêre: quòd quidem ſic eueniſſe compertum eſt. Vbi eſt rumore allatum ad Regem, *Notaræ* eſſe filium natum annos circiter duodecim, vnum de ſuis pincernis miſit petitum puerum. *Notaras* poſt quam accepit ex pincernâ Regis voluntatem, grauiter irâ ſuccenſus eſt, ſibique eam petitionem admodum periculoſam, & intolerandam fore iudicabat, & ſic compellauit pincernam regium: *O pincerna, haud ferendum eſt Regem mihi liberos velle eripere, cùm nihil ſit quod crimini det, cùm ſemel errorem dimiſerit. Sin autem id fixum ratumque ſedet in animo Regis, quarè non imperat, vt nos turpiſſimæ morti liberos noſtros tradamus?* Hæc loquutus, addidit, ſe nequaquam filium Regi petenti daturum, cùm nullam in ipſum commiſerit culpam. Pincernę autem obiurganti, & monenti, ne talia diceret, & faceret in Regem, quaſi illicò periturus, non obtemperauit. Pincerna igitur reuerſus ad Regem, reſponſum quod ab *Notara* acceperat, exprompſit. Rex iratus, præcepit vt *Notaram* cum liberis, quos ſecum haberet, continuò abducerent, & neci darent. Hos, quibus id negotij iniunctum erat, cùm adueniſſent, rogauit *Notaras*, vt primò liberos in conſpectu ſuo occiderent, & poſtremò in ſe hoſtili ferro ruerent. At filij timentes mortem, precibus fatigabant patrem, vt interfectoribus opes vniuerſas quas in Italiâ haberet, pernumeraret, ne ipſi perimerentur. Verùm pater liberorum preces auerſatus, iuſſit vt forti animo ad imminentem mortem irent. Hi quidem

Digitized by Google

primò interfecti ſunt. Poſteà ſe necandum & ipſe interfectoribus præbuit. His ita peractis, nec reliquis Græcis pepercit Imperator: verùm omnes quotquot liberati aderant Byzantij, ad ſupplicium extremum rapi iuſſit. Hi quidem pecorum modo percuſſi, nullâ eorum ratione habitâ, periêre. Imperatorem autem in Græcorum cędem concitauit aduena quidam, cuius filiam ardentiſſimo amore proſequebatur Imperator: & congreſſus cum eâ, amore amens, propinquis mulieris, quęcumque petijſſent, gratificabatur. Huius itaque patri obtemperans Imperator, Gręcos mactari iuſſit. *Laonic.*

ANNO CHR. 1454.

ALVARVS, qui *Ioanni* Regi Caſtellæ in Hiſpaniâ intimus fuerat, ex cuius quaſi pręſcripto regnum gubernabatur, à proceribus regni capitur, & capite mulctatur. *Marian.*

TALBOTVS ab *Henrico IV.* Rege Anglię in Aquitaniam miſſus, Burdegalam, & multas alias vrbes recipit, ſed paulò poſt ictu tormenti interfectus eſt. Ideò cùm non eſſet Dux in Galliâ, Rex hanc ſtatim recepit. *Polyd.*

ANNO CHR. 1455.

CONRADVS KAVFVNGVS, nobili loco apud Saxones natus, bellicę rei peritus, manu promptus, & animo imperterritus, olim cum *Friderico* Saxonię Electore militans, captus ab hoſtibus fuerat, & non ab eodem redemptus, quòd tamen alijs pręſtiterat; igitur ſe ipſum redemerat quatuor millibus aureorum, eamque pecuniam repoſcebat ab Electore minis etiam, ideò totâ dictione ab Electore eijcitur. De vltione cogitans, ſcelus incredibile noſtrâ ętate perpetrauit. In arce Aldenburg duo *Friderici* filij *Erneſtus*, *&* *Albertus* educabantur. Huc *Conradus* intempeſtâ nocte magnis itineribus cum paucis comitibus contendit, & admotis ſcalis pectilibus, prodente pędagogo, arcem ingreſſus dormientes adoleſcentulos in cubili comprehendit, interminatuſque mortem ſi vocem emitterent, funibus colligatos extraxit, haud dubius, quin productos in Bohemiam magno

pre-

pretio venderet, ſuaſque contumelias eo pacto magnificè vltus videretur. *Fridericus* tunc Lipſię morabatur, & aulici plerique in vrbe epulabantur. Iam ſyluam Herciniam ingreſſus erat *Conradus*, iamque periculum omne tranſmiſſum putabat, cùm iunior *Albertus* ętatis 12. labore ac fame deficiens, quietem ſimul, & cibum popoſcit. Cuius precibus commotus prędo ad Carbonarium quendam diuertit, afferrique panem, ac cereuiſſam iuſſit. Intereà apud Aldenburgum, cognitâ tantâ rei nouitate, clamor exoritur. Attoniti oppidani raptim arma capeſſunt, & pretioſam vendicaturi prædam pręcipiti curſu prædonis veſtigia inſectantur. Syluam ingreſſis fortuna blanditur, quæ inter multos tramites eum teneri ſuaſit, qui rectà duxit ad Carbonarium. Ibi *Conradus* dum puero cibum miniſtrat ex improuisò capitur, & oblatus Principi, audaciſſimi ſceleris capite pœnas ſoluit die 14. Iulij, tantique ſceleris conſcij in quatuor partes diſſecti. *Fridericus* eodem penè nuncio, quo captos, atque abductos filios audierat, recuperatos, & domum reductos didicit. *Æn.Sylu.Fabric.Eber.Spangemberg.*

ANNO CHR. 1456.

MAHVMETES II. Turcarum Imperator primus *Belgradum*, quam *Albam Græcam* vocant, cum exercitu centum & quinquaginta millium hominum 13. Iunij cinctam oppugnare cœpit, & machinis ſtupendę magnitudinis murum ſine intermiſſione verberauit, & diruit. Turcæ per muri ruinas ingreſſi atrox cum Chriſtianis prælium inierunt. *Ladislaus* Hungarię Rex Turcis ſuaſu Cilię Comitis *Vlrici*, ſe opponere non fuit auſus. Sed *Hunniades* Prorex, & *S. Ioannes Capiſtranus* Minorita Legatus Pontificius, exercitu collecto vrbem intrarunt. *S.Ioannes* ex altâ turri clamitans, Chriſtianos hortari, vexillum Crucis vibrare, opem de cœlo promittere, hoſtibus maledicere, Dei pręſentiam implorare: *Hunniades* modò huc, modò illuc cum globo militum currere, ordines inſtaurare, pro feſſis validos, pro saucijs integros ſufficere, Imperatoris, ac militis officium exequi. In fluuio naues ducentas Mahumetis *Hunniades* cepit, reliquas ne vſui

Digitized by Google

eſſent Hungaris; *Mahumet* ipſe cremauit. Indè ad Vrbem pugnatum eſt toto die, perieruntque ad quadraginta millia Turcarum. Factum die 6. Auguſti: ipſe Mahumetes cùm oculus eius haſtâ eſſet traiectus, ſequenti nocte incenſis caſtris cum exercitu fugit, prædâ eâ tantùm relictâ, quę igne abſumi non potuit, tormenta ſcilicet ęnea, arietes ferro graues, & ingens vis machinarum. *Hunniades* feliciſſimus Hungariæ defenſor (cuius nomen, vt tradit *Syluius*, tam terrificum fuit Turcis, vt parentes liberis plorantibus, ſilentjum non aliter imperarent, quàm *Hunniadis* prę́ſentiam minitando) mortuus eſt die 10. Septembris non ſine veneni ſuſpicione, à Comite Ciliæ propinati. Anno ſequenti *Ladislaus* Rex Belgradum excurrit, viſurus monumenta victoriæ *Hunniadis*. Ibi Ciliæ comes *Vlricus* infenſiſſimus hoſtis Hunniadis, calumniatus eſt filios Hunniadis de conſpiratione in necem Regis factâ. Maior filius *Ladislaus* vrget Comitem, vt vel probet, vel reuocet mendacia. Comes prior gladium ſtringit. *Ladislaus* verò ferociter Comitem obtruncat, tertioque die poſt iuſſu Regis, cùm Budam abductus fuiſſet, non ſatis cognitâ causâ, capite truncatus eſt. In illo autem innocentiæ teſtimonium Deus mirando exemplo tribuit. *Ladislaus* egregio corpore adoleſcens, flauis de more crinibus ſuper humeros ſparſis, reuinctis poſt tergum manibus, talari, atque aureâ veſte indutus, quam ipſi paulò antè Rex donauerat, in publicum productus, dum inter vota ad Deum, procumbens in genua, forti animo ceruice erectâ ictum expectat, ter à lictore percuſſus, atque ex ictu prolapſus in terram, ſuopte annixu, quanquam ligatus, & vulneratus eſſet, ſe ſe rurſus à terrâ extollens, & clarâ voce Deum inuocans, eum teſtem ſuæ innocentię fecit. Quarto demùm ictu capite præſecto vitam profudit. *Matthias* alter Hunniadis filius, in Bohemiam miſſus, ibique in vinculis retentus eſt: ſed ante latam de capite eius ſententiam, *Ladislaus* Rex Hungarię iuuenis octodecim annorum, *Alberti* Imperatoris poſthumus filius, & *Sigiſmundi* Imperatoris ex filiâ nepos, dum ſponſam expectat Caroli Francorum Regis filiam, in ipſo nuptiarum apparatu Pragę, non ſine veneni ſubminiſtrati ſuſpicio-

ne,

Digitized by Google

ne, moritur die 22. Nouembris. Rectè Syluius: *O imbecillem humanæ naturæ conditionem: O inanem mortalium gloriam, O cæcas hominum mentes: quid iactamur? quid extollimur? quid eſt quod dignitates, opes, potentiam tantoperè flagitamus? perpetuò his frui cui datum eſt? Ladislaus nobiliſſimus adoleſcens natus anno 18. in ipſo flore, in ipſo gloriæ culmine, tot regnis, tot gentibus imperans, tot delitijs, totque opibus affluens, inter tot auxiliantium manus, intra 36. horas, poſtquam ægrotare cœpit extinctus eſt.*

Matthias verò alter filius *Hunniadis* annos 15. natus ex cuſtodiâ *Georgij Podiebraccij* Gubernatoris Bohemiæ 50000. florenis liberatus, anno ſequenti die 22. Ianuarij Rex Hungariæ declaratus eſt. Mira rerum humanarum mutatio: *Ladislaus* Rex expectabat ſponſam, & defertur mortuus ad tumulum, *Matthias* metuebat mortem trepidus, & ex carcere vocatur ad regnum. *Mirabile*, inquit, Syluius, *quòd matrem repentina lætitia non exanimauerat, cùm tot cladibus afflicta prius Regem appellatum audierit filium, quàm vinculis exemptum.*

Podiebraccius poſteà declaratur Rex Bohemiæ die 2. Martij: Sic duo potentiſſima regna, eodem tempore, Rege orbata, ex nobiliſſimo, atque altiſſimo ſanguine ad mediocris generis homines peruenêre.

CARAZIES Europæ Dux, qui gloriâ, & virtute excellebat omnes, qui in Ianuis *Mahumetis* Regis ſtipendia faciebant, ab oppidanis bombardæ globo ictus occubuit, in Belgradi oppugnatione. Rex quidem mortem huius viri, maximam calamitatem ſuis rebus inuecturam augurabatur, & multum eum lugebat, ſic poſteà rem probauit euentus. *Laon.*

ANNO CHR. 1460.

RICHARDVS Eboracenſis exul, cum exercitu in Angliam redit, & Regem ingenti prælio vincit, in quo ad decem millia ceciderunt. Ipſe etiam Rex capitur, quem *Richardus* regno deponere conatur; ſed reclamant alij. Interim *Margarita* Andegauenſis, Regis coniux, exercitum reparat, cum Eboracenſi ipſa pugnat, eumque vincit, & in acie trucidat. Duces etiam

ſe-

ſeditioſi multi capiuntur, & ita vxor virum ex captiuitate liberat. *Polyd.*

ANNO CHR. 1461.

DAVID Imperator Trapezuntij, vltimus ex Comnenorum familiâ, à *Mahumete II.* Turcarum Imperatore, imperio exutus, Adrianopolim deductus fuit. Nec multò poſt & ipſe eodem peruenit. Vniuerſa igitur Colchidis regio in poteſtatem Mahumetis deuenit. Antea fuerat principatus, quem regebant Græci, moreſque, & victus rationem Græcorum maximè imitabantur. Verùm Græci, & Græcorum Principes, breui admodum tempore bello domiti ſunt. Primò quidem Rex potitus eſt Byzantio: poſteà arma tulit in Peloponeſum: dehinc Trapezuntis Regem vnâ cum regione nactus eſt. Hæc quidem hactenus contingere. Trapezuntios in partes diſtribuit: partem vnam retinuit ipſe, ex quâ fecit Silictarios, & Spathoglanos: hos in Ianuis tenebat, eorumque miniſterio vtebatur, nec non ipſis nefario amore raptus abutebatur. Partem autem aliam Byzantium tranſmiſit. Porrò ex aliâ Ianitzaros elegit. Quoſdam conſtituit ſeruos, qui in tabernaculis ſeruirent. Pueros ex omnibus elegit octingentos, eoſque in peregrinorum cohortem ſubmiſit, Filiam Regis Dauidis, non quemadmodum Rex hic petierat, vxorem duxit: haud tamen multò poſt eam in cubiculum ſuum accerſiuit perempto Rege Dauide. Nepotem autem huius, qui fuerat filius adhuc infans prioris Regis, apud ſe habuit Crato. Regis autem Dauidis filius iunior, nomine *Georgius*, cùm Adrianopolim veniſſet, ad Mahumetis religionem conuerſus eſt à Rege vnâ cum patre, & fratribus. Nam miſſis literis conſobrina Dauidis Regis, vxor Chaſanis vocabat aut Regis filium, aut patruelem eius, *Alexium Comnenum* ex Mitylenis. Et literas quidem, quibus ſignificabatur vt vnus, ex filijs Regis Dauidis, aut patruelis eius (vt dictum eſt) veniret ad dominam, quę vxor erat Chaſanis Longi, tradiderant Regi. Nam literas iſtas dedit Protoqueſtiarius *Giorgius* curatori, moribus cætera non improbo, vt appareret Regis talis, quali fidendum eſſet in qui-

quibuſuis. Prætereà ne innoteſceret quomodo Protoueſtiarius rem hanc celaſſet, timens Authentem ſiue Imperatorem magnum, & Baſſam Mechmetem, ne re cognitâ pœnas daret Authenti magno Protoueſtiarius, quapropter literas magno Authenti obtulit. Rex, literis acceptis & lectis, nihil boni ſuſpicabatur. Comprehendi itaque iuſſit *Dauidem* Regem, & filios eius vnâ cum patruele, quos omnes in cuſtodiam dedit. Cæterum filiam in ſuum cubiculum accerſibat; cùm autem eos aliquanto tempore in cuſtodiâ aſſeruaſſet, tandem abductos Byzantium necauit. *Leonic.*

ANNO CHR. 1463.

MAHVMETES Michaelis filius, poſtquam Regem Illyriorum in ditionem accepit, cum eo circumiens etiam cæteras vrbes Regni Turcarum ſubijciebat, Rex verò Turcarum diſcruciabatur animi, propter iuramentum Illyriorum Regi præſtitum à *Mahumete*. Grauiter quoque Mahumeti indignabatur, vt qui parùm opportunè huic Regi ſalutis ſpem interpoſitâ iuriſiurandi religione obtuliſſet. Regem quidem Illyrium vinculis illigatum circumduxit, peragrans Sandalis regionem, quam miſerè vaſtauit Rex caſtra mouens ad Sandalis vrbem, eam diebus aliquot obſidebat. Cùm verò vrbis oppugnatio non ſuccederet ex animi ſententiâ, abijt, ducens exercitum per Stantis, Craici, & Pauli, qui principes erant, regiones. Ad hoc præcones dimiſit, qui iuberent, vt ſuam ſinguli regionem Regi traderent, quòd ſi facerent, fore vt ſinguli aliam regionem in Europâ à Rege acciperent. Principes illi perſuaſi Præconum verbis, ſemetipſos, & regionem Regi mancipàrunt. Cogitabant enim impoſſibile fore, vt inpoſterum regionem ſuam defendere, & tutari poſſent, cùm vndique cingerentur Regis regione, quaſi in medio habitantes. Verùm profecti in Ianuas Regis, hac conditione abducti, deditionem faciunt, vt aliâ regione pro ſuâ à Rege donarentur. Nec multò poſt hoc compedibus compeditos abduxit domum, ſimul etiam exercitum dimiſit. Regem Illyriorum manè cùm in caſtris quieſceret, & abitum moliretur, accer-

accerſiuit in conſpectum ſuum : qui cùm intelligeret, ſe parum fauore Regis vocari, tenens manu literas, quibus continebatur iuſiurandum à Mahumete datum, prodibat in conſpectum Regis. Quò cùm veniſſet Rege imperante capùt eius præciſum eſt. Tradunt Regem propinaſſe interficiendum Illyriorum regem, Perſę præceptori ſuo. Alij excoriatum ſcribunt. Sunt qui referunt, coquum regium iſtum virum, neſcio quod crimen in eum intendentem, confeciſſe. In hunc modum memoriæ proditum eſt, occidiſſe Illyriorum Regem, occupato eius regno à Rege Turcârum. *Annal. Turc.*

ANNO CHR. 1464.

STEPHANVS Rex Boſnię, qui ſoceri quoque principatum conſequutus, tandem è Caſtello Iaizæ *Mahumetis II.* blanditijs euocatus, cute viuus exuitur: vitamque cum regno, quod patri dolo ſurripuerat, amittit. *Annal. Turc.*

ANNO CHR. 1470.

GASTO Comes Fuxenſis in Gallijs in haſtiludio à confractâ haſtâ in aduerſarij pectore ipſe occiditur; aſſulæ enim haſtę per caſſidis bucellam in os inflexa ipſi lethale vulnus inflixit die 23. Nouembris.

ANNO CHR. 1471.

EDVARDVS Rex Angliæ, ope Caroli Burgundi in Angliam redit, aſcitiſque ſocijs Londinum iterum occupat, & *Henricum* Regem iterum in carcerem compingit. Prælio etiam difficili ipſo die Paſchatos 14. Aprilis cum Comite Varuicenſe congreſſus vincit, Comitemque decem millibus hominum occidit. Paulò poſt Regina *Henrici* Regis capti vxor bellum inſtaurat, ſed ipſa cum filio capitur: Cùm exercitus cæſus eſſet, filius *Eduardus* occiditur, ipſa ab Andegauenſi redempta in Gallias redit. *Polyd.*

Digitized by Google

ANNO CHR. 1475.

LVDOVICVS Lucenburgenſis, Comeſtabilis Regis Galliæ, quòd contrà Regem quędam molitus erat, capite truncatur Lutetiæ, die 19. Decembris. *Annal. Flandr.*

ANNO CHR. 1476.

GALEATIVS MARIA SFORTIA Dux Mediolanenſis, ob eius tyrannidem, à coniuratis in Eccleſiâ S. Stephani die 26. Decembris trucidatur, cùm illi ex temerarij ludimagiſtri ſermonibus eâ opinione imbuti eſſent, immortale nomen ſibi parituros, ſi patriam Galeatij tyrannide liberarent. Animo adeò alacri extitiſſe in tormentis *Olliatum* ex coniuratis vnum fertur, vt cùm à carnifice laceraretur has voces emiſerit: *Collige te, Hieronyme, ſtabit vetus memoria facti: mors acerba, fama perpetua*. Infeliciſſimus prorſus homo, qui pertinaciam conſtantiæ genus eſſe putauerit, neque admiſſum ſacrilegium, & homicidium defleuerit, ac priuatâ authoritate tyrannum interimere licitum, & glorioſum putauerit, atque inanis gloriolæ vmbrâ deluſus veram ſanctorum gloriam non ſit conſectatus. Eo occiſo commotæ ſunt in Liguriâ aliquæ diſſenſiones, cùm nonnulli contenderent, rempublicam Genuenſem, excuſſo Mediolanenſi iugo, priſtinæ reſtituendam libertati: ſed ea factio, cùm ſectatorum multitudine non polleret, diſſipata eſt, ac *Ioannes Galeatius* puer parentis necati principatum retinuit, Regiæ procuratore *Cicco Calabro*, qui ex humili conditione, ob eximiam ſolertiam fuerat ſummam conſecutus potentiam. Is, vt *Galeatio* imperium conſeruaret, ipſius patruos in exilium pepulit: verùm poſteà *Ludouicus* Mediolanum reuocatus à populo, fallaci rerum humanarum viciſſitudine illum capite plecti iuſſit, remque adminiſtrandam ſuſcepit. *Odoricus Raynald. ex Stephano Infiſſura*.

Digitized by Google

ANNO CHR. 1477.

CAROLVS AVDAX, ſeu *bellator*, Burgundiæ Dux potentiſſimus, *Caroli V.* Imperatoris proauus, poſt varia bella intra octennium plerumque feliciter à ſe geſta cùm *Renato* Lotharingio, commeatum Nanceis obſeſſis adducenti cum magnis copijs, cedere nollet ab obſidione, prælium committit die 5. Ianuarij, vbi inopinantibus omnibus cadit, cadauer ſequenti die ex glacie erutum agnitum eſt, & ſepultum, cùm annos 9. menſes ſex præfuiſſet; ſuccedit ipſi filia vnica *Maria*, quæ præeſt annis 5. Mortuo verò *Carolo* ingentes ſeditiones in vrbibus exoriuntur: ſæuitumque in Senatum, & Optimates, vt Gandaui, & alibi. Hic fuit exitus gloriæ Ducum Burgundiæ, quorum hic *Carolus* fuit poſtremus. *Antiq. Taxand.*

ANNO CHR. 1478.

NEfaria in *Mediceos* coniuratio, hoc anno excitatur, cuius hæc fuêre exordia: Extant Florentiæ duæ familiæ ceteris longè potentiores, altera Pazzorum, ſiue Pactiorum, Mediceorum altera, quæ induſtriâ Coſmi ſapientiſſimi ciuis in tantam creuerit auctoritatem, vt non ſolùm Florentina Reſpublica ab eius nutu penderet, verùm etiam ingens eius eſſet per vniuerſam Italiam conſideratio. Filium *Coſmus* reliquit *Petrum*, qui licet non parenti æquandus, gratiam tamen in ſuâ Republicâ retinuit, nec diù ſuperſtes duos reliquit filios *Laurentium*, & *Iulianum*, quorum pariter hoc tempore arbitrio Reſpublica adminiſtrabatur. Iniectâ, vt fit inter has familias æmulatione, plures aut amore Pactiorum, aut odio Mediceorum, in coniurationem nomina dederunt. Verùm cùm difficile videretur vtrumque fratrem vnâ repertos adoriri, quò commodiùs id fieret, ſimul vt coniurati tutiùs in vnum aliquâ occaſione conuenire poſſent, *Raphaelem Riarium* Hieronymi ſororis filium Piſis per id temporis iuri Pontificio operam dantem, quem ad finem anni 1477. Sixtus IV. Diaconum Cardinalem S. Georgij renunciauerat, & inter nepotes adnumerauerat, placuit per cauſam vi-

viſendę vrbis Florentiæ, & relaxandi animi gratiâ Florentiam deduci, adoleſcentem coniurationis penitus ignarum, ſed cuius obſequij causâ & coniurati ſine ſuſpicione coirent,& fratres Medicei ad eum honorandum facilè conuenirent. Rebus igitur omnibus diſpoſitis poſt ſæpiùs fruſtrà & in occurſibus, & in conuiuijs quæſitam occaſionem, demùm in maiori Eccleſiâ S. Reparatæ, dum in præſentiâ Cardinalis ſacro die Dominico Miſſa ſolemniter celebranda foret, conſtitutum eſt ſcelus ad certum Miſſæ verſum committere. *Franciſcus Saluiatus* interim Archiepiſcopus Piſanus cum ſuis clam armatis templo deſcendens in Curiam, vt Cæſarem vexilliferum alloquatur alio ſimulato negotio proficiſcitur, eo tamen conſilio, vt ortâ cæde in templo, ipſe præſto eſſet, qui Curiam ſimul cum Magiſtratibus inuaderet. Igitur dato ſigno cùm Euchariſtia attolleretur, *Bernardus Bandinus* primus *Iulianum* Laurentij fratrem confodit, *Antonius Volaterranus*, qui primas ſibi partes depopoſcerat odio ductus veteris in Volaterranos iniuriæ *Laurentium* ex aliâ parte aggreditur poſt tergum, paulolumque intra iugulum ferit, cùm ille ſtatim ad clamorem conuerſus ictum vitaret, ac iterare vulnus volentem properè ſubterfugit in ædis ſacrarium proximum, vbi à ſuorum multitudine exceptus, ac ſeruatus eſt. Famâ interim eum eſſe viuum peruagante, animus Laurentianis additur: coniurati alij aliò diffugiunt præter *Iacobum Pactium* equitem, qui equo vrbem percurrens ad libertatem populum excitabat, cùmque neminem proſequentem videret: protinus egreſſus portâ Fauentinâ fugam arripuit, Legatus è templo à ciuibus in Curiam ductus, ac cuſtodiæ traditus,tum pro viri dignitate tractatus eſt. Intereà *Saluiatus*, qui cum vexillifero de induſtriâ ſermonem protrahebat, vt finem expectaret, ſtatim comprehenſus, & ipſe eodem die cum omnibus ſuis ſontibus, & inſontibus ſimul, & *Franciſco Pactio*, *Iacobo Saluiato*, ac *Iacobo* Poggij filio, qui & ipſi inter coniuratos erant, ad Curiæ feneſtras ſuſpenſus fuit. Magna Pactiorum pars varijs mortibus, atque ſupplicijs ſublata, opes direptæ, cadauera tracta, populus ne quicquam ab eis ad recuperandam libertatem inuitatus, cùm diuturno vſu ita deli-

nitus eſſet, vt libertatis pretium libertate cariùs, potiuſque haberet in ſtudio, & obſequio Laurentij ita quieuit, vt etiam ei inpoſterum ſatellites ad corpus cuſtodiam tributi ſint. Tantum abfuit, vt ob eam coniurationem depreſſa ſit Mediceorum familia, vt potius maiori, quam antea exiſtimatione atque authoritate floruerit; nã & *Iuliano* cæſo natus eſt filius poſthumus nomine *Iulius* qui ſummũ Pontificatum adeptus *Clementis VII.* nomen geſſit, auxitque familiam, vt exulem in Florentino Principatu conſtabiliret. Tragœdiam hanc deſcripſit *Angelus Politianus* ſummæ doctrinæ vir, qui cunctos eius actus ſpectauit, peculiari commentario; ex quo & alijs varijs Auctoribus eandem *Michael Brutus* in Hiſtoriâ Florentiâ copioſiſſimè eſt proſecutus. *Maffæus Volaterranus, Onufr., Odoricus Raynaldus, Ciaconius, & alij.*

ANNO CHR. 1480.

EDVARDVS fratrem ſuum Clarentiæ Ducem, quòd contrà voluntatem *Eduardi* Carolo auxiliùm ferre voluiſſet, crudeliter interficit: in Maluatici vini enim dolio viuus extinguitur, & poſt capite truncatur. *Gangu.*

ANNO CHR. 1482.

MARIA Maximiliani Imperatoris coniux, & Caroli V. Imperatoris auia, venandi ſtudio egreſſa, ex equo ferociente deijcitur, & cum fracto femore omnem tractationem loci affecti per verecundiam refugeret, poſt aliquot dies obijt, anno quinto poſt triſtem Patris *Caroli* interitum, de quo ſupra. Succedit ipſi filius *Philippus*, puer nondum quinque annos natus, qui præeſt annis 24. Tutor interim eſt pater Maximilianus. *Sigf.*

ANNO CHR. 1483.

PRINCIPES Portugalliæ contrà Regem *Ioannem* conſpirant, quâ conſpiratione detectâ *Brigantinus* Dux capitis damnatur die 22. Iunij; reliqui vel eundem exitum habent, vel

in

in exilium eijciuntur, nihilominus tamen alia conſpiratio initur à quibuſdam in cędem Regis, quæ detegitur die 22. Auguſti, & authores capite plectuntur, quidam fugâ elabuntur. *Marian.*

ANNO CHR. 1485.

IACOBVS Perſarum Rex, cùm annis ſeptem ferè regnaſſet, vxor ipſi ex balneo exeunti offert venenum in auro poculo, iubet quidem vxorem prębibere, dat etiam filio, ſed ipſe reliquum exhaurit, atque ita ſimul omnes extinguuntur. Succedit ipſi *Iulauerus*, qui triennium præfuit. *Bizar.*

HENRICVS Comes Richemontiæ ex familiâ Canceſtriâ, gener *Eduardi IV.* Regis Angliæ, profugus metu *Richardi* Regis, reuocatus à quibuſdam, ideò impetrat modica auxilia à *Carolo VIII.* Gallię Rege, & ex Sequanę oſtio Calendis Auguſti ſoluit, & in Angliam ſeptimâ die venit, milites & amicos contrahit, & die 24. Auguſti cum *Richardo* pugnat, eum vincit, & trucidat, cùm *Richardus* tantùm duobus annis regnaſſet. *Polyd.*

ANNO CHR. 1487.

ROBERTVS SANSEVERINVS Comes Calatiæ, filius Leonetti, ex matre nepos fuit *Franciſci Sfortiæ* Ducis Mediolani, ſub cuius militari diſciplinâ inſtructus, inter præſtantiſſimos militiæ Duces nomen obtinuit. Eiuſdem patrui nutu Neapolim profectus, *Ferrandum* Regem à rebellionibus ſubditorum ſubleuauit. Pluribus indè elapſis annis, mortuo *Galeatio* Duce Mediolanenſi, qui *Franciſco* ſucceſſerat, Ducatus regimen pro Galeatio Iuniore, Duciſſa *Bona* mater eius ſuſcepit, quæ tamen cum Roberto diſſentiens, eum è toto dominio expulit; is ad Genuenſes, qui tunc Mediolanenſium iugum iam excuſſerãt, confugiens, populari conſenſu Ductor exercitus eligitur, quàm cùm in ipſius Duciſſę BonæGentes, denuò Genuam ſubiugare tentantes, dirigiſſet, poſt ſæuum certamen, eas denique fugam arripere coegit. Inſtantibus poſteà *Sixto IV.* Pontifice, & *Ferrando* Rege Neapolis, in Florentinos irruit, eorumque

que territorium plurimum deuaſtauit: & dum magis magiſque geſtorum ſuorum fama percrebeſcebat, vniuerſali applauſu à cunctis Italiæ Principibus Generaliſſimus conſtituitur. Quare *Innocentius Papa* VIII. in *Ferrandum* Regem Neapolis annuum cenſum Eccleſię ſoluere denegantem *Robertum* miſit, qui in Apuliâ regijs armis debellatis, ipſum Regem tandem ad Pontificis obedientiam, nec non ad debiti ſolutionem conſtrinxit. Cùm autem *Sigiſmundus Auſtriacus* Veneti dominij quamplura loca occupaſſet, ad cuius reprimendum progreſſum *Robertus* mittitur, cum quo ad certamen deueniens, victor extitit admirabilis, & quidquid ille expugnauerat, feliciter recuperauit. Vlterius indè cum victricibus armis progrediens, Tridentinam Ciuitatem inuadere tentauit, ſed dum prælium cum aduerſario ad Calianum committitur, & ipſe ad glorioſam victoriam ſtrenuitatis ſuæ exemplo milites incitabat, à pugnantium furore ad Adigis fluuium impulſus, ibi demerſus, & vitam, & pugnam compleuit ætatis ſuæ ann. 70.

ANNO CHR. 1480.

IACOBVS III. Rex Scotiæ à ſuis Baronibus in prælio propter tyrannidem trucidatur menſe Iunio cùm annos 28. regnaſſet; ſuccedit filius *Iacobus IV.* die 25. Iunij adoleſcens 15. annorum, qui regnauit annos 25. *Buch.*

ANNO CHR. 1490.

MATTHIAS Rex Hungarię, Turcarum terror appellatus, hoc anno ſublatus veneno creditur, cuius meminit *Stephanus Infiſſura*, dum ait veneficum illum, qui à Baiazethe ad Pontificem Gememque interimendos ſubmiſſus fuerat, inter alios ſceleris ſocios quendam apoſtatam accuſaſſe: qui à Baiazethe corruptus Hungarię Regi Turcicum bellum paranti venenum prębuiſſet: *Fertur* inquit, *eius dolo Regem Hungariæ in die Mercurij in hebdomada ſanctâ proximè præterita veneno morte repentina eſſe necatum, & interijſſe.* Ipſum præ vi morbi nihil loqui potuiſſe, ſed altiſſimis tantùm ſuſpirijs nomen Ieſu exclamaſ-

maſſe, tertio demùm die refert Boinfinius: *Cùm raucos*, inquit, *ſemper gemitus emiſiſſet, variaque ingenitæ pœnitentiæ indicia (veluti diuinam veniam imploraret) edidiſſet, è profluuio demùm capitis animam efflauit*, & infra: *Princeps inuictiſſimus anno ſalutis nonageſimo ſupra milleſimum, & quadringenteſimum nonis Aprilis, & die martis, ætatis autem anno* 47. *cum perpetuo ſui deſiderio diem obijt*. Plura fuiſſe illius mortis conſpecta præſaga prodigia, ac Leones qui Budę erant, eodem, quo ille die interijſſe obſeruat auctor. Hæc omnia refert *Odoricus Raynaldus*. Non deſunt tamen qui aſſerunt illum apoplexiâ percuſſum obijſſe.

ALPHONSVS Portugallię Regis filius nubit cum Iſabellâ filiâ *Ferdinandi* Caſtellæ Regis, ſed paucis poſt diebus equo ferociente opprimitur, & vidua ad parentem remittitur. *Marian*.

ANNO CHR. 1494.

GEMES, ſeu *Zizimus* Mahumetis II. filius, & Baiazethis II. Turcarum Regis frater, à quo triplici prælio victus, deſperatis rebus ſuis in Rhodum profugit: ſeque magno equitatu Rhodiorum Magiſtro, qui tunc erat *Petrus Albuſſonius* Gallus, tradidit. Agebat tunc ætatis annum 28. Id vbi Baiazethes accepiſſet, ampliſſimis magnum Magiſtrum, eiuſque conſiliarios muneribus demulcens, vti diligenter aduerſaretur, petijt: ſimul ad eius alimenta ſe quadraginta millia ducatorum ſingulis annis quam quidem diu frater ſuperſtes futurus eſſet, numeraturum promiſit: pacem denique cum Chriſtianis perpetuam culturum ſpopondit. Accepit eas conditiones magnus Magiſter, quas quidem bonâ fide *Baiazethes* impleuit. *Gemes* verò tum plenioris ſecuritatis causâ, tum vti Baiazethes tantò magis in metu perpetuo contineretur, in Galliam fuit abductus: vbi diu vixit in quadam Rhodiorum equitum arce, cui nomen *Burgonouo*. Deductum indè Romam fuit ad *Innocentium* eius nominis octauum Pontificem. Ibi quamdiu vixit *Innocentius*, ac poſt mortem illius ſub *Alexandri* VI. Pontificatu, manſit: donec occupaturus regnum Neapolitanum *Carolus* VIII. Galliæ Rex, Romam veniſſet.

ſet. Nam is *Gemem* ab Alexandro impetrauit, vſurus eo, quemadmodum quidem aiebat ad recuperandum Imperium Conſtantinopolitanum. *Gemi* autem venenum lentum fuiſſe propinatum, traditur, quo certum ad terminum paulatim confectus expiraret. Itaque poſt aliquot dies Terracinam perductus, ibidem rebus humanis exceſſit. *Ioan. Leunclau. Ann. Turc. Panuin. Raynal.*

ANNO CHR. 1496.

CAMILLVS VITELLIVS filius Nicolai Ciuitatis Tiferni Dominus, cùm celebris in armis (Duce Virginio Vrſino) euaſiſſet, à *Carolo* VIII. Rege Francorum inuitatur, & in militaribus expeditionibus tam glorioſum ſe reddidit, vt ab eodem equitem creari promeruerit, immò percrebreſcentibus meritis, honores pariter et dignitates ipſi auctæ ſunt. Exindè in Apuliâ contrà Aragonenſes militans, ſui bellicoſi animi, præcipuè in expugnatione Lucerę egregia ſigna monſtrauit, itaut decertando, dum proprius equus ſubtus ſe hoſtili vulnere occiditur, ipſe pedeſter, peditum Germanorum turmas profligaret, & cùm Aquitanos milites remiſsè pugnare vidiſſet, ſtatim ex equis deſcendere iuſſit, & dum ad glorioſum certamen hortatur, ſcalâ proprijs manibus arreptâ ad murum aſcenſurus, repentè ingens lapis è culmine immittitur, ſub cuius pondere ingemuit, & inter floridos annos animam exalauit.

ANNO CHR. 1507.

CÆSAR BORGIA, cognomento *Valentinus* Romanus, quē in minori fortunâ ſuſceperat *Rodericus* pater, ex *Vannotia* Romanâ, quam à formæ venuſtate, & morum illecebris, mirâque demùm fœcunditate legitimę propè vxoris loco habuiſſe fama eſt. Vigebat adoleſcente in Cæſare peracutum, & erectum ingenium, proptereaque miſſus fuerat Piſas, vt in Gymnaſio iuri ciuili operam daret. Sed vbi pater Pontifex eſt renunciatus, in vrbem properè redijt, galerique purpurei dignitate collatâ in Senatum cooptatus eſt; quem honorem poſtea faſtidiuit, atque reic-

Digitized by Google

reiecit, cùm ad firmiores opes, magnaque imperia effreni libidine raperetur. Primum omnium permutati ingenij, & fluxæ fidei documentum præbuit (ſi *Iouio* credimus) cùm à *Carolo* VIII. Gallorum Rege Neapolim contendente cui à patre Pontifice Legati ſpecie, comes & obſes datus fuerat, è Velitris Romam profugiſſet. Exindè armorum ſtudio teneri, contemnere galeri decus, & *Ioanni* fratri Gandię Duci inuidere cœpit, eò quidem inſanæ æmulationis exitu, vt ipſo fratre quo cum hilariter apud matrem cœnarat, iugulato, proiectoque in Tyberim, ſe totum à Senatorio ordine abdicatâ purpurâ, & deſumpto militari ſago, ad arma transferret, & Pontificijs copijs pręficeretur. Itaque ſublato Principatus ęmulo, quod ita ad explendas cupiditates expediret, Gallis ſe coniunxit, fecitque ſponſalia cum *Carlota* Alabretæ familiæ regij ſanguinis puella, apud Aquitanos pernobili. Hinc magnæ partis Italię dominatum affectare cœpit, vſque adeò dirâ cupiditate, vt in vexillis hunc titulum pręferret: *Aut Cęſar, aut nihil*, quaſi nihil animo mediocre, ſed immoderata, & longè maxima cupere videri vellet.

Ante omnia vt *Iouius* refert, Proceres Romanos *Columnios*, & *Vrſinos* tollere conſtituit, poſtquam inter eos bellum aliquandiu fruſtra abluiſſet, vt vtraque pars mutuo ferro concideretur: nam illi poſt id ciuile bellum, Borgię artibus intellectis, ſe ſe pace factâ conciliarant. Columnij nihil ſibi fugâ, ex exilioque potius rati, paterna oppida Borgiæ reliquerunt: Vrſini ſtipendijs allecti, ad vnum ferè omnes teterrimo ſupplicio necati ſunt: Baptiſta Cardinali in Mole Hadriani gentilium ſuorum necem præeunte, cum *Vitelocius Thiphernas*, & *Liberottus Firmanus* ad Senogalliam, in agro autem Peruſino *Paulus Vrſinus* Latini Cardinalis filius, & *Franciſcus Vrſinus* Grauinæ Princeps eandem necis ſortem tuliſſent. *Caietanæ* quoque familię Proceres, qui Sermonetam oppidum in Latio iuxtà Priuernum obtinebant, *Iacobus Nicolaus*, & *Bernardinus* alio, atque alio modo interfecti, arces, & opes Borgiæ conceſſerunt. *Camertes* quoque *Principes* antiquæ nobilitatis *Iulius Cæſar, Venantius, Annibal*, & *Pyrrhus* principatu exuti, ſtrangulatique ſunt. *Aſtorem Manfredum* Fa-

Digitized by Google

uentiæ Principem ſub fide deditum, necatumque immaniter Tybris excepit. *Catharina Sfortia* Hieronymi Riarij quondam vxor, conſtantiſſimi animi fœmina, quę Foroliuij, & Forocornelij vrbibus imperabat, expugnata tormentis, captaque Romam tanquam ad triumphum perducta eſt. *Pandulphus* porrò *Malateſta, Ioanneſque Sfortia*, & *Guido Vbaldus Feltrius* ipſorum ditionum vrbes, Ariminum, Piſaurum, & Vrbinum inuadenti relinquere, quàm interfici arreptâ fugâ maluerunt: ceſſit Cæſari *Iacobus Appianus* oppidum Populonium in Hetruriâ, ſed dum haccruentâ viâ in alienos Principatus graſſaretur, etiam Arragonium adoleſcentem Biſelij Principem, ac Alphonſi Regis filium, & Lucretię ſororis ſuæ maritum in atrio Vaticani templi vulneratum, & quoniam ſpes eſſet curari poſſe, in ipſo cubiculo, lectoque nuptiali ſororis mactari iuſſit. *Borgiam* quoque iuniorem Cardinalem, quòd Candiano faueret, veneno ſuſtulerat: *Ioannem* demùm *Cerbellionem* virum domi, militiæque nobilem, quòd pudorem in fœminâ Borgię domus cuſtodiret, noctu à cœnâ redeuntem crudeliter interfecit. Ab eo quoque capitali ſupplicio affectus eſt *Iacob Sanctacrucius* pręclaræ nobilitatis Romanus Ciuis, quo nemo ipſi Cæſari amicior, & familiarior fuit, nec aliam ob cauſam, quam quòd validam promptiſſimorum hominum manum ex factione Vrſinâ ſubitò cogere, & ad omne audendum facinus impellere poſſet. Sed Italicæ nobilitatis ſtirpes excindenti, affectantique regnum Italiæ, non diù fortuna arriſit, & Borgianæ felicitatis oſtenta momento diſſipata fuerunt, extincto decimâ octauâ die Auguſti *Alexandro* anno 1503. Quâ in re vltorem adfuiſſe Deum affirmat *Petrus* Cardinalis *Bembus*, traditque à Cæſare Borgiâ vinum toxico mixtum paratum fuiſſe ad *Adrianum Cornetanum* Cardinalem Pontifici ſummâ familiaritate coniunctum è medio tollendum, vt eius ampliſſimas opes inuaderet; ſed pocillatoris errore, atque vltrice diuini Numinis vi ſitienti Pontifici, & *Cæſari Borgiæ* propinatum. Hiſque conſentanea plurimi ſcriptores tradunt; adeò ut etiam *Alexandrum* repentè extinctum, & eodem die eius cadauer ex Vaticano rure in palatium relatum ſcribat *Guicciardinus*,

ad-

addatque etiam *Panuinus*, illum mirabili Dei prouidentiâ extinctum, ne conſilia nefaria de opulentiſſimis Cardinalibus veneno interimendis ad inexplebilem filij cupiditatem eorum opibus explendam ad exitum perduceret. Ex diarijs verò manuſcriptis, *Alexandrum* alio morbo obijſſe affirmatur. Conſtans tamen fama eſt *Cæſarem Borgiam* incluſum mulę recens exenteratę vtero, venenum aliquo modo diſſipaſſe.

Poſt Alexandri obitum, *Iulius II.* Pontifex, eum exutum exercitu, in arce ſub cuſtodiâ tenuit, quo admiſſis teſſeris arx Oſtienſis redderetur. Sed *Iulius* hominem vel mille neces meritum, quem in Mole Adriani cuſtodiri iuſſerat, eâ pactione dimiſit, vt togatæ Galliæ arces reciperet. Elapſus itaque *Cæſar* ab Oſtiâ nauigio Neapolim peruenit, vbi à Magno Conſaluo iuſſu Regis comprehenſus eſt, atque in Hiſpaniam deuectus, ne vir bellicoſus, cùm ad eum magnus militum concurſus fieret, recentis in Italiâ partæ pacis tranquillitatem perturbaret. Ad extremum *Cæſar* poſt tertium annum deceptis cuſtodibus è Medinæ arce, funibus ſe deiecit, ſuppeditante equos *Pigmentellio* Beneuentano Principe, ad *Ioannem* Nauarræ, ſeù vt alij volunt, ad *Ioannem* Cantabriæ Regem confugit. Is tum cum *Alarino* Regulo, qui à fide defecerat, bellum gerebat; in eo armorum motu cùm egregiam operam Regi nauaret, confertâ ad Mendauiam pugnâ, ignitâ glande lęſus occubuit eo euentu, vt nequaquam agnitus detractis armis nudus relinqueretur. Sed ſcutifer eius cadauer equi ceruicibus impoſitum Pampelonem retulit, haud dubiè rapiente fato ad eam vrbem, cuius Antiſtes antea fuerat. Occubuit anno reparatę ſalutis 1507. die 12. Martij in Diœceſi Pampelonenſi eâ ipſâ die, quo Epiſcopatus illius poſſeſſionem inierat, nempe magni Gregorij feſto: cadauer relatum Pampelonem ſepulturam habuit, cuius ſarcophago appendêre Poetæ latini carmina plura, videlicet:

Aut nihil, aut Cæſar vult dici BORGIA quid ni?
Cùm ſimul & Cæſar poſſit & eſſe nihil,

Seu

Omnia vincebas, ſperabas omnia Cæſar;

Omnia deficiunt: incipis eſſe nihil.

Clarius illius qui Poeta Hiſpanus eidem hiſpanicâ linguâ aliud inſcripſit Epitaphium.

A qui yaze en poca tierra
El que toda la temia
En eſto vulto ſe encierra
El que la paz, y la guerra
En ſu mano lo tenia.
O tu que vas à mirar
Coſas dignas de notar,
Si lo maior es mas digno
A qui aca bas tu camino
De à qui ti puedes tornar.

Eidem *Andreas Angulius* aliud inſcripſit Epitaphium.

Heu quantum fuerat ſatius Dux maxime Cæſar
Borgia, tam claris Romæ natalibus ortus
Hiſpano patre, magnarum puer indole fulgens
Virtutum, & iuuenis donatus honore Galeri
Purpurei, nunquam tam fœde inſignia tanta
Tu deſpexiſſes; regnandi dira cupido
Inuaſit cùm te rorantem ſanguine Fratris,
Vel ſaltem eſt animum aggreſſus cùm bellicus ardor
Ille tuum priſcos quo æquaſti Marte Quirites,
Totque Duces, validaſque acies, totque oppida, & vrbes
Viciſti, indutus mentemque animumque tyranni
Aut nihil, aut Cæſar demens iactare ſolebas
Debueras pro fama æterna, pro laude perenni
Prælia tractare, vt Romę celeberrimus olim
Mos fuit, at non illa inhians & ſanguine, & auro
Exercere, domo Dominoſque expellere auita,
Totque horrenda animo committere funera ſæuo,
Quę pudor Hiſpano me ortum Genitore, Quirini
Inque vrbe, & tectis hiſdem tam fœda referre
Nunc prohibet; ſacri cum ſpreti iniuria honoris
Magna olim edocuit mortales ſatque ſuperque,

Can-

Cantabriȩ miſer vt cecidiſti inglorius agris.

Eidem *Sannazarius* aliud inſcripſit Epitaphium, videlicet:

Qui modò proſtratos iactarat cornibus Vrſos
In latebras Taurus concitus ecce fugit.
Nec latebras putat eſſe ſatis ſibi; Tybride toto
Cingitur, & notis vix benè fidit aquis.
Terruerat montes mugitibus; obuia nunc eſt,
Et facilis cui vis prȩda ſinè arte capi.
Sed tamen id magnum, nuper potuiſſe vel Vrſos
Sternere, nunc omnes poſſe timere feras.
Nec tibi Roma nouȩ deſint ſpectacula pompȩ,
Amphitheatrales reddit arena iocos.

Vnicam filiam reliquit penes matrem atque auunculum Vaſconum Ducem *Cæſar*, de quo plurimi ſcriptores agunt, inter quos *Ciaconius*, *Paulus Iouius*, *Andreas Victorellus*, *Raynaldus*, *Garimbertus*, *Spondanus*, *Bzouius*, *Guicciardinus*, *Panuinus*, *Mariana*, & alij qui graphicè eius vitam ſcripſerunt.

ANNO CHR. 1512.

BAIAZETHES II. Turcarum Rex X. & II. Imperator Orientis, cùm patrem Mahumetem mortuum eſſe nunciaretur, atque ipſe tum eſſet in Cappadociâ, ab ipſo ſperati imperij limine, à Prȩtorianis concitatis, penè excluſus eſt. *Corcutho* nepote in regiam ſedem ſublato. Sed non multò poſt, cùm ipſa pueri imbecillitas, tum obortus indè iuſtus pudor, imperium auo debitum, & ereptum Prætorianis largitione pacatis facilè reddiderunt, eoque facilius, quòd *Gemes* Baiazethis frater ad imperium adſpirans, comparatis copijs aduentaret. Verùm fortuna Gemem tribus victum prælijs ita perculit, vt Rhodum confugere cogeretur, captuſque ibi Romano Pontifici cuſtodiendus Romam duceretur, vt ſupra diximus ad annum 1494. Exindè *Baiazethes* inteſtino bello liberatus, more maiorum in Chriſtianos arma conuertit, quorum impetu ferè perpetuo Valachos ad Iſtri oſtia adempto Moncaſtro multis incomodis afflixit, ingentique pugnâ editâ Illyriorum Pannoniorumque & Croatorum

co-

copias pro communi ſalute in vnum coeuntes, apertiſque in campis contendere auſas per Cadumbaſſam Eunuchum non longè à Sauo trucidauit; neque vſquam præterquam ad Tarſum vincentibus egregiè Mamaluchis, aduerſam belli fortunam expertus eſt. Exorto demùm Veneto bello non terreſtri modò, ſed nauali apparatu patre validior, ita irrupit, vt *Schenderbaſſa* luctuoſâ incurſione, vltra Tiliauentum in Euganeos penetraret, Et *Deuthes* præfectus claſſem Venetam *Grimano* Duce ad Sporadas inſulas in fugam conijceret, & Venetas opes exoleſcente eorum diſciplinâ ſibi inpoſterum mari contemnendas oſtenderet, cùm anno ſequenti Barbarus ipſe audacior factus Peloponneſum intrans, expugnatâ fortiter Methone, & ad eundem victoriæ terrorem, Corone, Pilo, Criſſeo, Naupactoque in deditionem acceptis, paulò ante occupato Dyrrachio terrâ, marique victor euaſiſſet. Sed Hiſpaniæ, Galliæque Regibus in publicâ religionis causâ Veneto opem ferentibus, eâ conditione pax à *Baiazethe* impetrata eſt, vt receptâ dudum Cephalæniâ, Venetæ vti antea fuerat, eſſet ditionis, & Leucas, Nerytuſque inſula quam Piſaurius Venetus nauiter expugnarat, Turcis redderetur. Eius autem conciliandæpacis *Grittus* author eo Barbarum faciliùs perſuaſit, quoniam in Perſide *Hyſmael Sophus* ex progenie Vſumcaſſanis ſe ſe Regem effecerat, inuectâ nouæ religionis opinione, quam ingenti famâ ſuperſtitioſiſſimi quique earum gentium crudelitate nouæ legis perſuaſi ardentiſſimè ſequerentur, vſque adeò ſuprà religionis cauſam felicibus armis formidoloſus, vt Othomannico imperio hoſtis immineret. Nam eius clientes ſectatoreſque in Cappadociæ fines trahendorum in cauſam populorum nomine penetrarant; binoſque iam Baſſas Caragium, & Halim geminoſque exercitus duobus oppreſſis ducibus occidione deleuerant. Huius belli timor eò Baiazethem ſenem pertulit, vt de ſucceſſore deligendo cogitaret, ſuorumque perfidiâ *Selymus* filiorum natu poſtremus, quem paulò ante prælio ſuperatum parricidam appellarat, fraude & dolis patre eiecto Conſtantinopolitano imperio potiretur, & ſenem patrem vir ſæuus, atque impius exutum regno, veneno tolli iuberet, an-
no

no ætatis 74. regni 31. *Baiazethe* & regno,& vitâ ſpoliato,Turcarum imperium inuaſit *Selymus I.* Turcarum Rex vndecimus, & III. Orientis Imperator: quod vt eo rectiùs ſtabiliret, duos fratres, *Corchutem*, & *Achmetem* vnâ cum ipſorum filijs, interfecit: ita vt ex eà ſtirpe Othomannicâ ipſe ſolus ſupereſſet. *Leunclau. Annal.Turc.Iou.Cuſpian.* Ianus Vitalis tale inſcripſit Epitaphium.

Dum rerum exquiris cauſas, & dum procul Hunnos
Carmannos Cilices, Sauromataſque domas,
Baiazethe domi proles tua te petit armis
Et te per fraudes amouet imperio;
Adijcit inde nouum ſceleri ſcelus, & tibi miſcet
Pocula lethiferis illita graminibus.
Intempeſtiuos crudelis vipera fœtus
Per ſua ſic tandem funera, rupta, parit.
Quid tutum eſt cui ſint ingentia regna tyranno,
Si timeat natos, progeniemque ſuam.

GASTO FOISSÆVS Dux Nemorenſis, ab auunculo Rege *Ludouico*, quem oris atque animi indole referebat, in Italiam cum imperio miſſus, tantâ vi, celeritateque ſuâ, atque aliena arma exercuit, vt prius dux quàm miles; ante triumphator quàm acclamatus Imperator extiterit, ſummis profectò nobilioris ſeculi ducibus pręferendus; niſi in ipſo victoriarum curſu adoleſcens plenus gloriâ cecidiſſet. Incredibili namque celeritate ad parandam ei inuſitatam laudem, & immaturum vitæ exitum properantibus fatis,irrumpentes in Inſubrum agros hoſtes Heluetios acerrimè ſuſtinuit, & in patriam repreſſit. Bononiam per lutulenta itinera præduręque hyemis glaciem raptato exercitu, formidoloſâ Hiſpanorum obſidione atque oppugnatione liberauit; igneque rapidior inde digreſſus, Venetas copias ad Atheſim fuſo *Baleono* duce protriuit, atque eodem curſu per arcem Brixiam ingreſſus, prçſidij Veneti, Brixianique populi cruentiſſima ſtrage editâ, rebellantem vrbem recepit, atque diripuit, ſic vt mox tantâ ſubnixus victoriâ rurſus ad Hiſpanos verteretur, vt Rhauennatium campos, inſigni certè

vi-

victoriâ, ſed fatali ſuo interitu nobilitaret. Inflammatus namque immoderato ardore delendi hoſtis, cùm iam planè victor, ſtratis aduerſariorum alis, & legionibus incitato equo cum paucis, recipientes ſe ſe hoſtes perſequeretur, ſub aggere profluentis amniculi confoſſus interijt; eo quidem euentu, vt morte ſuâ ſeruaſſe reliquos hoſtes, & rem Romanam in ſummum adductam diſcrimen, metu, atque periculo liberaſſe, iudicetur. *Pau. Iou.* *Antonius Franciſcus Raynerius* ſequenti elogio eum commendat.

Funera quis memoranda canat, cladem que Rhauennæ
Et tua ſumme ducum facta, obitumque ſimul?
Ingentes cùm tu incedens per corporum aceruos
Iam victor ſtrage concidis in media.
Gallica ſenſere Heſperij, quàm viuida virtus
Senſere, vltrici cùm cecidere manu.
Sic obitu iuuenis Decios imitaris, & armis
Sic geminos belli fulmina Scipiadas.

ANNO CHR. 1513.

IACOBVS IV. Scotiæ Rex, à Gallo incitatus, in Angliam irruit cum ſexaginta millibus militum, & cum Anglis prælio congreditur die 9. Septembris, in quo vincitur, & trucidatur: ceciderunt ferè quindecim millia Scotorum, virorum præſtantiſſimorum. Regnarat *Iacobus* annos 25. ſuccedit *Iacobus V.* filius impuber adhuc, qui regnat annos 29.

ANNO CHR. 1515.

ALADOLVS Rex Tauri montis, à *Selimo* Turcarum Imperatore bello aggreditur, à quo capitur, & occiditur, indè Conſtantinopolim *Selimus* redit, & aliquot Baſſas, & in his generum ſuum occidit, quòd authores viderentur fuiſſe ſeditionis Genizerorum in Natoliâ. Colligamus immanis iam belluæ diritatis inaudita facinora. Primum octo parricidia prorſus enormia, quibus patrem veneno peremit, *Achmeti*, *Corcutique* fratribus duo, & quinque fratrum filijs laqueo fauces eliſit: procerum

rum deindè maximorum cædes, totidem, *Muſtapha baſſæ Vezirazemis Cheudeni* baſſæ, *Ducaginoglis Vezirazemis* baſſæ generi ſui, *Iſcbenderis* itidem baſſæ generi, *Taziſadis Cadileſcheri*, *Balis Gemis Seguanis* baſſę, *Chuſeinis* baſſæ Veziris, & *Ionuzis* baſſę: quæ ſanè omnia quonam moduo Legatus Venetus, *Aloyſius Mocenicus*, vſque adeò eleuare potuerit, vt nihil fuiſſe barbarum in hoc tyranno dicere ſit auſus, *Ioannes Leunclauius* miratur.

ANNO CHR. 1518.

TOMMAMBAIS Alcairi Sultanus, à *Selimo* Turcarum Imperatore bello petitus, & extremâ neceſſitate adactus, vt pacem peteret, inſignem legationem ad Sultanum Selimum miſit. Eam *Selimus* ſanè quam humaniter excepit, ac poſtulatis omnibus adſenſus, non modò Tommambai reſcripſit: verùm etiam ſuos homines ad ipſum viçiſſim ablegauit, qui pacis ei auctores eſſent. Hos ad ſe iuſſu Selimi venientes, Tommambais curauit interfici vniuerſos. Quamobrem ſummoperè commotus Sultanus Selimus, Circaſſos illos omnes, quos in cuſtodiâ detineri præceperat, mox ita iuſſit occidi, neminem vt ſui reliquum facerent. Eâ re patratâ, trans Nilum copias duxit, Tommambaim quæſiturus: quo ille comperto, fugam arripuit. *Selimus* Romanię copijs iniunxit, vt eum à tergo perſequerentur. Sed Arabes, qui & *Æ*tiopes, itineribus fugienti Tommambai pręcluſis, hominem interceperunt, & captum ad *Selimum* perduxerunt. Tandem vndecimo die menſis Aprilis, mandato Sultani Selimi ad portam Baſſuellam vrbis Alcairenſis, vt *Sanſouinus* adnotauit, ſuſpendio necatus fuit, cùm prius ignominiæ causâ laqueo ad collum appenſo, per vrbem mulo inſidens circumductus fuiſſet. Atque hoc modo radicitus extirpatis Circaſſis ac Mamelucis, vniuerſum illud Sultaninum Ægyptiumue regnum ſuo *Selimus* imperio ſubdidit, & in Sangiacatus diuiſit: cùm vrbem Alcairinam *Ionuzi* Baſſæ regendam commiſiſſet. Indè rebus omnibus egregiè conſtitutis, & ordinatis, Alcairo diſceſſit, Gazam rediturus. *Selimus* verò poſt tres annos, cùm maius aduerſus Chriſtianos bellum eſſet ſuſcepturus; canceroſo

renum vlcere verè peſtilenti, apud Chiurlum Thraciæ pagum, morte ſolutus eſt, anno imperij octauo, ætatis 46. *Pyrrho* baſſæ in cuius ſinu atrocem animam exhalabat, *Solymanum* filium commendans, ſeuerèque præcipiens, vt in Chriſtianos tanquam veros hoſtes arma verterentur, neglectis Perſis, quorum inanem ſuperbiam ſatis ipſe contudiſſet. *Iou. Leunclau. Sanſouin. Peucer.*

ANNO CHR. 1520.

IOANNES PAVLVS DE BALLEONIBVS Peruſinus, ſub *Virginij Vrſini* militari diſciplinâ egregiè inſtructus, cùm aduerſus Florentinos, vt *Petrum Mediceum* ad Patriam reſtitueret, commouiſſet arma, ob glorioſa in hoc bello patrata geſta, inuictiſſimi Ducis immortale nomen adeptus eſt. Poſteà verò dum Peruſiæ quaſi totali dominio potitus erat, à *Valentino* Duce, cuius potentię reſiſtere nequibat, fuit expulſus, ſed paulò poſt audaciâ, & armis potentior factus, ipſius Valentini fugato præſidio, Ciuitatem denuò recuperauit, quâ benè munitâ, Ducem *Valentinum* inſectatur, cum quo poſt plura acta certamina, & ſi non victor, victus tamen vnquam cecidit. Indè à Florentinis Dux contrà Piſanos electus, non parum & ciuitatis obſidione, & Terrarum inuaſionibus afflixit. Sed quibuſdam ortis diſſenſionibus cum Florentinis, his relictis, ad *Iulij II.* Pontificis ſtipendium venit, & Duci Vrbinati Pontificij exercitus conductori adiunctus, Romandiolam à Venetis occupatam, iterum Romanę Eccleſiæ ſubiugauit. Tandem aliquot poſt annos Peruſiam reuerſus, dum abſolutum illius dominium ad ſe, ſuoſque tyrannicè transferre conaretur, id ægrè ferens *Leo X.* Romam vocauit, quo accerſitus, prſmium vanæ ambitionis dominandi, iacturâ proprię vitæ meritò accepit.

ANNO CHR. 1522.

MARCVS ANTONIVS COLVMNA, nobiliſſimâ Romani ſanguinis ſtirpe progenitus, *Petri Antonij* Principis Salernitani filius apud Proſperum, & Fabritium patruos Duces illuſtres, tantùm in militiâ profecit, vt veteres æquaret Heroes, ob

ob idque præſertim, quod præclaro inſignium virtutum concurſu, multiplicique optimarum artium eruditione, ad eximium decus ornaretur, vſque adeò conſtanti, vel Ciuium vel externorum ſtudio adamatus & cultus, vt cùm coleretur à ſingulis, cuncti eum in vniuerſum, vel diuerſæ factionis obſeruarent, atque ſuſpicerent, eumque vnum *Iulius* Pontifex tanquam Romanorum Procerum lectiſſimum collocatâ ei in matrimonium *Lucretia* conſobrinæ filiâ, generum ſibi aſciſceret, cum graui iudicio Rouereæ familiæ nomen, ſicuti antea *Felicem* filiam *Iordano Vrſino* collocarat, clariſſimis Romani ſanguinis ſtirpibus inſerendum exiſtimaſſet. *M. Antonius* patre orbatus, quòd in Hetruſco bello apud Alphonſum Aragonium militans perijſſet, patruis celeberrimis Ducibus adhæſit, à quibus certiſſimis militiæ præceptis imbutus fuit. In conflictu propè Eretum cum Vrſinis ſecuto, ſingulares laudes etiam apud hoſtes acquiſiuit. Pro Rege Catholico in *Ludouicum XII.* Francorum Regem in prælijs tum Cotignolæ, tum Glanici fluuij, ac demùm in totius regni recuperatione ſtrenuè militauit. In Florentinorum Ducem electus, Piſanum exercitum debellauit. Deindè *Iulius* Papa III. initâ confœderatione cum Rege Cattholico, alijſque Principibus contrà Regem Chriſtianiſſimum, Columneſium Rauennam tranſmiſit, qui poſtquam eam à Francorum obſidione liberauit, & ad priſtinam tranquillitatem reſtituit; Pontificis ordinatione aduerſus Florentinos arma conuertens, *Lucam Sabellium* Ducem in prælio ſuperauit. Gubernante poſtea Petri nauicula *Leone X.* cum numeroſâ militiâ ad Veronæ, & Brixiæ defenſionem, dum à Venetis contendebantur ſe tranſtulit; quibus Ciuitatibus præſidio benè munitis; cum *Ioanne Manfrone*, *Mercurio Albanenſe*, *& Iacobo de Vicouarijs* Venetorum Ducibus bellum gerit, quibus deuictis, Lignagum aggreditur, & ſubicit, nec minori facilitate arcem Laudenſem à Gallorum præſidio cuſtoditam, expugnat. Indè ab Imperatore ad Vicentiæ obſidionem miſſus, Cæſareo dominio eam feliciter ſubmiſit, & Veronam oppugnatam accurrens, ipſam à Francorum Venetorùmque bellicoſo impetu defendit. Fœdere tamen inter hos Potentatus concluſo, Rex

 Chri-

Chriſtianiſſimus inuictam Columneſij virtutem pro ſe experiri deſiderans, quo libenti animo, at non pari fortunâ, excepto, ad Mediolani obſidionem primam impendit operam, ſed dum ſummo ardore ad illius expugnationem inuigilat, repentè à manu hoſtili ingentis Colubrinæ pilâ ictus, & ſibi vitam, & Regi victoriam inuolauit, cùm nondum quinquageſimum ætatis annum attingeret. Eadem etiam pilâ diſcrepto, & ad latus cadente *Camillo*, Triuultij clariſſimi Ducis filio, cùm obequitantes in aggere, hoſtium munitiones inſpicerent. Luxêre eum atrociſſimâ morte ſurreptum ſocij atque hoſtes paribus propè lachrymis, ideòque vberioribus, quòd maſculam prolem quę paternæ virtutis eſſet hæres, nullam reliquiſſet. *Iou.*

ANNO CHR. 1525.

RVſticorum ſeditio grauiſſimè mouetur in Sueuiâ, Winsbergum oppidum capiunt, Comitem *Ludouicum Helfeſtein* inſpectante vxore, & liberis, haſtis proiectus obijciunt, & confodiunt: ſic alij alibi nobiles pellunt, cœnobia ſpoliant, & omnia vaſtant. Sed in Sueuiâ victi, qui Dux ſeditioſorum fuerat captus; & laxè ad palum alligatus, vt diſcurrere poſſet, compoſito igne crudeliſſimè toſtus eſt, adeò vt viuo carnes toſtę pedibus deciderent, ſic alibi etiam plurimi trucidati ſunt. *Sleidanus* ad quinquaginta millia ruſticos cæſos eſſe autumat.

ANNO CHR. 1526.

IOANNES MEDICES, iuueniles adhuc traducens annos, nondum coætaneis, ſed veteranis quidem Ducibus ſe parem fecit in armis. Huius inuictiſſimi Hęrois prima militia aduerſus *Franciſcum Mariam* Ducem Vrbinatem cœpit inſæuire; quænam præcipuè ſtrenuitatis ſuæ geſta in hoc bello enituerint, ſatis memoria teſtata reliquit. Confœderatione poſteà factâ inter *Leonem X.* Pontificem, Imperatorem, alioſque Potentatus, à Francorum vexatione Italiam liberandi cauſa: *Ioannes* iuſſu Pontificis pro Confœderatis arma arripiens, eſt incredibile dictu, quæ ſibi laudum præconia, & illis victorias reportaret. Ad Binem

nem aſperam quidem commiſit pugnam, hoſtium non paucâ occiſorum copiâ, nec minori animi pręſtantiâ ſe geſſit, vt Locumtenenti ſuæ militiæ ſuccurreret; dum pauciſſimis equitibus copioſum inimicorum numerum fugauit, totamque prędam deſerere coegit: ſic etiam pari conſtantiâ, Italis militibus opem laturus, cum paucis de ſuis profundum Abduæ flumen intrepidè traiecit, & ſub Francorum oculis aggreſſores diſperſit. Pontifice ad Cœlum euolato, ad *Franciſcum Sfortiam* Ducem Mediolanenſem pergit, & quot illo tempore adfuêre certamina, tot pariter, Duce *Ioanne* Mediolanenſes decantauêre victorias; pręſertim verò quando Heluetijs ac Friſonibus cum Rege Galliæ in Sfortiam Confœderatis tam audacter apud Bergomum ſe oppoſuit, vt maximâ confuſione eos retrogredi coegerit, eodemque tempore pluribus Ciuitatibus occupatis à Franchis, potitus eſt. Denique ſic inſignibus refertus victorijs, ſic immortalibus decoratus triumphis, dum aliâ vice propè Mantuanam Ciuitatem mirificè dimicabat, inexpectato ſclopi ictu, genu grauiter percutitur, quo vulnere ad extrema deueniens, Mantuam ſemiuiuus translatus, expirauit; pereuntis hercle Italiæ fato potius quàm ſuo, cùm vigintiſeptem natus annos iam planè mitigatâ ardentis animi ferociâ, vti ſedatiora ſecutus conſilia pręter egręgij bellatoris nomen etiam ad maturi iam, & compoſiti Imperatoris famam contendere cenſeretur. Tunc milites ad tanti Ducis męrorem præſignandum, luctuoſis indumentis loricati, Milites de nigris balteis vocabantur. *Iou. Antonius Franciſcus Rainerius* ſequens de eo Elogium ſcripſit.

Quæ tulit Eumenidum immane hoc imitabile fulmen?
Vnde inuictorum funera mille Ducum.
Hoc cecidit Medicum flos, hoc noua gloria Martis
Quo feriente feræ tot cecidere manus,
Roma gemit crus dum fractum ſecat ille, ſiletque;
Auſonia euentu ſtatque caditque ſuo
Aſt obit. Inque atram reuoluto hoc ſydere noctem
Arnus & in nigris Albula fluxit aquis.
Illum etiam num acris minitantem vulnera vultu

Aura-

Aurato Iouius condidit in tumulo,
Et laudes cecinit, picta & circumtulit ora,
Ora Ioui æternum viuere digna manu.
Ille autem quod te in ſuperas ante edidit auras
Dux Coſme, Etruſci luxque ſaluſque ſoli.
Sic fertur patriæ pater, vt cùm proſpicit almæ
Ante obitum, Auſoniæ conſuluiſſe ſuæ.

LVDOVICVS Hungariæ, & Bohemiæ Rex, *Iagellonis* filius, à *Solymano* Turcarum Imperatore bello petitus, ſed rerum imperitus, ingenioque præſertim imbecillo, atque hebeti, tanquam bellici periculi ignarus, qui nunquam caſtra vidiſſet, facilè eò perduci potuit, quo *Tomoreus* Colocenſis Archiepiſcopus fatalis eo die Hungaris Dux impoſitus educebat, vel cunctis ferè Proceribus pugnæ caſum omni arte vitandum eſſe conſentientibus. Itaque *Ludouicus* alienâ vecordiâ, atque ſuperbiâ miſer, & proculdubio exitialis conſilij manceps factus, Solymano ad Mugaccium occurrit, cùm nihil tale auſuros Hungaros Turcæ Duces putarent, nec Solymanus ipſe adduci poſſet, vt Regem hoſtem tam paucis inſtructum copijs in caſtris eſſe, & congredi prælio velle crederet. Vix enim Chriſtiana acies triginta millium peditum, ſimul & equitum numerum implebat, cùm in aduersâ ducenta equitum millia ſpectarentur. Eum itaque *Tomorei* audacia Hungarorumque temeritas exitum tulit, vt cum ingenti coronâ hoſtium circumdatis, & obſeſſis caſtris, Rex infelix, eò quòd miſerrimum fuit, in ipſo margine Danubij aquatione prohibitus, dirigere aciem, & collatis ſignis confligere cogeretur. Non tulêre diu Hungari primi agminis vim quanquã admirabili ferociâ reſiſtentes, nec inulti cadentes, quando meritas inſaniæ ſuæ pœnas darent. Cecidit ante alios vecordi impetu pugnans *Tomoreus*, & vnâ ferè reliqui Duces & Antiſtites conciſo proculcatoque toto noſtrorum exercitu perierunt. Rex ipſe cùm in fugam deſperatis rebus ſe proriperet, in paludem incidit prœaltæ crepidinis, quam exeundo apprehendere conatus, equum arduâ ceruice erectum in ſe reflexit, atque ita reſupinatus, in aquâ bipalmis gurgitis ſuffocatus interijt, ſpectante

armi-

Digitized by Google

armigero ſuo, atque eum mox arenâ ſepelliente, ne corpore, atque armis regijs potiretur hoſtis. Perierunt ad quindecim millia Chriſtianorum. *Solymanus* Budam Vrbem ingreſſus, aufert tres columnas ex Orichalco fuſas, plurimoſque in ſeruitutem abducit. Ad eligendum nouum Regem Proceres regni Bohemici conueniunt die 5. Octobris, feriâ quintâ, & *Ferdinandum*, quòd duxiſſet *Annam* Ludouici occiſi ſororem eligunt Regem plurimi, qui coronatur ſequenti anno: aliqui tamen *Repuſienſem* Tranſyluanum eligunt, vndè regnum in extremum periculum coniectum eſt. *Chit. Iou. Ludouicum* ſequenti elegio deplorat *Petrus Angelius Bargæus*.

Te quoque Sarmatico Ludouice è ſanguine natum,
Et nulla clarum virtute, antiqua tuorum
Religio immeritò regnis præfecit auitis:
Vt foret vndè animos ingentes incola Ponti
Sumeret, & raptis regnaret Turca trophæis,
Noſtrorum multa tumefactus cæde parentum.
Scilicet is fuerat opibus, qui fretus, & alto
Conſilio, inuictas virtute animoque phalanges
Fundere, & innumeras euertere milite turmas
Exiguo poſſes, atque omni arcere furentem
Pannonia, inſigni confectum clade Tyrannum
Nam ſi corpus eras ſine pectore, ſi tibi nullam
Dij dederant mentem, Rex amantiſſime, qua te
Regibus æquaret ſors indigniſſima magnis:
Vitaſſes dubij ſaltem diſcrimina Martis.
Aut cùm præclaras animas per vulnera mille
Vidiſti Heroas fundentes pectore ab imo,
Te quoque præcipitem Turcarum in tela dediſſes.
Iure igitur tanta fugientem è cęde tuorum,
Vt turpi ablatus letho, & contectus arenæ
Informi cumulo, lachrymis, & honore careres,
Obruit immerſum cœnoque vndaque lacuna.

AN-

ANNO CHR. 1527.

CAROLVS BORBONIVS Princeps, qui ex Gallijs, Dux *Caroli V.* factus cum *Fronſbergio*, qui Germanos pedites adduxerat, concludunt, *Clementem* VII. Pontificem, armis petendum. Hoſte imminente Romani Proceres à Pontifice moniti, vt opes ad comparandas copias, ad repellendum latronum exercitum conferrent, nec ſumptus in rem militarem ſuppeditarunt, nec vt par erat expediuerunt arma. Extant *Philippi Bellucij* ad Fridericum Caluarium Commiſſarium Apoſtolicum literæ die 4. Maij datæ, quibus ſignificabat Aquampendentem, S. Laurentium ad cryptas, ac Viterbium exulum proditione occupata, de ſalute vrbis iam deſperatum: Triginta hoſtium millia ſub ſignis recenſeri: aliâ parte Columnenſes decem militum millia coegiſſe, ac Pontifici itinera, ne fugam capiat intercludere: in Vrbe Laurentium Cerium quinque militum ſclopetariorum millibus vrbem Leoninam tueri. In ſequenti die quintâ Maij hoſtis comparuit, atque ſcalis ad muros applicatis, bis non ſine cæde propulſatus eſt; Cùm Borbonius Dux ſegniùs rem agi arbitratus, ante omnes prouolauit, atque in ipſo tertiæ impreſſionis furore, glande petitus occubuit: cùm ante à Pontifice vnâ cum Germanis, Hiſpaniſque, quos ductabat, anathemate fuiſſet perculſus. Non tamen Ducis nece conſternati Germani, tecti nebulâ, quæ eorum conatui fauit, tranſcendere muros, ac tranſtyberinam vrbis regionem obtinuerunt. Eodem die prono in occaſum ſole cùm pontes reſcindi iuſſiſſet Pontifex, & Romani factionis Cæſareæ fiduciâ fræti inſanirent, adeòut anguſtos pontium aditus milite, & vallo tormentiſque non munirent, agminatim per Sixtinum pontem in vrbem irruperunt, quam cæde, incendio, rapinis, ſtupris ſine vllo profani, vel ſacri diſcrimine compleuerunt. Interfecta in illius impetus, & furoris ardore circiter quatuor hominum millia feruntur, cùm ipſi è ſuis mille in mœnium expugnatione amiſiſſent. *Contigit*, inquit Petrus Iuſtinianus lib. 12. pag. 430. *miſerabilis fœdaque Romanæ vrbis direptio, qualis olim nec à Gothis, nec à Longobardis, Vandaliſque fa-*

facta legitur. Et infrà. *Milites in omne crudelitatis genus prolapſi multas vrbis partes incendunt, ſacra profanaque diripiunt, omniaque fuga, tumultu, terrore, ac cæde replent: nec Cardinales, Epiſcopi, ceterique viri religioſi impias deprædantium effugere manus. Ædes quoque ſacræ ad vnam omnes ſpoliatæ ſunt, vaſaque libatoria diuinis rebus dicata in prædam nefariè acta, ab altaribuſque ablatæ aureę cruces, pretioſa candelabra, ſacerdotalia indumenta, atque vſque in ſacroſancta Dominici corporis tabernacula rapaces manus iniecta, omneſque tandem Eccleſiarum theſauros barbarico faſtu, immanique auaritia crudelis hoſtis expilauit, atque in Religionis Chriſtianæ ludibrium virgines ſacras vel violauit, vel expoliatas in publico nudo corpore traxit: ceteras quoque matronas eadem ignominia affecit: nullum prætereà fuit genus hominum, nulla tota Roma vel publica, vel priuata domus, quę furentis ſacrilegique hoſtis manus euaſerit*. Raynald. Ioannes Baptiſta Gabius *Borbonio* ſequens Epitaphium ſcripſit.

Dedecus Aruernę gentis, patrię improba labes
Tranſfuga qui leuis & perfidus hoſtis erat,
Ictu vno ſtratus temeratę in limine Romę,
Ne ſe victorem cerneret, occubuit.
Debuit haud alias ſuperis perſoluere pœnas
Perfidus ante homines, impius ante Deum.

Georgius Franſpergius verò Borbonij ſocius, patriâ Sueuus, Lutheranæ impietati ad inſaniam deditus, Italicam expeditionem eo conſilio ſuſceperat, vt ſuis manibus ſummum Pontificem ſtrangularet laqueo, quem auro intexendum curauerat, geſtaratque in ſinu, identidem ſuis oſtentans veluti de egregio facinore, quod furiali animo conceperat; verùm diuinâ vltione & ipſe percuſſus, ex equo corruens infelicem animam Sathanæ tradidit.

ANNO CHR. 1536.

IBRAHIM Baſſa, *Solymani* Turcarum Imperatoris intimus, & gener, cui promiſerat Solymanus nunquam interfectum iri, ſed gratiam perpetuam fore: at verò cùm *Ibraim* iam potentiâ

Digitized by Google

inualeſceret, floreretque authoritate & opibus, ſuſpectus ei cœpit eſſe, cuius & ex parte fuit detecta perfidia. Quippè ferebatur cum Italis quoque ſecretò pepigiſſe fœdus, vt Turcarum imperium in ſe transferret. Quapropter eum *Solymanus* die 14. Martij huius anni, ad cœnam ſecum inuitauit: quâ finitâ, cùm de certis negotijs inter ſe collocuti, iam cubitum pergerent: *Ibraim* quoque ſuum ad conclaue ſeceſſit, & in lecto ſe compoſuit. Quippè quoties ad Solymanum noctu qui accedebat, in ipſius Imperatoris Saraio cubabat. Cùm obdormiſſet, interfici hominem Sultanus iuſſit; omneſque facultates ipſius & opes, fiſco addictas, theſauris ſuis inferri. *Annal.Turc.*

ANNA BOLENIA Vicecomitis Richefordiæ filia, & *Eliſabethæ* Angliæ Reginę mater, quam loco vxoris *Henricus* VIII. Rex Angliæ habuit, *Catharina* vxore legitimâ contra leges humanas & diuinas repudiatâ, ipſam adulterij ſuſpectam, minimè tamen conuictam, capite plectit. Hoc eodem anno moritur *Catharina*, ideò Rex ſtatim aliam vxorem ducit. *Chyt.*

ANNO CHR. 1537.

ALEXANDER MEDICES Etruriæ Dux, quem Laurentius iunior, qui Vmbriæ Principatus titulos affectauit, ex maternâ ancillâ furtiuo congreſſu ſuſceperat, ad Etruſci imperij faſtigium ideò prouectus, vt indè grauiore caſu interruptâ felicitate pręceps daretur. Cùm enim legitimo coniugio non contentus vagas libidines ſectaretur, facilem ſibi in necem aditum aperuit, tantâ quidem ſocordiâ, vt poſt inſidias, quas ei *Hippolytus* patruelis nefariè tetenderat, diligentiſſimè vitatas, in alterius propi nqui, familiariſſimique ſodalis inuſitatam perfidiam inciderat. Is erat *Laurentius Medices* ætate ęqualis, ſanguine coniunctus, nullâ laceſſitus iniuriâ, & magnis affectus beneficijs, menſtrùaque ſtipendij obſtrictus liberalitate, quâ maximè eius perfidiæ fama pręgrauari potuit. Eum namque hic tam improbo quàm perfidioſo promiſſi lenocinij nomine in domum ſuam, ſuumque cubiculum & lectum facilè perduxit adamatæ mulieris aduentum mentitus, ſicut incautus, atque miſerrimus Princeps à ce-

à ceteris omnibus accuratè cauere ſolitus, quàm ab ipſo proditore, quem maximè diligeret, mactaretur; Intempeſtâ namque nocte altè ſternentem Laurentius gladio per coſtas adacto tranſfodit, propereque erectum, & acceptum vulnus acri morſu vindicantem, admouentibus manum duobus ſeruis quos induxerat, quinque vulneribus confecit, impetratâque facilè à præfecto teſſerâ publicis vectus equis Bononiam effugit, patriæ libertatis oblitus, occupante animum ſalutis curâ, vt intactus euaderet. Nam qui liberatæ patriæ laudem appetiſſe videri volebat, nihil plus tanto admiſſo facinore effeciſſe iudicatus eſt, quàm vt Principe amiciſſimo nefariè atque ignobiliter interempto, *Coſmum* ex priuato odio capitalem hoſtem ſuum, ad Etruſcij Imperij potentiam quam verę virtuti facta promittebant, proueheretur,& ipſe demùm publico Senatus iudicio damnatus, obiterque Venetijs anguſto in calle trucidatus, parricidij pœnas dedit. *Iou. Antonius Vacca* ſequenti Epitaphio, ſic Alexandrum luget.

Poſt belli clades varias, & funera ſæuis
Motibus Etruſcæ ciuilibus edita terræ
Cùm populos placida compoſtos pace tenerem,
Per ſcelus agnati me perfida dextra nefandi
Suſtulit, & ſpes ille meas, ſpes ille meorum
Atque ſuas omnes, & publica commoda fregit.
Vſque adeò penſi, & ſancti nihil improba ducit
Inuidia, atque atro mens dira agitata furore.
Ergo iterum infectum ciuili ſanguine ferrum
Mæſta parens aſſueto malo Florentia vidit,
Et luctu externata Ducem defleuit ademptum
Aurea compoſitis meditantem ſecula rebus.

ANNO CHR. 1547.

PETRVS ALOYSIVS FARNESIVS Dux Placentiæ & Parmæ, *Paulo* III. ſummo Pontifice, cùm ſe in adulteria, vagaſque libidines effunderet, clientum ſuorum rabida in ſe odia accendit, itaque conflata in eum cruenta coniuratio eſt,

cuius princeps fuit *Auguſtinus Landus*, qui illum incautum in ipsâ arce Placentinâ, quam tutiſſimam opinabatur, decimo Septembris multis vulneribus confodit. Sic trucidatum, abſciſſis per ignominiam genitalibus, coniurati altero pede ſuſpenderunt è feneſtrâ, vndè magis è foro vrbis poſſet proſpici, ſatiatiſque eo ſpectaculo ciuibus deiecerunt præcipitem in foſſam oppidi, in quâ conculcatum eſt cadauer ab inſanâ plebeculâ, & vltra mortem in eum ſæuitum. Coniurati verò libertatem, nomenque Cæſareum conclamarunt, moxque *Ferdinandus Gonzaga* Inſubriæ Præfectus multo ſuccinctus milite Placentiam prouolauit, Arcemque Cæſarianorum militum præſidio muniuit, antequam Bononiæ prolegatus collectis copijs prçcurreret. *Gonzaga* ille ſcelerum vindex acerrimus, hoc anno præfectum Comenſem, qui captiui cuiuſdam vxorem falſis promiſſis de marito liberando inductam ſtuprarat, & tamen ipſius virum interfecerat, ſuſpendi iubet. *Raynal.Chyt.*

ANNO CHR. 1552.

GEORGIVS Dux Megapolitanus, in obſidione Francofurtenſi, dum Ligulas extra tentorium adſtringit, repentè à manu hoſtili tormenti bellici laxatâ rotâ, interficitur. *Chit.*

ANNO CHR. 1553.

MAVRITIVS Elector Saxoniæ, & *Albertus* Marchio Brandeburgenſis in mutua odia incenſi belligerantur. Die 9. Iulij pugnatum eſt in Saxoniâ, non procul ab vrbe Brunſuigâ, ad Pagum Peina, in quâ pugnâ etſi victor fuit *Mauritius*, tamen præter Electorem ipſum occubuerunt *Carolus Victor*, *& Philippus Magnus* Duces Brunſuicenſes, & *Fridericus* Princeps Luneburgenſis, & Comites quatuordecim. Perierunt ad quatuor millia militum. Capta ſunt ſigna quinquaginta peditum, 14. equitum, ſed victor *Mauritius* lethaliter vulneratus biduò poſt moritur, anno ætatis 32. In gubernatione ſucceſſit *Auguſtus* Elector. *Albertus* vix elapſus, iterum copias colligit, *Auguſto* Electorali ex Daniâ reuertenti inſidias ſtruit, quç tamen fruſtrâ fuerunt.

runt. Deindè cum *Henrico* prope Brunſuicum iterum, ac tertiò pugnat, ſed ſemper vincitur. Cùm verò Epiſcopi, & Norinbergenſes *Alberti* ditiones inuaſiſſent, ipſe *Albertus* eò redit, quem inſequitur Brunſuicenſis, & Albertum tandem omni ditione exuit, præterquam Blaſeburgo, & Suinfurto, quod propter hyemem obſideri non potuit. *Chit.*

MVSTAPHA filius maior *Solymani* Imperatoris Turcici, cùm fractis Perſarum opibus ad patrem rediјſſet, magno exercitus fauore & clamore exceptus eſt, quâ re offenſus pater filium ſtrangulatum in cubiculo, mox in exercitus conſpectum proijci, & per præconem hoc proclamari iubet: *Vnus eſt Deus in Cœlo, vnum etiam Solymanum in terris Imperatorem eſſe oportet*: quo audito exercitus attonitus conticuit. *Amurathes Geangir* iunior natu biduò poſt veneno ſublatus eſt, quòd de fratris interitu ingemuiſſet. Tertius frater *Baiazethes* metu patris ad Regem Perſarum confugerat, is ſtatim per Legatos reuocatus ſecuri percuſſus eſt. Remanebat *Selymus*, cui pater etiam ipſi minas intentaſſet, niſi ſolus ſupereſſet. *Annal.Turc.* Sequenti anno in Turciâ exortus eſt quidam, qui ſe diceret *Muſtapham* Solymani filium, ſed hic tandem captus, vncis, ſiue creagris dilaniatus eſt. *Zachut.*

EDVARDVS VI. Anglię Rex adoleſcens ſagaciſſimi ingenij, lento veneno à *Ioanne Dudleo* Nortumbriæ Duce tollitur die 6. Iulij, anno ętatis 16. regni 7. *Dudleus* ille filij ſui vxorem *Ioannam Suffolciam*, quæ propinquitate regium ſtemma attingebat, ſuccedere vult, eamque in aulam inducit. Sed populus præfert *Mariam* ſororem Eduardi, quæ regnum nacta, *Dudleum* capit, & ſupplicio cum *Ioanna Suffolcia* afficit, regnatque annos quinque, & ſtatim hoc anno menſe Nouembri, abdicatâ heterodoxâ religione, Pontificiam reſtituit, & authores diuortij *Henrici* patris cum Mariâ anno 1532. facti, capite plectit, vt & alios. *Chit. Buchol.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1558.

PETRVS STROZIVS nobilis Florentinus inter Duces famâ clariſſimus. poſtquam ab auguſtis armis Caroli V. Patriam, conciueſque defendit, ad Pedemontanas partes pro Rege Chriſtianiſſimo, contrà præfatum Imperatorem militaturus perrexit: vbi in repetitis conflictibus immortales glorias adeptus eſt. Poſtmodum cùm ad Flandriæ confinia bellum tranſlatum eſſet, ſub hoſtium aſpectu, *Marullo* ſubſidium prǽſtitit, & *Franciſcum Eſtenſem* equitum Ducem vicit in prælio, cumque belli captiuum reddidit. Indè regio iuſſu in Italiam reuerſus, alijſque Ducibus aſſociatus, cum Imperialibus item contendens; at belli euentus cùm ſemper incerti ſint, illorum potentiæ tandem cedere coactus eſt. Nihilominus vnquam de fortunâ diffidens, iterum militum coadunatis reliquijs, ad Pedemontem ſe tranſtulit, ibi Albam ab Imperialibus munitam, expugnauit. *Ludouico XII.* è vitâ ſublato; ab *Henrico II.* regni ſucceſſore *Petrus* in Scotorum ſubſidium contrà Anglos tranſmittitur, in quâ bellicâ expeditione, haud parum commendari promeruit, ſicuti etiam in expugnatione Cimittæ, & in defenſione Metinæ Ciuitatis ab Auſtriacis obſeſſǽ. Interim bellicâ ſeditione commotâ inter *Paulum IV.* Pontificem, & *Philippum II.* Regem Hiſpaniarum, dum Petrus Pontificijs armis præſidebat, apud Oſtia Tyberina cum hoſtibus ad certamen venit, quibus ab arce reiectis, etiam fortè propugnaculum ab ipſis conſtructum, vnâ cum Vicouaro mirabiliter occupauit. Demùm in Galliam reuocatus; contrâ Anglos forti animo prǽliaturus aciem inſtruit, & belli fortunâ cum hoſte tentatâ, adeò propitius fuit euentus, vt Caleſium, aliorumque locorum glorioſa expugnatio clariùs demonſtrauerit: quapropter audacior factus ad Imperialem exercitum penitus diſperdendum ſe conuertit. Sed fraudatus à deſiderio ſuo, ſic de eo cecinit, quidam Poeta:

Isferiens perit, & dum victor vulnera figit,
Victus ſclopi ictu, victima mortis adeſt.

Scrip-

Digitized by Google

Scripſit alter:

Tormento Petre Strozza *iaces an fulmine? Pulchrum eſt*
Non hominum manibus, ſed cecidiſſe Deum.

ANNO CHR. 1559.

HENRICVS II. Rex Galliæ, re & nomine Chriſtianiſſimus, Catholicæ fidei ſtrenuus defenſor, & Lutheranæ ſectæ acerrimus perſecutor, qui comminatus fuerat, ſe ex Lutheranorum cineribus montem maximæ altitudinis & latitudinis confecturum, cui vix ſimilis in Gallijs extaret. Cùm Pariſijs nuptiæ *Philippi II.* Hiſpaniarum Regis cum Eliſabethâ eius filiâ celebrarentur, & in ludis equeſtribus *Gabrielem* Comitem *Mongomerium* porrectâ haſtâ ad certamen equeſtre inuitaret, & inuitum cogeret, *Mongomerius* cum Rege concurrens haſtam quidem eleganter ſuper Regis thoracem ferreum fregit, ſed galea regis non ſatis clauſa admiſit tenuiſſima quædam fragmenta haſtæ Mongomerianæ, quæ ſupra oculum Regis per cranium in cerebrum penetrarunt, ex quo vulnere cùm grauiſſimos cruciatus nouem dies toleraſſet, 10. die Iunij intrà duodecimam & primam diei horam expirauit, anno ætatis ſuę 41. regni 13. Succeſſit *Franciſcus II.* ætatis annorum 16. qui regnat tantùm quindecim menſes: Succedit ipſi frater *Carolus IX.* puer adhuc, qui regnat annis 13. *Mongomerius* verò anno 1573. Lutetiæ in publicâ plateâ ſecuri percuſſus eſt, crimine perduellionis ei affictо. *Buch. Benedictus Varchius* ſequenti elogio ſic eum celebrat.

Quid Regem verè Regem, latèque potentem
Præſtantem bello Regem, ſtudijſque Mineruæ
Inſignem addeceat ſi ſcire Henrice laboras
Henrice Francorum decus, ac noua gloria gentis,
Non alius quiſquam citius, meliuſue poteſt te
Patre docere tuo magnum bene conſule patrem
Patrem imitare tuum, quo nullus tempore in omni
Omnibus in rebus maior fuit, aut erit vnquam.
Ex illo virtutem omnem, verumque laborem
Fortunam ex alijs tantùm, didiciſſe memento.

Ioa-

Ioachimus Bellaius ſic eum commendat:

Optatam Henricus pacem conceſſerat orbi,
Ceſſerat ac toto Martius orbe furor.
Indoluit Mauros belli indignatus alumnum
Ad placidæ mentem vertere pacis opus.
Ergo illum fictis ludentem prælia bellis
Euolat emiſſo dum violentus equo,
Perculit imbelli confractæ cuſpidis ictu,
Ludentique ferus ſeria damna tulit.
I nunc & Marti, Princeps, confide cruento,
In media quem ſic ludere pace iuuat.

ANNO CHR. 1562.

ANTONIVS BORBONIVS Rex Nauarræus ad Pontificios à Reformatis defectionem facit: & primus exercitum Regis contrà fratrem *Ludouicum* Borbon. Principem Condæum, & alios reformatæ religionis ipſi adhærentes educit. Verùm dum Rotomagum vrbem obſeſſam grauiter oppugnat, globo tormentario ictus, occumbit, die 17. Nouembris, anno ætatis 45. *Buch.*

ANNO CHR. 1563.

FRANCISCVS DVX GVISIVS Caroli Lotharingiæ, & Guiſiæ Ducis filius, Cardinalis Lotharingij frater, de Catholica religione optimè meritus, vtpotè qui, flagrantiſſimo pietatis ardore Huguenottam perfidiam debellabat; ſed ab hoſtibus inſidijs impetitus, proditoriè dum Aurelias obſidet, occiditur, cui ſolemni pompâ Tridentini Patres iuſta perſoluêre. *Raynald.* *Ioannes Paſſeratius* ſequens Epitaphium ſcripſit:

Quid ſtatuis tumulum? nil ſum niſi Nomen *&* Vmbra
Elyſium *felix incolit* Vmbra *nemus:*
Nomen *ab occaſu ſolis pertingit ad ortum.*
Me ne putas vllo marmore poſſe tegi?

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1566.

NICOLAVS SERINIVS Comes, heros fortiſſimus, Zigetum à *Solymano* Turcarum Imperatore cum ducentis armatorum millibus obſidione cinctum, acerrimè defendit; tandem tamen decimâ quartâ oppugnatione expugnatum eſt. In illius autem expugnatione ſingulare ſpecimen fortitudinis ſuæ *Serinius* edidit. Cùm enim per totum menſem obſidionem ingenti animo toleraſſet, ad extremum fame, ſiti, omniumque rerum inopiâ, & miſerabili tot mulierum, & infantium eiulatu preſſus, ac omni alio auxilio deſtitutus vltima experiri voluit: ante eruptionem igitur pretioſa veſtimenta promi iuſſit, eaque pro loricâ induit; galeę item loco galerum ſumpſit ex villoſo ſerico, palâ, in quâ magni pretij adamas incluſus erat, & ex quâ pennarum ardeatinarum faſciculus criſtæ inſtar aſſurgebat, inſigni; gladios prætereà quatuor ex armamentario produci imperauit, quorum vnius acie tentatâ eum ſibi delegit, reliquos inter amicos diſtribuit; hęc arma ſufficere ei dictitans, qui expeditius pugnare, quam diutiùs cum morte certâ luctari mallet: tum claues à cubiculario allatas in tunicam interiorem inſui mandauit, & vnâ 100. aureos, eius qui ſe interfecto potitus eſſet, pręmium: & ita ducibus, & militibus omnibus in aciem inſtructis,& maſculâ oratione confirmatis,poſt nomen IESV ter inclamatum portis arcis apertis ſtricto gladio, ante ſuos intrepidè exiuit, ac generoſiſſimè inter confertiſſimos hoſtes pugnando in ipsâ portâ vitam amiſit cum inſigni nobilium Hungarorum,ſtrenuorumque militum numero. Caput toties nominato *Serinio* à Turcis (quorum ad 30. millia deſiderata fuêre) amputatum,ſpectaculi causâ circumgeſtatum, tandemque ad *Maximilianum* Imp. miſſum eſt, ad cuius patrem *Ferdinandum* idem Serinius caput *Catzianeri* à ſe obtruncati ſerico inuolutum attulerat, & Chriſtiani, quotquot Martis vis reliquos fecerat, crudeliter interempti ſunt: exceptis paucis,qui Turcicis pileis tecti cum mulieribus,& infantibus in ſeruitutem miſeram abducti. Expugnati autem Zigeti *Solymanus* lætitiam non ſenſit. Siquidem triduo

ante, die 4. Septembris in caſtris dyſſenteriâ mortuus, cui paucis poſt diebus ſubſtitutus eſt filius eius *Selimus II.* De Solymano ſic cecinit *Ianus Vitalis.*

Ocia quem nunquam tentarunt mollia, quem non
Delicijs fregit deſidioſa Venus,
Regnatorem Aſię Solymanum en aſpice quiſquis
Scillæam ignoras terribilem ingluuiem,
Ægyptum ille inhians, inhians Indoſque, Getaſque
Pannoniæque arces, indomitamque Rhodum
Vi magna aggreſſus rapuit, te vindice Cæſar
Euaſit rabiem ſola Vienna ſuam,
Et nunc immitis fœta truculentior vrſa
In latebris fingit funera noſtra ſuis,
Interea dum nos vigilantes ſtertimus, ille
Inſomnis, nobis integra Regna vorat.

ANNO CHR. 1567.

HENRICVS STVARDVS Rex Scotię, Iacobi VI. pater, fraude & latrocinio *Mariæ* Reginæ vxoris ſtrangulatur, & puluere tormentario ædes, in quibus cadauer erat, euertuntur, die 10. Februarij, & paulò poſt nubit *Bothuelio* ſuo adultero. *Buch.*

WILHELMVS GRVMBACHIVS cum ſocijs (qui Herbipolenſem Epiſcopum interfecerunt, vrbem ipſam poſteà interceperant, & hoſtiliter diripuerant, pacem publicam in Franconiâ turbantes) iam ante à Cæſare proſcripti, nouâ proſcriptione omnium imperij ordinum conſenſu aggrauati ſunt; & Dux Saxoniæ *Ioannes Fridericus* iunior, captiui Electoris filius, quòd Grumbachium proſcriptum, alioſque pertinaciter foueret, proſcriptionis telum ipſe quoque perſenſit. Executio huius proſcriptionis demandata fuit à *Maximiliano* II. Electori Saxonię Auguſto, qui ſubditos à fide & obedientiâ *Ioannis Friderici* auocauit. Illi verò huius admonitioni nullo modo parebant, quin potiùs ad defenſionem Ducis ſui ſe ſe parabant. Auguſtus itaque vrbem Gotham, & adiacentem arcem in quâ *Ioan-*

Digitized by Google

Ioannes Fridericus Saxo, Grumbachius, & alij erant, obſidione cingit,& acriter oppugnat. Tandem vrbs cum arce poſt quatuor menſium obſidionem, Commiſſarijs Imperij, & Electori Auguſto tradita eſt die 13. Aprilis anno 1567. die Dominico, & arx inuito, & multum deprecante *Ioanne Wilhelmo*, fratre Ioannis Friderici,in perpetuam rei memoriam ſolo ęquata. *Grumbachius*, & *Chriſtianus Bruck* Cancellarius homo ſuperbus, ambo viui in quatuor partes diſſecti ſunt:alij quidam,inter quos *Dauid Baumgartnerus* & *Hieronymus à Brendeſtein* decollati fuêre. Dux *Ioannes* Viennam, indè Poſonium,& tandem Neapolim Auſtrię captiuus abductus eſt, ibique ad mortem vſque permanſit per aliquot annos. Hic fuit tragicus eorum exitus, qui conſilia de mutando Reipublicæ Imperij Romani ſtatu tractaſſe dicebantur. Sumptus huius belli ad 51630. florenorum Principes Imperij Auguſto Electori reſtituerunt. *Chyt.*

ANNEVS MEMORANTIVS à Franciſco Rege Francorum ob tantæ virtutis merita, Galliæ magni Comeſtabilis titulo decoratur: Is,bella gerente Rege cum *Carolo V.* Auguſto, in cunctis, & pręcipuè in memorabili Papiæ conflictu, ſemper inuictiſſimi Herois famam adeptus eſt. *Henricus* II. Franciſco ſuccedens, dum magis magiſque bella pręmebant hoſtilia, ſuis cum Mauritij Saxonum Ducis,aliorumque Principum confœderatis armis, Memorantium totius exercitus Ducem præficit,& quam proficua Collegatis, hæc eſſet electio, comprobauit euentus: nam Imperialium furores bellicos adeò repreſſit, & extinxit, vt ad felicem Metis, Tutelę,aliarumque Ciuitatum expugnationem, viam aperuerit. Deindè Philippus II. Hiſpaniarum Rex dum Galliam cum forti exercitu inuadere tentabat, *Anneus* inuictâ conſtantiâ ſe oppoſuit: & aſpero quidem commiſſo certamine cum Duce Sabaudiæ Hiſpanorum armis imperante, non ſine ex vtraque parte ſanguinis effuſione; tandem ipſe ex vulnerum copiâ debilitatus, à Sabaudo in bello captus eſt: Verùm inter Reges pace compoſitâ, liber euaſus,à *Carolo* IX. Henrici ſucceſſore apud Lutetiam Pariſiorum ad rebelles Hęreticos reprimendos mittitur, ſed infelix euentus denuò in hoſtium captu-

Digitized by Google

ram tradidit: Paulò poſt iterum ſolutus, & liber effectus, ad pugnam reuerſus, velut alter Antheus, è lapſu vires aſſumens, nobilem victoriam conſecutus eſt, in quâ tamen letaliter percuſſus, crudelis Parca, dum ei vitę ſtamen pręcidit, tam glorioſâ victoriâ perfrui denegauit. De eo in Templo PP. Cœleſtinorum Pariſienſium legitur hoc Epitaphium:

Adſta viator non leue eſt pretium morę.
Hoc grande paruo Cor duplex iacet loco,
Regis, Duciſque: Regis Henrici, *Ducis*
Memorantij Annę, *per gradus qui ſingulos*
Ad militaris ordinis faſtigium
Peruenit, & res maximas ſub maximis
Domi foriſque Regibus geſſit tribus,
Franciſco, & Henrico *vltimoque* Carolo.
Sed præcipua quò ſingularis & fides,
Inter Ducemque, Regem, & Henricum *foret*
Teſtata, corda iuſſit amborum ſimul
Rex ipſe poni. Pignus haud dubitabile
Quod iuncta eorum vita perpetuò fuit,
Hic iuncta quorum mors habet vitalia.

Ioannes Auratus aliud ſcripſit:

Octo qui decies peregit annos,
Octo prælia qui cruenta geſſit,
Octo vulneribus fuit peremptus.
Septem dicitis eſſe vos, nec octo.
Septem vulnera fecit hoſtis extra,
Octauum ſibi fecit intus ipſe
Caſum ſe patria dolens inulta.

ANNO CHR. 1568.

LVDOVICVS Comes Naſſouius, Auraici frater, Hiſpanorum copias in Friſiâ inter Heiligerlæum, & Winshotum propè Groningam prælio deuicit, cæſo ipſorum Duce *Ioanne* Comite Arenbergio, Friſię Gubernatore, in quâ *Adolphus* Comes Naſſouius fortiter pro defenſione fratris ſui Wilhelmi Princi-

pis

pis Auraici pugnans, occubuit, 23. Maij. *Bach.*

FERDINANDI Ducis Albani mandato *Giſebertus*, & *Theodorus* Barones Battenburgij fratres, vnâ cum 16. Nobilibus, coniurationis nomine damnati, die 1. Iunij; *Lamoralus* verò Comes *Egmondanus*, Flandriæ, & Auſtriæ Gubernator, victorijs aliquot de Gallo partis celebris, ætat. 46. Et *Philippus Mommorencius* Comes *Hornanus* Belgici maris Præfectus, ætat. 50. Ordinum Conſiliarij, & Equites aurei Velleris, die 5. Iunij, Bruxellis capite truncati ſunt.

ANNO CHR. 1569.

LVDOVICVS BORBONIVS, Princeps Condæus, hæros fortiſſimus, patrięque propugnator acerrimus, ad Irnacum propè Engoliſam fortiter pugnans, & vulnerato equo concidens, primum à nobili Saniano captus, deindè contra fidem datam à *Monteſquio*, Henrici Valeſij Ducis Andegauenſis excubitorum Pręfecto, ſclopeti glande traiectus, occubuit 13. Martij: relictis poſt ſe quatuor filijs, *Henrico Borbon.* Principe Condæo, *Franciſco Borb.* Principe Contiaco, *Carolo* Principe Condæo, & *Carolo* Sueſſonum Comite. *Coment. rer. Gallic.*

ANNO CHR. 1571.

IOACHIMVS II. Elector Brandeburgenſis, cùm præfuiſſet annis 36. die 3. Ianuarij, cùm hilariter cœnaſſet, vi veneni extinguitur, quod in Maluatico ipſi cubitum ituro *Iudæus* quidam familiaris miſcuerat, quod ſcelus tandem poſt quinque annos ab vxore Iudæi proditur: ſuccedit ipſi filius *Ioannes Georgius*, qui prȩfuit annis 27.

ANNO CHR. 1572.

MARCVS ANTONIVS BRAGADENVS Venetus, Præfectus vrbis Famauguſtæ, olim Salamis dictæ, in Cypro, cùm vndecim menſibus obſidionem toleraſſet, & ad omnium rerum inopiam redactus eſſet, deditionem fecit his legibus: vt Venetis vitȩ concederetur incolumitas, & tuti cum armis ſuis,

&

Digitized by Google

& facultatibus in Cretam deducerentur: Græci domos ſuas incolerent, poſſeſſionibus ſuis fruerentur, ritu Chriſtiano viuerent. Quibus conditionibus à Muſtaphâ Baſsâ initio menſis Auguſti anno 1571. laudatis, & approbatis; ipſiuſque manu ſubſignatis: die quinto dicti menſis prodijt ex vrbe Bragadenus, ſub quo defenſa fuerat hactenus, & cum illuſtri virorum nobilium comitatu in Muſtaphæ caſtra venit, eique claues Ciuitatis, quòd in deditionibus fieri ſolet, obtulit. Exceptus initio comiter à Muſtaphâ, mox ab illâ crudeli belluâ, per ſummum ſcelus violatâ fide, pleroſque ad tranſtra relegat, multos occidit, demùm *Bragadenum* naſo & auribus mutilat, & viuum excoriat die 16. Auguſti. *Laurentium Teupolum* Paphi pręfectum, qui & ipſe cum alijs Famauguſtam ſingulari virtute propugnarat, ſuſpendio Muſtapha necari, ceteros deditícios immaniter contrucidari iuſſit. Turcarum, qui obſidionis principio in vniuerſum ad ducenta millia cenſebantur, durante obſidione octuaginta millia perijſſe conſtat. *Annal. Turc.*

CAROLVS IX. Galliæ Rex, vt reformatæ religionis Principes in vnâ velut muſcipulâ, vt ipſe loqui ſolebat caperet, inſtituit nuptias celebrandas Lutetię ab *Henrico Borbonio* Rege Nauarræo, & *Margareta Valeſia* Regis Galliæ ſorore, & euocatos cunctos cum coniugibus, liberis, & reliquis ciuibus, nulla ſexus, aut ætatis habitâ ratione, in ſuis domibus, & lectis trucidat, tam Lutetiæ, quàm alijs in vrbibus, vno eodemque die, qui erat illuceſcens D. Bartholomæi. Similes laniena Tholoſæ, Rotomagi, Diepæ, Meauſię, Burgeſiæ, Aureliæ, & Lugduni fuerunt, vt intrà paucos dies multa hominum millia iugularentur. Eſtque hic annus à *Veſperis Siculis* 290. Hunc annum hæc verba indicant, collectis numerorum literis. *LVtetIa Mater ſVos natos DeVoraVIt*. Immò Rex *Carolus* ipſe gloriatus eſt in literis ad Pontificem *Gregorium* XIII. de numero cæſorum hæreticorum, quod eorum LXX. millia occidiſſet, teſte *Onuphrio*: Alijque fide digni Hiſtorici referunt, intra 30. annos, ab anno Chr. 1550. vſque ad 1580. nongentis centena millia hominum interfecta eſſe in Galliâ, Italiâ, Hiſpaniâ, Angliâ, & Belgio. Inter

Digitized by Google

ter eos numerantur 39. Principes, 148. Comites, 235. Barones, 147518. Nobiles, 700060. ex vulgo. *Comment. rer. Gall.*

ANNO *CHR.* 1574.

AMVRATHES III. Turcarum Imper. filius *Selymi II.* crapulâ, & libidine extincto patre, auſpicatus eſt imperium, anno ætatis 27. Ante omnia recepto more barbaro ſtrangulari quinque fratres ſuos, natu ſe minores, in pręſentiâ ſuâ iuſſit: quorum minimi ceruicibus & iugulo cùm pro more neruus adhiberetur, incertum an tenerioris in hunc amoris causâ motum, an conſcientiæ patratę crudelitatis in omnes, illacrimaſſe quidem ipſum conſtat. *Annal. Turc.*

CHRISTOPHORVS Gomes Palatinus Rheni, Friderici III. Elect. filius, *Ludouicus*, & *Henricus* Comites Naſſouij, *Wilhelmi* fratres, nouas auxiliares copias Auraico & Belgis, qui defecerant, adducentes, in campo Mouacenſi, non procul Neomago à *Sancio de Auila* & Mondragonio Hiſpanorum Ducibus ex improuiſo oppreſſi, & hoſtium multitudine ſuperati, fortiſſimè dimicantes cęſi, & copiæ eorundem profligatæ ſunt, 14. Aprilis. *Buch.*

ANNO *CHR.* 1576.

HAIDAR Rex Perſarum, filius Thehmaſis, tertiogenitus extincto patre, poſt quindecim dies à Sultanis quibuſdam, ſiue Proceribus regni, qui eum oderant, trucidatur. Cui ſuccedit *Iſmael* maior ſecundogenitus, qui ſexto regni menſe, nempè die 24. Nouembris, veneno ſororis *Periçconcona* operâ propinato ſublatus perijt. Huic *Mahumetes* Hodabendes, *Thehmaſis* filius primogenitus ſucceſſit, qui ſtatim iuniores octo fratres trucidat, & religione ad Turcas accedit, regnatque anno vno, & menſibus ſex. *Buch.*

AN-

Digitized by Google

ANNO CHR. 1578.

SEBASTIANVS Portugalliȩ Rex cùm naturâ ad armorum amorem propenſiſſimus eſſet, nullam aliam voluptatem, quam è bellicis rebus quȩrebat: quȩ etiam ſuperioribus annis eum Tingim traijcere coegit, eo animo vt Barbariam in ſuam poteſtatem redigeret, ſed irrito conatu. Verùm hoc anno die 4. Auguſti prȩlium eſt commiſſum inter ipſum,& *Abdelmelechum* Marocenſium Regem, circà horam duodecimam: & Mauri quidem primi tormenta in Chriſtianos eiaculari cœperunt: ſed vix tres globos miſerant, cùm ecce Chriſtiani eoſdem ſuis quoque pilis excipiunt. Statimque ſclopetarij milites ab vtraque acie paruas pilas inſtar nimbi,aut grandinis effuderunt, tam horridâ, furioſâ, terribileque tempeſtate, vt prȩ tremore, quem tormentorum fragor, & boatus excitabat, terra in profundum demergi, & cœlum igni, flammis, fulgure, tonitribus tormentorum exardeſcere videretur. Exoneratis igitur tormentis, quingenti armati ex primâ acie, quos Dux de Auero ducebat, in ſiniſtrum Maurorum cornu impetum fecerunt, eoſque diſſiparunt, & occiſis plurimis, ceteros in fugam compulerunt, itaut pluſquam octo millia ſclopetariorum, & viginti millia equitum haſtatorum (qui Alardes erant) locum reliquerint, ac ferè per viginti leucas diffugientes, de victoriâ Chriſtianorum paſſim rumorem ſparſerint. In hoc primo congreſſu Mauri duo equeſtria vexilla amiſerunt, non ſinè magno *Abdelmeleci* dolore, qui cum in medio agmine equo inſideret, videretque ſuos turpi fugæ laxè, & effusè adeò indulgere, ita irâ & furore incenſus fuit, vt quantumuis præ imbecillitate in equo vix ſedere poſſet, ipſe tamen eâ parte, quâ ipſius milites fugiebant, hoſtem aggredi conatus ſit, vt inclinatum illud, fœdeque diſiectum cornu repararat, & fugientes ſiſteret, contraque hoſtem rurſus conuerteret. Sed prætoriæ cohortis milites, cùm extremam ipſius debilitatem non ignorarent, ſublatis habenis quo minus vlterius progredi poſſet, prohibuerunt. Cùm verò vt illorum manibus ſe eriperet, manum capulo admouere conaretur, paralyſi brachia, manuſue di-

diriguiſſe animaduertit. Quâ ex re tantum dolorem animo ſenſit, vt amiſsâ voce in lunatum Ephippij arcum procumbens, nihil amplius prolocutus ſit, quàm vt ſeocyus promouerent: id quod factum eſt, ſed ad iactum dumtaxat lapidis. Intereà Prętoriani Regem ex equo ſublatum, in lecticam repoſuerunt, vbi intrà ſemihoram animam exalauit. Mors tamen eius callidè diſſimulata eſt, dum eum quieti ſe tradidiſſe fingerent.

Verùm enim verò etſi Chriſtiani Mauritanos primo congreſſu vicerunt: reliquus tamen Regis Luſitani exercitus hac victoriâ vti neſciuit. Cùm enim nemo eſſet qui, quod facto opus eſſet, iuberet, aut ſubſidiarias cohortes in auxilium ſubmitteret: pulcherrimam victoriam è manibus elabi permiſerunt: ipſi verò victores milites ſe eò recipere coacti ſunt, vndè exierunt. Mauri itaque cùm hanc ſuorum ſtragem à ſolis equitibus editam cernerent, neque quenquam eſſe, qui illis ſuppetias ferret: mille Argoletos, alioſque plurimos emiſerunt, qui Luſitanos antea victores eâ vi in fugam coniecerunt, vt in mediam aciem peditum irruentes, ingentem totius Chriſtiani exercitus perturbationem effecerint. Res in ipſo conſpectu & præſentiâ Regis gerebatur: qui ſuorum ſuaſu hactenus in curru commoratus, quamprimum ſuorum fugam & inclinationem conſpexit, ſubitò in equum armis viridibus & contrà quamuis vim validis protectum inſilijt:& in hoſtem Duce de Auero, alijſque armatis comitatus, ſe ſe intulit. Quanquam autem tantâ vi,tantoque impetu in aduerſarios inuectus eſt, vt denuò illorum aciem ruperit: cùm tamen exercitus Mauritanus loco non cederet, coacti ſunt hi equites (qui vix quingenti numero erant)pedem referre quos Mauri tanto impetu inſecuti ſunt, vt magno eorum numero occiſo, reliquos coegerint ſe peditibus inferre, ita vt præcipiti, & vecordi conſternatione irruentes, pondere equorum plurimis protritis & eliſis, magnam ſuorum ſtragem ediderint. Intereà totę Mahometani exercitus copiæ de monte decurrentes, ingenti impetu Chriſtianorum aciem inuadere cœperunt.

In eo conflictu Dux de *Auero*, & multi alij nobiles ſtrenuique viri ceciderunt: quin & Regis Luſitani equus, ipſo tamen

ſaluo & illęſo, traiectus: & tormenta, quæ in hoc pręlio Chriſtianis nulli vſui fuerunt, capta ſunt, Rex Luſitanus, qui alium equum recentem conſcenderat, animaduertens poſtremam aciem opus habere ſubſidio, quingentis armatis, qui huic officio deſtinati erant, ſecum raptis, Mauros, qui ſub *Muleio Mahameto* fratre Abdelmeleci erant, tertiò adortus eſt: quos ita perterruit, vt coegerit eos vltrà dimidiam leucam cedere, occiſis plurimis, reliquis autem diſſipatis. Sed cùm ſolus eſſet, neminemque haberet qui ſe ſequeretur: magno cum dolore, contraque animi ſui voluntatem ad exercitum ſuum ſe conferre coactus eſt, vt nimirum ad cladem ſuam viuus videnſque, vt dicitur, proficiſceretur. Nam Mauri in ſiniſtro cornu poſtquam tormenta ceperunt, victoriam perſequentes, etiam illos Chriſtianos, qui ad ripam fluuij erant, ita deuicerunt, vt in *Mulei Mahameti* (qui inter Chriſtianos & fluuium ſe tenebat) ſtationem inueheretur, miſerandamque ſtragem Maurorum, qui cum eo erant, ederent: & multi ex eius militibus in turmas Chriſtianorum ſe proriperent.

Muleius Mahametus fugâ ſalutem quærere volens, cùm fluuium Lariſſæ cœnoſum & paluſtrem vado tranſire vellet, ab equo (qui è luto eluctari conabatur ſtrato excuſſus: & cùm natandi imperitus eſſet, ſubmerſus, & aquis extinctus eſt. Victores Mauri victis inſiſtentes, ad ſtationem *Mulei Hameti* fratris *Abdelmeleci* peruenerunt, ibique Principes Chriſtianos vndique incluſos, & quaſi indagine cinctos, partim occiderunt, partim captiuos abduxerunt. Noſtri itaque ſic vndique circumuenti, & ad extremum redacti, fugam conſulerunt. Rex tamen *Sebaſtianus*, ſuos deſerere, & fugâ ſalutem quærere indecorum ducens, cum ſuis illis paucis ſtrenuè rem gerebat: tot cædes faciebat, tot orco demittebat, vt multi fulmen illum appellarent, pauci ſanè aſpicere aut contrà tueri auderent. Tandem ſexaginta circiter milites *Abdelmeleci*, ex Regis cæde gloriam quæſituri, globo facto eum circumduxerunt. Is ergo cùm nullam ſibi ad effugiendum viam ſupereſſe videret, vni ex ſuis ambactis mandauit, vt candidam faſciam haſtæ appenſam in ſignum de-

di-

Digitized by Google

ditionis erigeret. At illi, qui eum incluſerant (Alarbes ſcilicet, genus omnium maximè barbarum & crudele) hoc ſigno in auxilium Luſitanos vocari exiſtimantes: ex omni parte impetu facto, Regem multis locis conuulnerarunt, tandemque ceperunt, & laqueolo galeæ inciſo, duas plagas capiti, totidemque faciei inflixerunt, vt ita de equo præcipitatus expirarit, anno ætatis 24. cùm iam annos 21. regnaſſet. Chriſtianos fugientes Mauri in multam noctem inſecuti ſunt. Itaque omnibus victis, diſſipatiſque, aut in miſeram captiuitatem redactis. Cadauera trium Regum in idem tabernaculum delata, triſte & horrendum de ſe ſpectaculum præbuerunt, & ſpectantibus lacrymas excuſſerunt. Quid enim triſtius, aut viſu magis horrendum erat, quàm tres potentiſſimos Reges vno prælio defunctos ſimul iacentes conſpicere? Quorum vnius exercitus ipſo viuo victus, eo mortuo aliorum duorum Regum exercitum ſtatim ſuperauit: cùmque omnes tres ad Mauritaniç regnum aſpirarent, nullus ex ipſis eum tenuit. Sed hanc rem humanis ſenſibus occluſam, & diuinæ maieſtatis occulto iudicio reſeruatam, omitto. *Chyt. Thom. Freig.*

ANNO CHR. 1579.

MVSTAPHA Baſſa Budenſis mandato Imper. Turc. ſtrangulatur 27. Septembris. Eodem facto Baſſa quoque Alexandrinus interemptus eſt. *Annal. Turc.*

ANNO CHR. 1581.

IANICVLA walachiæ Regulus, ob iniurias, quas vicinç nobilitati intulerat, in Stephani Regis Poloniæ gratiam à Turcarum Imperatore Principatu ſpoliatus, dum in Hungariam per Pokucziã regni Poloniç prouinciam profugere conatur, à Nicolao Iaslouecio Sniatynienſi præfecto iuſſu Regis Poloniæ capitur, & menſe Auguſti Leopoli in Ruſſiâ capite plectitur. *Reinbold. de bello Moſcouit.*

ANNO CHR. 1583.

MAHVMETES Cherei Tartarorum Precopenſium Chamus deſertus à ſuis, & potiſſimùm proditus à Præfecto curię ſuæ, à Turcis iuſſu *Amuratis* Turcar. Imper. vnâ cum duobus filijs eliſo gutture ſtrangulatus eſt, circà menſem Iunium : in cuius loco decreto Amuratis *Islan* ſuffectus eſt. *Annal. Turc.*

ANNO CHR. 1584.

FRANCISCVS ALENCONIVS Dux Brabantię, Galliæ Regis frater, perfidè & fraudolenter vrbem Antuerpiam die 7. Ianuarij ex inopinato opprimere, & Regno Gallorum ſubijcere conatus eſt. Verùm ciues re animaduersâ, Gallis ad forum vſque plenis ſignis penetrantibus, & obuios quoque interficientibus, ſe fortiter opponunt, eoſque repellunt, & in fugam conuertunt. Ex partibus Gallorum cæſi plures 1500. exceptis vulneratis, & poſtea ex vulneribus mortuis : capti circiter 2000. inter quos multi Comites, Barones, & Nobiles reperti fuêre. Ex ciuibus fortiſſimè pro ſalute Patriæ dimicantibus circiter 80. interfecti fuerunt. *Franciſcus* verò in morbum delapſus, cùm inſuper veneno potatus eſſet, moritur die 31. Maij. *Chron. Belg.*

WILHELMVS Princeps *Auraicus*, & Comes Naſſouius Belgici Gubernator, Heros ac bellator fortiſſimus, Delphis tribus globis venenatis per ſicarium Balthaſſarem Gerhartum Burgundum traiectus, die 10. Iulij ſecundâ horâ poſt meridiem, cùm vixiſſet annos 51. expirauit. In huius locum ab Ordinibus Belgici confœderatis Gubernator Hollandię, Seelandię, Friſiæ, & Vltraiecti, & Supremus Amiralius, conſtitutus eſt filius *Mauritius* aui materni nomen, & animum referens, annorum tum temporis 19. adoleſcens, eique legatus adiunctus, *Philippus* Comes ab Hohenlohe, menſe Auguſto. *Chron. Belg.*

ANNO CHR. 1585.

PONTVS DE LA GARDIA, fortiſſimus, ac præſtantiſſimus Heros, ac felix exercituum regni Sueciæ Imperator, cùm

cùm in annoſâ nauiculâ Naruam fluuium traijcere vellent, & aliquot machinas campeſtres, medio fluuio iam traiecto, exploderent, nauicula ex machinarum tonitru fatiſcente, naufragium paſſi, & 18. homines vnâ cum ipſo *Ponto* ſubmerſi ſunt, die 5. Nouembr. *Buch.*

Turcæ menſe Auguſto anni huius, *Oſmane* Baſsâ duce, cum *Perſis* propè Tauriſium prælio acerrimo toto triduo trinoctioque continuato conflixerunt, cuius hic finis fuit: vt octogintà Turcarum millibus (& ſi non ſinè mediocri Perſarum clade) cæſis, *Mahumetes* Baſſa Carahemidanus, & Baſſa Trapezuntinus, cum magno militum veteranorum Turcicorum numero occubuerint, & Tauriſium ex faucibus eorumdem ereptum fuerit. *Annal. Turc. Minadous de bello Perſic.*

ANNO CHR. 1588.

HENRICVS BORBONIVS, Ludouici filius, Princeps Condæus, Henrici Borbonij Regis Nauarræi patruelis, qui variâ iactatus fortunâ, ſolum patriç aliquandiù vertit, & tandem veneno impiè ac nefariè per domeſticum ſuum è medio ſublatus eſt, anno ætatis 35. *Buch.*

ANNO CHR. 1589.

HENRICVS III. Galliarum Rex, ob Guiſiorum cædem, à toto ferè regno deſeritur, cùm iam per Sixtum V. Pontif. Max. de cenſuris monitus eſſet; Hinc Rege Nauarræ euocato Lutetiam oppugnat, ſed Calendis Auguſti à *Iacobo Clemente* ad ſecretam audientiam admiſſo, quaſi arcana Ciuium reuelaturo, cultro venenato in inferiori ventre percuſſus, poſtridiè extinctus eſt, & in eo *Valeſia* familia, anno ætatis 37. Succeſſit vi legis Salicæ ex *Borbonia* familiâ *Henricus IV.* Rex Nauarrç proclamatus à pleriſque, & præmiſſo iuramento de conſeruandis Religione Catholicâ, & conſuetudinibus Regni. Sed quia Guiſij, & alij regni Proceres repugnarunt, multç vrbes captæ, direptæ, incenſæ. Regicida verò multis à ſatellitibus regijs vulneribus confoſſus, trucidatur, cuius cadauer poſtea equis in qua-

tuor

Digitized by Google

tuor partes diſtractum, & à carnifice combuſtum eſt. *Paulus Thomas* Engeliſmenſis, *Henrici* tumulũ ſequenti Epitaphio exornat:

Dura ego pene puer diſcrimina Martis adiui,
Aſſererem vt fratri Gallica regna pio.
Agmina collatis bis ſtraui hoſtilia ſignis
Pictonicis *campis, quàque* Carenta *fluit.*
Me ſibi dein Regem fortes petiere Poloni,
Gallicaque *idcircò terra relicta mihi eſt.*
Nondum illic totum geſtaram ſceptra per annum,
Cùm celeri fato frater ademptus obit.
Delata accipio Franci, *moderamina regni,*
Do pacem Gallis, *ciuica bella fugo.*
Rex toties, victor toties, en lubrica fata!
Cultello tenui ſaucius hìc iaceo.

Paucos ante *Henrici* III. mortem menſes, die ſcilicet 5. Ianuarij, mater eius *Catharina, Laurentij Medicis* Vrbini Ducis filia, mærore animi (vel vt nonnulli volunt, veneno) extincta eſt.

ANNO CHR. 1591.

OCTAVIANVS Comes Mansfeldius, Erneſti filius, in obſidione Knodſenburgi, ab erumpentibus Comitis Solmenſis militibus, globo ſclopeti traiectus occubuit. *Chron. Belg.*

ANNO CHR. 1592.

AVGERIVS GISSENIVS BVSBEQVIVS, Ferdinandi Rom. Imperatoris ad *Solymanum* Turcarum Imper. Legatus, & Orator ordinarius, à prędonibus in ipſo limine patriæ hoc anno occiſus eſt. *Buch.*

ANNO CHR. 1593.

MEmorabilis pugna hoc anno ad Siſſekium in Croatiâ die 23. Iunij commiſſa eſt: in quâ exercitus Cæſareus vix 4 00. Vngaris & Germanis conſtans militibus è vicinis gentibus Auſtriacis collectis (quem *Thomas* Erdedi Slauoniæ Banus,

An-

Andreas Auerſpergius Caroloſtatenſium præfectus, *Melchior* Rederus Baro, *Rupertus* Eggenbergius, & alij viri nobiles ducebant) viginti Turcarum millia profligauit: & victoriam diuinitus conceſſam obtinuit. Quo in loco inter alios bellatores eximios, præclarum virtutis ac fortitudinis bellicæ ſpecimen edidit, & laudem non exiguam conſecutus eſt, Generoſus ac illuſtris D. D. *Melchior à Redern* Baro Bohemiæ, Artis, & Martis peritiâ clarus, qui alijs prælio cum hoſte tanto, propter copiarum ſuarum infirmitatem minimè dimicandum, ſed potius retrocedendum ſuadentibus, conſentiente Domino Andrea Auerſpergio Caroloſtatenſi præfecto, & alijs, Turcas quamuis multitudine noſtris longè ſuperiores, omninò adoriendos conſtanter ſuaſit: addens inſuper: mortem ſe potius cum ſuo equitatu, pro Chriſti nomine, & patriæ ſalute fortiter pugnando glorioſè obiturum: quàm vitam turpiter fugiendo non ſine ſummo dedecore ſaluam, & incolumem retenturum eſſe. Vndè & reliqui vnanimi conſenſu; & viribus coniunctis, magno impetu in hoſtes irruerunt: eoſque animoſè confligendo in fugam conpulerunt: ita vt ipſe *Hazanes* Baſſa Boſnenſis Tyrannus crudeliſſimus, vnâ cum fratre Giafero Bego Zcernikenſi, Sinane Bego Cliſſenſi, *Amuratis* Imp. Turc. ex ſorore nepote, Mahumete Bego Seracienſi, Bego Hertzegouinæ, & alij aliquot præcipui Begi, plurimi Agi, Zaimi & Iſpai, & octodecim circiter ſelectiſſimorum militum Turcicorum millia, partim ſclopetis & ferro cæſi, partim Oderæ & Colapis rapidiſſimorum fluminum vorticibus (exceptis paucis initiò per pontem fugâ elapſis) abſorpti, noſtrorum vix quinquaginta deſiderati fuerint. Vbi & illud obſeruandum eſt: *Boynium* Croatum, qui ante annum *Hazani* Baſſæ Boſnenſi copias Slauonicas, & Stiriacas, vt propè arcem Petriniam oppreſſæ ad internecionem cæderentur, nefariè prodiderat, vnâ cum reliquis Turcis cæſum occubuiſſe, atque ita dignam proditionis mercedem conſequutum fuiſſe.

Partâ hac victoriâ, *Siſſekium* è faucibus Turcarum ereptum: Petrinia vero arx ad Colapium fluuium munitiſſima, à coniunctis Germanorum & Vngarorum copijs, fruſtrà aliquo dierum

rum

rum ſpacio, Turcis ea fortiter defendentibus, oppugnata eſt. At *Siſſekium* infirmo admodum præſidio munitum, & vix obſidione liberatum, tandem poſt varios dubij Martis euentus, in poteſtatem & ſæuitiam Turcarum conceſſit, ſub finem Auguſti. *Buch.*

ANNO CHR. 1595.

MAHVMETES III. Turcarū Rex XIV. & VII. Imp. Orientis, filiorum natu maximus *Amurathis III.* regnum pro more Turcicorum Imperatorum 18. fratrum cæde ex diuerſis concubinis progenitorum auſpicatus eſt, eoſdemque cum patre in idem monumentum condi curauit; ſorores verò 27. in Seraglio viuere permiſit. Huius coniux fœmina ambitioſa, cùm ex Imperatore, & Aſtrologo ſiſcitaretur: An non filius in regno ſucceſſurus eſſet? Mahumetes exiſtimans eam velle ſe maritum veneno necare, ex ſolâ ſuſpicione & zelo neci damnauit, ipſamque in aquis ſuffocari, & filium ſtrangulari, quoſdam etiam ex famulitio vtriuſque ſexus ad 30. mortis ſocios fieri iuſſit. *Annal. Turc.*

VILLERIVS Rotomag. præfectus, & Galliæ Amiralius, vnà cum alijs quibuſdam Proceribus, plurimiſque nobilibus cęſus in bello contrà Hiſpanos, occubuit. *Marian.*

ANNO CHR. 1600.

ALEXANDER RVVENAS, Comitis Crociæ frater, Iacobum VI. Scotię Regem, inſidiosè Perthum perducit, ibique in interiora conclauia, vt theſauros oſtenderet, ſolum allectum, & à Lenoxiæ Duce, Comite Marciæ, & alijs nobilibus aulicis ſemotum, interf[illegible]re geſtijt; ſed Rex maſculo animo, primò comminationis, poſt facto ipſo ſe defendit, & ſuccurſu quatuor ſuorum interfecto ipſo, eiuſque fratre Comite, & quibuſdam miniſtris ſaluus euaſit.

Digitized by Google

ANNO CHR. 1602.

BIRONIVS Mariſchallus regni Gallici, & Dux, item Comes de Auerniâ, alijque Proceres conſilia agitant de occidendo Rege, Reginam, & Delphinum, & omni eius progenie, & nutricem filioli Regis veneno tollunt, quo infantem etiam periturum ſperant, ſed fruſtra: Quia ab vno coniuratorum detegitur Regi tota coniuratio, vndè ſequitur captiuitas *Bironij*, & Comitis Aruenix 15. Iulij; res Parlamento defertur ad iudicandum, quod ſtatuit ſcelus hoc pœnâ capitali vindicandum, atque ita vltima die Iulij Bironius decollatur: Comes verò 2. die Octobris, ex carcere dimittitur, non propter innocentiam, ſed Regis clementiam. *Bucch.*

ANNO CHR. 1603.

MOSES Zeclerorum Dux, poſt Tartarorum in Tranſyluaniam incurſionem, etiam ipſe illam vaſtat, qui tamen paulò poſt trucidatur. Imperator tamen ob hoſce motus comitia agit, & auxilia fortia ab imperio impetrat.

ANNO CHR. 1608.

ADOLPHVS Comes Naſſouienſis, cùm negotiorum causâ in itinere eſſet, intercipitur ab Hiſpanis, & occiditur. Hiſpani tamen iſti ferè omnes à ſocijs Comitis occiduntur.

ANNO CHR. 1610.

HENRICVS IV. Rex Galliæ & Nauarræ cognomento *Magnus*, filius *Antonij* Regis Nauarræ, declaratus ſucceſſor ab *Henrico* III. ſcripſit ad Senatum & Ciues Lugdunenſes de intentato ſibi parricidio die 27. Decembris, anno ſalutis 1594. Alterâ horâ (inquit) nec amplius effluxerat poſt reditum meum ab expeditione è Picardiâ, & circumſtabant mihi ſobrini mei, Princeps Condæus, & Comites Sueſſionis, & S. Pauli, cum triginta, aut quadraginta præcipuorum magnatum, & huius aulæ nobilium, qui me adhuc non ſalutauerant, exciperem; adoleſcens

ſcens quidam, *Ioannes Caſtellius* vocatus, corpore breuis, ætatę annorum 18. aut 19. qui cum turbâ in aulam irrepſerat, à nullo ferè obſeruatus, ſubitò irrumpit, vt me cultro, quem manu geſtabat, transfigeret, ſed ictus (quia corpus demittebam, vt prædictos nobiles ſalutandi causâ inclinatos, ſubleuarem) in faciem tantùm ad labij ſuperioris latus dexterum illatus fuit, & vnâ cùm vulnere dentem vnum confregit. Perditus ille ſubitò comprehenſus fuit, & cùm aliquantulum primâ fronte factum abnuiſſet, tandem nullâ vi cogente ſcelus faſſus eſt.

Ioannes ille *Caſtellius* fuit lanifici cuiuſdam Pariſienſis filius, Collegij Claremontani Ieſuitarum ibidem alumnus, qui cùm ſuper hoc facto examinatus eſſet, talem ſententiam à Parlamento tulit: Teneri eum & conuictum eſſe læſæ Maieſtatis tam diuinę, quàm humanæ, ob ſceleratum illud & deteſtabile Parricidium in Regem intentatum, pro cuius criminis expiatione & ſupplicio Curia eum ad pœnam ſequentem damnauit. Initio ſtet antè Valuas primarij Templi Pariſienſis nudus, ſolâ interulâ indutus, & ardentem cereum duarum librarum manu teneat, procidenſque in genua confiteatur, & dicat ſe turpiter & proditoriè inhumanum & abominabile hoc Parricidium committere voluiſſe, Regemque cultro in vultu vulneraſſe, dicat idem ſe falſis & damnandis inſtructionibus, perſuaſionibuſque ad hoc inductum eſſe, vt crederet ſibi permiſſum Reges interficere, & *Henricum IV.* modò regnantem non eſſe membrum Eccleſiæ, priuſquam à Pontifice Max. approbatus fuerit. Factum hoc in ſe deteſtetur, Deum, Regem, & Iuſtitiam oret, vt ſibi ignoſcant. His peractis, in curru obſceno vehatur ad locum ſupplicijs deſtinatum, ibi forcipibus ignitis ſiue candentibus brachia, & pedes eius lacerentur, dextera verò, quâ cultrum, quo facinus perpetrauit, tenuerat, amputetur: tandem quatuor equis alligatum corpus in totidem partes diſcerpatur: partes in ignem conijciantur, & in cineres redigantur, qui in ventum proiecti diſpergantur; bonis eius omnibus fiſco Regio adiudicatis. Antequam autem hæc executio fiat, prædictus *Caſtellius* ordinarijs & extraordinarijs quęſtionibus ſubijciatur, vt ſciatur, quinam eius fue-

fuerint complices, & vt interrogetur de aliis quibuſdam indè dependentibus. Diuulgatâ igitur hac ſententiâ, *Caſtellius* in publicum productus, & iuxtà præſcriptum modum, ſupplicio digno affectus eſt. Quo mortuo, patris eius ædes ſolo æquatæ ſunt, in earundem verò areâ Pyramis, cum monumento ipſius facinoris erecta eſt.

Tandem *Henricus* trium exercituũ apparatu inſtructus, die 13. Maij *Mariam* coniugem apud Sanctũ Dionyſium, coronâ regiâ inſigniri iubet, & inungi, excepturus illam die ſequenti Lutetiæ apparatu magnificentiſſimo. Interim *Franciſcus Rauaillacus*, extremæ dementiæ, & impietatis homo, eius interficiendi conſilium cepit. Illum igitur in rhedâ nactus, Pariſios obambulantem contemplandi cauſâ apparatus, quo Reginam pridiè coronatam exciperet, nefaria & clandeſtina molitione interficit, ictu gemino ſub quintam coſtam illato. Factum die Veneris, qui fuit 14. menſis Maij, cùm vixiſſet annos 57. & regnaſſet annos 22. Sequenti die corpus Regis pręſentibus 14. Medicis, & 11. Chirurgis apertum fuit, in eoque omnes partes tam ſanæ inuentæ ſunt, vt ſine parricidiali hoc ictu Rex diù procul dubio fuiſſet ſuperſtes futurus: Illud quoque facilè patuit, ſi totum corpus fuiſſet quaſi diaphanum & omninò perſpicuum, ictum hunc lethalem certius dirigi non potuiſſe.

Fauente ad Reginæ coronationem apparatu, Mathematicus quidam Reginæ dixit, feſtos hos dies non ſic abituros, ſed in mæſtiſſimos caſus deſituros. Eum cùm Regina à templo S. Dioniſij poſt coronationem vidiſſet, vocatum ad ſe, Iam, inquit, cauſam nullam habes, vt malè augureris, aut ſiniſtri quid timeas, cùm feliciter omnia ſint peracta. At ille; Nondum dies abijt. Quòd ſi falſum dixiſſe deprehendar, è veſtigio libros meos concremabo. Diù ante ab alio fuerat pręmonita de ingenti malo, quod menſis Maius Anni 1610. ipſi eſſet apportaturus: ſed quia nonnemo Aſtrologus falsò prædixerat, in puerperio ſecundæ filiæ morituram, facilè hoc, & alia contempſit. Non deſunt tamen aliæ circumſtantię obſeruatione dignæ, ex quibus Rex ſuum ſibi prędixiſſe malum videtur. Nam eodem die, quo in-

interfectus eſt, finito prandio, Rex cubiculum Reginæ ingreſſus, quamuis animo eſſet læto; ex vultu tamen eius triſtitiæ quædam indicia apparebant, nec reſpondebat animus verbis. Vno loco tenere ſe nequibat, multò minus animum fluctuantem regere, in cuius diuerſâ agitatione Reginæ dixit, vix reperire ſe, quid facere debeat. Armamentarium ſibi viſere quodammodo neceſſe eſſe, ſed ſcire moleſtum fore: vt qui rebus non ita, vt vellet, paratis, non ſine indignatione indè eſſet diſceſſurus. E Reginæ cubiculo egreſſus, in ſuo aliquantiſper hæſit, ſcriptis aliquot lineis, & dato ad edictum quodam reſponſo. Indè ad feneſtram accedens, manu fronti admotâ. *Mi Deus*, inquit, *hîc quidem intus latet aliquid, quod me vehementer turbat*. Indè cubiculo ſuo egreſſus, in cubiculum Reginæ rediit, vbi de rebus magnis cum Cancellario collocuturus, tandem eum ad curiam abeuntem amplexus, *Abi*, inquit, *ego itidem abeo coniugi vale dicturus*. Cùm verò neſcio quid ridiculum, quod poſtridie in templo S. Dionyſij accidiſſet, narraretur, pleriſque omnibus in riſum effuſis, *Ne*, inquit, *die Veneris nimis ridamus, ne ſequenti Dominica plangamus*. Poſtea filios ſuos Duces Aurelianenſem, & Andegauenſem paternè amplexus, inter blanditias celare non potuit, animum ſibi non rectè conſtare, adeòut ad ipſam Reginam diceret: *Neſcio quid mihi ſit. Diſcedere equidem hinc non poſſum.*

E rhedâ aliquando deſcendens, Condæo Principi, & Baroni Chaumontio dixit, prædictum ſibi fore, vt morte violentâ, & quidem in Rhedâ moriatur. Cùm deindè Monceaugio reuertens, per templum S. Mauri, vt Delphinum filium, qui ibi educabatur, videret, iter faceret, ac poſt cœnam Lutetiæ pergere vellet, monitus à quibuſdam, periculoſum eſſe noctu in rhedâ iter facere: melius facturum ſi equo veheretur: *Si quiſquam*, ait, *ego certè à rhedis cauere mihi debeam, vt cui prædictum ſit in rheda moriturum*. Cùm Rex iam Luparâ exire in vrbem ſtatuiſſet, & è feneſtrâ Reginæ cubiculi è domeſticis quæreret, an rheda præſto eſſet, execrabilis ille parricida, auditis his verbis (vti poſtea faſſus eſt) intra dentes murmurans, dixit, *Teneo te. Periiſti*. Antequam autem Rex digrederetur, coniugi ter-

tertio amplexu, & oſculo vale dixit. Et notatum eſt à nonnullis, moram illam quæ ad egreſſum varias ob cauſas interponebatur (quamuis contrà animi ſententiam Reginâ etiam ipſum retinere valdè cupiente) moleſtè admodum tuliſſe: cuſtodiarum Præfectum in Curiam ablegaſſe; huius Legatum ægrum tum decubuiſſe: vexilliferum ad ſupremum Curiæ Præſidem negocij causâ iuiſſe: rhedę velamenta vndiquè reducta & aperta; pallium à Rege depoſitum: pediſſequos aliam inſtituiſſe viam, nec rhedam comitatos: plateam vbi trucidatus fuit, duobus curribus, quorum vnus vino, alter fœno onuſtus erat, quaſi obſtructam, eoque obſtaculo regium vehiculum paſſim quaſi ſufflaminatum, & tandem omninò retentum fuiſſe. Quæ omnia ſceleſto parricidæ, & animum, & modum facilius occidendi Regis dederunt. Nec illud ſilentio prætereundum eſt, Reginam non diu ante Regis mortem duo habuiſſe ſomnia, quæ licet vt plurimum falſa, hęc tamen poſt factum vera præſagia deprehenſa ſunt. Dum enim gemmarij regiam apparant coronam, ſomniauit illa maiuſculos adamantes, & lectiſſimas gemmarum, quas illa è ſuo mundo contribuerat, in margaritas, ſeu vniones (quos ſomniorum interpetres pro lacrymis accipiunt) conuerſos eſſe. Altero ſomnio ita fuit perterrita, vt Rex excitatus, quid rei eſſet, percontaretur. Illa ſomniaſſe ſe neſcio quid dicit: ſed ſomnijs ſcire nullam habendam eſſe fidem. Tecum ſentio, inquit, Rex. Sed quid ſomniaſti? Cùm tergiuerſari amplius non poſſet, ait, ſomniaſſe ſe, ipſi (Regi) cultro grande vulnus inflictum. Laus Deo, ait Rex, quod ſomnium tantùm ſit; ſtatimque rurſus obdormiuit.

Henrico ſucceſſit *Ludouicus Iuſtus*, nouennis ſub tutela Matris Reginę *Mariæ*, & ſequenti Octobri Rhemis ſacro Chriſmate inunctus à Cardinali Ioieuſio, qui eum baptizauerat. *Gaſparus Ens, ex Gallicarum rerum ſcriptoribus. Franciſcus Remondus* S. I. ſic Henricum luget:

Siſte Hoſpes: mora parua tibi eſt hìc namque futura,
Sed reliqua eſt oculis tota tenenda via.
Nobilius toto ne quæras orbe ſepulcrum.

Rex

Rex maior nullo clauditur in tumulo.
Nulla Orco erupit magis impia dextera, quàm quæ
Tam ſanctum potuit contemerare latus.
Nulla tot ex oculis hauſit mors flumina, nullum
Tam mœſtos funus fregit in aſtra ſonos.
Sunt lacrymæ, gelido quas cernis marmore, guttæ
Quantumuis felix, flet tamen ipſe lapis.
Conſocia gemitum, Heu! vitam regni & decus orbis
Sic potuiſſe mori, ſic potuiſſe tegi.

ANNO CHR. 1614.

GABRIEL BATHORIVS Tranſyluaniæ Princeps, à *Bethlehemo Gabor*, qui hactenus in exilio fuerat, apud Sultanum accuſatur: *Bathorius* enim ex vtraque parte tam à Sultano Turcico, quam ab Imperatore infideliter pependerat. Turca igitur dat *Bethlehemo* exercitum, quo Bathorius profligatur, & à ſuis occiditur Waradini, & *Bethlehemus* princeps Tranſyluaniæ conſtituitur menſe Auguſto, qui & Imperatori promittit pacem & fidelitatem. *Annal. Turc.*

ANNO CHR. 1617.

CONCINVS FLORENTINVS Mariſchallus Franciæ, Reginæ matris fauore nimis potens, & criminationibus oneratus; cùm Principes Regni in armis eſſent; proteſtantur ſcripto peculiari, ſe pro defenſione Regni, & Regis arma ſumere, dehortanturque omnes, ne *Concino* aſſiſtant; monetur & Rex ſecretò, ſi regno cadere nolit, omniaque in eo ad pacatum ſtatum reducere cogitet, vt ſine morâ *Concinum* è medio tollere curet. Vocatus igitur die 24. Aprilis in Aulam per Capitaneum Vitryum, & ſatellites Regis, aliquot ſcloporum ictibus interficitur in ipſo aditu, tumultumque indè exortum, Rex ipſe ſuâ voce & auctoritate ſopiuit, & ad arma deponenda omnes in Regno per literas monuit, regnum etiam matre ablegatâ ipſe ſolus arripuit, eiuſque ſtatum ad tranquillitatem reduxit. Ipſo interfecto, eius vxor maleficijs & artibus Diabolicis affatim instructa, è

vc-

Digitized by Google

veſtigio cuſtodię eſt tradita, modiſque omnibus, torturâ etiam examinata, tandem ſententiâ latâ ſuſpendio vitam finiuit, decollata poſtea & in ignem coniecta, in cineres redacta eſt, filio, & fratre mariti in exilium eiectis.

ANNO CHR. 1620.

CONtentione ſubortâ inter duos Barones Bohemos, *Henricum Slauuatam* de Chlum & Koſſemberck, & *Henricum Otta* de wartenbergh, affines, de hæreditate defuncti Baronis Ioannis Alberti Smirſiſcij, cuius ſorores vterque in matrimonio habebat, in eumque finem Commiſſarijs Regijs ad arcem Gitſinenſem dirimendæ litis ergo ablegatis, proque Slauuatâ ſententiam ferentibus, wartenbergij vxor, vtpote cuius maritum Pragam citatus, Arreſto ibi tum detinebatur, oppido & arce cedere iuſſa, ex indignatione milites præſidiarios ad ſui defenſionem incitauit, quorum vnus puluerem tormentarium ex conclaui, in quo plurima iſtius pulueris vaſcula recondita erant, allaturus, cùm fortè fortunâ per incuriam funiculum ignitum pulueri aliquanto propius admouiſſet, arx tota cum omnibus, quotquot in illa erant, in momento quaſi diſiecta, penituſque ſubuerſa fuit, ſubiecto inſuper oppido, non exiguo damno illato.

ERNESTVS LVDOVICVS Dux inferioris Saxoniæ, in vico Aſchauiâ, quatuor milliaribus Lintzio diſtante, à ruſticis occiſus fuit.

ANNO CHR. 1621.

FRIDERICVS Baro *Tieffenbachius*, ſub finem menſis Maij de mandato Cęſaris gladio percuſſus fuit: die autem vndecimo menſis ſequentis, Stylo veteri Pragæ de viginti ſeptem perſonis illuſtribus, Nobilibuſque alijs Primarijs ſupplicium ſumptum, præter eos, qui partim virgis cæſi, partim in exilium profligati fuerunt.

CAROLVS DE MONGAVAL, Comes Bucquoius, ad Neuhuſelium, ſexdecim acceptis vulneribus, & lanceâ confoſſus, occubuit, die 10. Iulij.

AN-

ANNO CHR. 1622.

OSMANNVS Turcarum Imperator, Achmatis filius, mantili ſuffocatus fuit die 22. Iunij, eò quòd Ianizari,& Spahij ſuſpicarentur ipſum velle, nouâ militiâ inſtitutâ, transferre Curiam Damaſcum, eiuſque in locum Patruus *Muſtapha* ſuffectus, quem antea idem *Oſmannus* carceri incluſerat.

FRIDERICVS Dux Saxoniæ Vinarienſis, in prælio inter Hiſpanos & Mansfeldicos ad pagum Fleru in Brabantiâ commiſſo, oppetijt, die 19. Auguſti.

ANNO CHR. 1625.

FRIDERICVS Dux Saxoniæ Altenburgenſis, in pugnâ ad Leynam, propè Hannoueram ſtrenuè pugnans, occubuit, vnâ cum Ioanne Michaele Obentraut, Equite Rhenano, militum Duce à partibus Chriſtiani IV. Regis Daniæ die 24. Octobris.

ANNO CHR. 1626.

PHILIPPVS Haſſiæ Landgrauius, Mauritij filius in prælio propè arcem Lutheram occubuit die 27. Auguſti.

ANNO CHR. 1628.

RVDOLPHVS Chriſtianus, Comes Friſiæ orientalis, Buri in conflictu interemptus fuit, die 28. Aprilis.

ANNO CHR. 1629.

FRIDERICVS HENRICVS Palatinus, Friderici V. primogenitus, aquis ſuffocatus Herlemenſibus, interijt.

ANNO CHR. 1632.

GVSTAVVS II. Adolphus, Rex Sueciæ, filius Caroli IX. ab Ingolſtadij oppugnatione clade acceptâ,& amiſſis aliquot Ducibus abſiſtit; ſed menſe Maio ceſsêre illi, Lãdisberga Landiſutha, Friſinga, Monachium, vbi inter 140. bombardas, vna reperta eſt

eſt plena 30. millibus aureorum. *Pappenehimus* Haſſiam depopulatus, & Thuringiæ imminens, ab Iſabellâ Regente in Belgium euocatur menſe Iulio, vbi Dedeſtadium captum munitionibus ſpoliat, ſed fruſtrà conatur repellere fœderatos ab obſidione Traiecti, quod die 13. Auguſti dedit ſe illis. Die verò 3. Septembris, acris, ſed anceps pugna fuit inter Regem *Guſtauum*, & *D. Firdlandiæ* ad Norimbergam; *Holckius* Cæſari Dux Lipſiam Kal. Nouembris ad ſe dedendam impulit: *Fugerus* Landisbergam recuperauit; *Pappenehimus* ex Belgio redux aliquot Saxoniæ locis potitus eſt; quarè Guſtauus poſſeſſionem Saxoniæ prælio decernendam ratus die 15. Nouembris ad Lutzenam oppidulum prælio prælusit: poſtridiè verò prælio atrociſſimo, vſque ad horam diei decimam protracto, *Guſtauus* Rex, ſuperueniente Pappenehimo vltimum vulnus paſſus expirauit annos natus 38. Ita concidit moles illa vaſtiſſimæ ambitionis, quæ ſibi Orbem deſtinarat; continuato tamen certamine in noctem, ipſe quoque *Pappenehimus* circà horam octauam cum ſanguine bellacem effudit animam. Reliquit Guſtauus *Chriſtinam* vnicam filiam, quam genuit ex Maria Eleonora Brandeburgica, & cùm tantùm ſeptennis eſſet, ſub tutelâ Alexij Oxenſtemij magni Cancellarij conſtituit. Igitur hęres regni facta, anno 1633. die 4. Martij Regina publicè proclamata eſt. Anno 1635. inducias annorum 26. cum Rege Poloniæ, & anno 1645. quo rectionem Regni aggreſſa eſt, perpetuam pacem cum regno Danię pacta eſt: ſed feliciore conſilio anno 1655. pace cum ſupremo Cœli, Terręque Rege initâ, Catholicam fidem amplexa eſt *Alexandro* VII. Summo Pontifice, renuncians regnum Carolo X. Poſt hæc Romę degens, piè & catholicè vltimum emiſit ſpiritum die 19. Aprilis, anno 1689. Sepelitur in Vaticano iuſſu Innocentij XI. Summi Pontificis.

ANNO CHR. 1649.

CAROLVS I. Stuardus Magnæ Britanniæ Rex, filius *Iacobi VI.* à Parlamentarijs operâ *Farfaixi*, & *Cromuelis* per viliſſimos, & omni ſcelere inquinatos Iudices damnatus, quòd

fouiſſet rebellionem Hibernenſium, conſpiraſſet cum Catholicis contrà Proteſtantes, arma mouiſſet contrà Parlamentum, violaſſetque Regni leges, quantumuis eo conteſtante, ſe non poſſe ab alio, quàm à Deo iudicari, die 10. Februarij ductus eſt ad ſupplicium, incedens inter milites, ſeu ſatellites feſtinanter; aiebat enim ſe feſtinare ad certamen, ex quo ſperabat coronam immortalem. Infame ac inauditum ſpectaculum Londini viſum: nam quod in alijs etiam maximè barbaris Nationibus inditus eſt amor erga Reges ſuos, pro quibus, opes, & ſanguinem ipſum, vt incolumes conſeruentur, profundere non timent; ſolùm Londini viſi ſunt Anglorum oculi ſinè lacrymis ſpectare ſanguinarium, & ferale theatrum ante Palatium regium extructum, quo ſubditi latâ in Regem ſuum ſententiâ, in quem nullum ius, nullamque auctoritatem habebant, eumdem capitis damnarunt, & ſecuri per lictorem transfuerberarunt. Obierit nè hæreticus, an, vt quidam retulêre Catholicus, Deus nouit: pluribus enim viſus eſt nimis obſurduiſſe inſpirationibus Diuinis, & Conſilijs Nunciorum Pontificiorum de Catholicâ Religione profitendâ. Monarchiâ extinctâ, Camera inferior abrogauit Cameram ſuperiorem. Scoti & Hibernenſes acclamarunt Regem Scotię, & Hiberniæ *Carolum* II. filium *Caroli* necati. *Farfaix* videns *Cromuelem* pluris quàm ſe fieri, receſſit Londino ineunte Decembri. *Asham* Legatus Angliæ ad Hiſpanum, trucidatur Mantuę Carpentorum ex inſidijs. *Montroſius* regiarum partium per Scotiam crudeli marte ſæuit, vincitur, capitur, damnatur, & in partes ſecatur, antequam ſe *Carolus* II. Scotis coronandum ſiſteret. Plurà de his habentur in *Theatro Tragico Londinenſe*. Carolus II. Rex à Scotis coronatus anno 1651. venit in Angliam, & ad Vuorceſtriam cum Cromuelo confligens profligatur, & mutato habitu fugit Londinum, & indè in Galliam. Anno verò 1660. Reges Chriſtianiſſimus, & Catholicus promittunt Regi Angliæ reſtitutionem in regnum, dummodò pro impenſis belli cedat Gallo Scotiam, Hiſpano Hiberniam; Londini diſcutiuntur conditiones Regi *Carolo* proponendæ, antequam reuocetur;

&

Digitized by Google

& Gubernator Duncherchę iubet in foro proclamari; *Viuat Carolus II. Rex Magnæ Britanniæ.* Aprili menſe Parlamentum Londini, exercitus capita, & Metropoles conſentiunt reſtitutioni Caroli in Regnum eâ conditione, vt parcat etiam parricidis *Caroli I.* nec ducat vxorem diuerſæ Religionis à Proteſtantibus, reliquatque in ſuo vigore edictum contra Catholicos, nec Gallos, Hiſpanoſue in regnum introducat, celebreturque in Eccleſijs ritu Scotico; eidemque pro annuo redditu promittuntur 80. mille libræ ſterlingæ. Igitur Carolus Rex ingreſſum ſuum in Angliam conſtituit ad diem 8. Maij, ſibi natalitium; Parlamentum capite mulctat ſeptem primarios complices parricidij in Carolum I. & Cromuelis oſſa extumulata iubet comburi; reliquorum bona proſcribit, quos inter *Ongleſius* ad Regem pro veniâ confugit. Reſpondet Rex, effuſionem ſanguinis vnius Regis tale parricidium eſſe, vt ad vltionem obliget potius eius ſubditos, quàm filios. Porrò Regis huius literæ lectæ fuerant in Parlamento nudis capitibus, fueratque ibi proclamatus Rex cum ſonitu campanarum, & exploſione bombardarum: quando autem ingreſſus eſt die 8. Londinum annos natus 30. præceſſerunt prætoriani milites 2000. & ſubſecuti equites 1500. Magiſtratu purpurato obuiam eunte, & populo genua flectente. Vtinam etiam *Iacobus* Caroli II. frater, & in regnum legitimus ſucceſſor, nunc profugus, eandem apud inſtabilem populum illum probet fratris ſortem, qui ſimile expertus eſt infortuniū.

ANNO CHR. 1670.

COmites *Serini*, *Nadaſti*, *Frangipani*, & *Ioannes Ferdinandus Tettenbachius* accuſantur conſpirationis aduerſus Cæſarem: ideò carceri includuntur, vt capitis ſupplicium ſubeant.

ANNO CHR. 1674.

DVx *Robanaus* in Galliâ quòd improbaſſet euocationem nobilium, & Vaſſallorum Gallicorum à Rege factam, in carcere conijcitur, & capitis ſupplicium ſubire iubetur.

ANNO CHR. 1675.

COmes *Turennius*, celeberrimus Gallorum Dux, à Comite Montecuculo exercitus Cęſariani Duce, in pugnâ occiditur, cui Rex Galliæ, funus in Regium Sacellum reponi iubet, additâ magnificâ inſcriptione.

ANNO CHR. 1682.

MAGNO Duce *Moſcouiæ* veneno ſublato, poſt multas turbas & cædes, duo eius filij relicti, de imperio diuidendo inter ſe conſentiunt.

Atque hic Tragicorum euentuum, Infelicitatiſque Principum finis eſto. Faxit Deus, vt Regnantes Principes, ex aliorum infelicitate felices, & ex ſuorum Anteceſſorum periculis cauti fiant; ità vt quæ illis ſæpè ſępius, Deo vindice in pœnam euenit, ipſis ſit in exemplum, vt ità precor, ac exopto.

Vos ego nunc moneo felix quicumque dolore
Alterius diſces poſſe carere tuo. Tibull. 3.6.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX SECVNDÆ PARTIS

Numerus indicat paginam.

A

Baga Cham Tartarus. pag. 258.
Abarca Rex Nauarræ & Vaſconum. 193.
Abdelmelechus. 246.
Abderachman Rex Perſarum. 165.
Abel frater Henrici Danorum Regis. pag. 249.
Abubalas Dux Saracenorum in Perſia. pag. 172.
Achmetes Selymi I. Turcarum Regis frater. 319.
Acliulphus. 115.
Actiolinus Patauinorum Tyrannus. 241
Adelbaldus Northumbriæ Rex in Anglia. 175.
Adelbertus Bardo Lucæ Marchio. 190.
Adelheidis Regina Italiæ. 194. 198.
Adbeſir Perſarum Rex. 156.
Adolphus Comes Naſſouienſis. 353.
Adolphus Naſſouienſis XXIII. Germanorum Imperator. 262.
Æmylia Lepida. 12.
Æmilianus Tyrannus. 72.
Ætius patricius Romanus. 110.
Agila Gothorum Rex. 138.
Agilulphus Rex Longobardorum. 147.
Agrippa Rex. 18.
Agrippina Germanici coniux. 11.
Agrippina Germanici filia. 22.
Agrippina Neronis mater. 24.
Aio Dux Beneuentanus. 157.
Aiſtulphus Longobardorum Rex. 173.
Alachis Dux Tridentinus. 164.
Aladolus Rex Tauri montis. 320.
Alarinus Regulus. 315.
Alaricus Gothorum Rex. 127. 134.
Alberon Comes. 201.
Albertus I. Auſtriacus XXXIV. Germanorum Imperator. 262. 264.
Albertus Bambergenſis Comes. 189.
Albertus Comes. 183.
Albertus Imperator Moſellanorum. pag. 209.
Albertus Marchio Brandeburgenſis. pag. 332.
Albertus Saxoniæ Dux & Elector. pag. 287.
Albinus Imperator. 45.
Alboin Longobardorum Rex. 139.
Albuinus Comes. 188.
Alexander Medices Etruriæ Dux. 330.
Alexander Scotiæ Rex. 261.
Alexander Ruuenas Comes. 352.
Alexius Angelus Orientis Imp. 234.
Alexius Comnenus Orientis Imp. 225.
Alexius Patriarcha. 204.
Almaricus Hiſpaniarum Rex. 131.
Alphonſus Rex Hiſpaniæ. 192. 213.
Alphonſus Arragoniæ & Vaſconum Rex. 217. 219.
Alphonſus Rex Legionum in Hiſpania. pag. 202.
Alphonſus Portugalliæ Regis filius. pag. 311.
Alpinus Scotiæ Rex. 183.
Altfridus Northumbrorum Rex in Anglia. 163.
Aluarus. 298.
Amalaſuenta Athalarici Regis Gothorum mater. 131.

Am-

Amningus Pictauienſis Comes. 173.
Amurates primus Turcarum Rex. III. 279.
Amurates ſecundus Turcarum Rex VIII. 295.
Amurates tertius Turcarum Imperator. 343.
Anaſtaſius Artemius LXVII. Romanorum Imperator. 171.
Anaſtaſius Dicorus LVI. Romanorum Imperator. 128.
Anaſtaſius Patricius. 206.
Andragathius. 98.
Andreas Hungarorum Rex. 208. 210.
Andreas Rex Hieruſalem & Siciliæ. pag. 267.
Andronicus Comnenus Orientis Imperator. 227.
Andronicus Conſtantini Ducæ frater. pag. 212.
Anicius Olybrius. 120.
Anna Bolena Eliſabethæ Angliæ Reginæ mater. 330.
Anneus Memorantius. 339.
Anſeginus gener Pipini. 159.
Antenor Sicambrorum Rex. 24.
Antharit, ſiue Autharis Rex Longobardorum. 147.
Anthemius. 119.
Antonius Baſſianus Caracalla XXII. Rom. Imperator. 48.
Antonius Dux Brabantię. 286.
Antonius Borbonius Dux Nauarraus. pag. 336.
Antonius Volaterranus. 307.
Anulus. 180.
Apſimarus Cobyrrhaitarum Drungarius pag. 166. 167.
Arbogaſtes. 100.
Arbetio Conſul. 90.
Argon frater Mahumed Cham. 260.
Aripertus Rex Longobardorū. 159. 169.
Arminius Dux Germanorum. 9.
Arnoldus Comes de Blanckenheim. 272.
Arnulphus Hollandiæ Dux. 200.
Aruandus præfectus Galliæ. 118.
Aſtor Manfredus. 313.
Atenulphus Capuæ Princeps. 199.
Athanagildus Gothorum Rex. 138.
Athenodorus Princeps. 125.
Athaulphus Gothorum Rex. 104.
Attila Gothorum Rex. 107.
Auitus Theodorici Gothorum Regis legatus. 114.
Augerius Griſſenius Busbequius. 350.
Auguſtinus Landus. 332.
Aulus Vitellius IX. Romanorum Imperator. 31.
Aurelius Alexander Seuerus XXV. Romanorum Imper. 54.
Aurelius Commodus XVIII. Romanor. Imper. 39.
Aurelius frater Froiolæ Regis Legionum. 174.
Aureolus Tyrannus. 70.
Aurona ſoror Luitprandi. 169.
Azanis Sultanus. 212.

B.

Baiazetes I. Turcarū Rex IX. 281.
Baiazetes II. Turcarum Rex X. pag. 317.
Baldac Turcarum Rex. 218.
Baldericus frater Herminfridi Regis Herulorum. 127.
Balduinus Rex Syriæ. 217. 220.
Balduinus Flander Orientis Imperator. pag. 235.
Balduinus Securus Flandriæ Dux. 217.
Baldus Rex Perſarum. 130.
Baliſta Tyrannus. 71.
Bardanes Dux. 178.
Bardus Orientis Imperij moderator. 184

Baſiliſcus Imperator. 121.
Baſilius Caſar. 185.
Baſilius filius Leonis Armeni Imper. pag. 182.
Baſilius Macedo Græcorum Auguſtus. pag. 189.
Bela Rex Hungariæ. 226. 245.
Berengarius Italiæ Rex. 191.
Beorgor Rex Alanorum in Gallia. 117.
Beringerus Comes Dallenſtadius. 201.
Bernabo Dux Mediolanenſis. 276.
Bernardus Bandinus. 307.
Beroaldus Rex Friſiæ. 156.
Bertaridus Longobardorum Rex. 159.
Bertarius frater Herminfridi Regis Herulorum. 127.
Bertarius Maiordomus Theodorici Regis Franciæ. 164.
Bethlehemus Gabor. 358.
Bironius Mareſcallus regni Gallici. pag. 353.
Blanca Grantiæ Regina. 273.
Bleda frater Attilæ Regis Gothorum. pag. 107.
Blitildis Regina Franciæ. 163.
Boamundus Antiochiæ Princeps. 219.
Bodiccus Britannorum Comes. 142.
Boleslaus Pedicus Poloniæ Princeps. pag. 240.
Bonifacius Marchio. 334, 335.
Bonoſus Dux militum. 79.
Bothuelius. 238.
Bretislaus Dux Bohemiæ. 216.
Brigantinus Dux. 308.
Britannicus filius Claudij Imp. 24.
Brunechildis Francorum Regina. 141. 142. 143. 155.
Bruno Dux Brunſuicenſis. 210.
Burchardus gener Henrici Ducis Bauariæ. 194.

C

Cabades Rex Perſarum. 129.
Cælius Balbinus. 57.
Cæſar Borgia. 312.
Caius Caligula IV. Romanor. Imp. 15.
C. Galba. 12.
C. Valerius Licinius. 86.
Calipha Ægypti. 224.
Callinicus Patriarcha. 165. 168.
Calo Ioannes Imperator Orientis. 220.
Calocarus Rex Cypri. 88.
Calpurnius Piſo. 26.
Camillus Vitellius. 312.
Caraba Rex Gothorum. 77.
Canabus. 234.
Canutus Rex Daniæ. 238.
Capelianus Mauritaniæ Præſes. 57.
Caraʒies Europæ Dux. 301.
Carauſius. 82.
Carcarius Patauij Dominus. 284.
Carduella Britonum Dux. 157.
Carinus. 81.
Carolomannus Rex Galliæ. 187. 188.
Carolus I. Stuardus Magnæ Britanniæ Rex. 361.
Carolus II. Magnæ Britanniæ Rex. pag. 363.
Carolus Siciliæ Rex. 258.
Carolus III. Rex Siciliæ. 274. 277.
Carolus frater Ludouici Regis Galliæ. pag. 270.
Carolus filius Caroli Regis Galliæ. pag. 287.
Carolus VIII. Rex Francorum. 312.
Carolus IX. Galliæ Rex. 335. 342.
Carolus Amitinus Regis Danorum filius. 217.
Carolus Audax Burgundiæ Dux. 306.
Carolus Borbonius Princeps. 328.
Carolus V. Germanor. Imper. 186.

Ca-

Carolus Comes Andegauenſis. 258.
Carolus Comes Flandriæ. 218.
Carolus Dux Lotharingiæ. 200.
Carolus Princeps Condæus. 341.
Carolus Magnus. 177. 180.
Carolus de Mongaual Comes Bucquo-ius. 359.
Carolus ſimplex Rex Francorum. pag. 188. 191.
Carolus Sueſſonum Comes. 341.
Catharina Angliæ Regina. 330.
Catharina Sfortia. 314.
Catharina Vrbini Ducis filia. 350.
Celſus Nigrinus. 37.
Celſus Tyrannus. 73.
Cenſorinus Tyrannus. 74.
Cenulphus Merciorum in Anglia Rex. pag. 177.
Chaganus Rex Auarum. 148.
Charegiſilus. 142.
Chaſſius Charea. 17.
Chareus 18.
Childebertus Francorum Rex. 148.
Chilpericus Francorum Rex. 122. 145.
Chilpingus Auernenſis Comes. 173.
Chramnus. 139.
Chronobus Britonum Dux. ibid.
Chriſtianus Bruck. 339.
Chriſtianus IV. Rex Daniæ. 360.
Chriſtophorus. Comes Palatinus Rheni. pag. 343.
Ciccus Calaber. 305.
Claudius Tiberius Nero III. Romanorum Imperator. 13.
Claudius Tiberius Druſus V. Romanorum Imperator. 21.
Claudius Domitius Nero VI. Romanorum Imperator. 28.
Clepus Longobardorum Rex. 141.
Clochiliachus Danorum Rex. 127.
Clodia Virgo Veſtalis. 49.
Clodius Pupienus Maximus. 57.
Clodomirus Rex Francorum. 86.
Clodouæus I. Francorum Rex. 86. 90.
Clotharius Rex Francorum. 139.
Cnutus Daniæ & Angliæ Rex. 202.
Cocceius Nerua. 11.
Commentiolus. 151.
Comnenus Alexius. 227. 232.
Concinus Florentinus Mareſchallus Franciæ. 358.
Confidius Proculus. 10.
Conobaldus Aquitaniæ Rex. 139.
Conradinus. 250. 252. 254. 256.
Conradus Comes Franciæ. 189.
Conradus Tertius XXI. Germanorum Imperator. 223.
Conradus Quartus XXVII. Germanor. Imperator. 249.
Conradus Comes Zeringenſis. 218.
Conradus Friderci II. Imperator. filius nothus. 256.
Conradus gener Othonis Imperatoris. pag. 194.
Conradus Glogouienſis Dux. 261.
Conradus Kaufungus. 298.
Conſtans Secundus LXVI. Romanorum Imperator. 162.
Conſtans Conſtantini Magni filius. 88.
Conſtantia vxor Mauritij Imperatoris. 148.
Conſtantiniana ſoror Conſtantij. 90.
Conſtantinus Magnus 84. & ſeqq.
Conſtantinus ſecundus XLIV. Romanorum Imperator. 88.
Conſtantinus Tertius LXIV. Romanorum Imperator. 157.
Conſtantinus Sextus LXXVII. Romanorum Imperator. 175.
Conſtantinus filius Romani Imperatoris. 193.
Conſtantinus Monomachus Orientis Imperator. 207.
Conſtantinus Orientis Imperator. 194.

Conſtantinus Scotiæ Rex. 186.
Corbulo. 27.
Corcbutes Selymi I. Turcarum Regis frater. 319.
Cornelius Sabinus. 17.
Coron Romæ Præfectus. 135.
Coſrhoes Perſarum Rex. 155.
Criſpus Conſtantini Magni filius. 87.
Cromuelis. 361.
Crotildis coniux Chilperici Francorum Regis. 122. 130.
Cunibertus Longobardorum Rex. 161. 164.
Cunimundus Gepidarum Rex. 134. 140.
Crumus Bulgarorum Princeps. 179. 180.
Cutradus Rex Cantuariorum, 177.

D

Dacco. 144.
Dauid Regis Scotiæ filius. 281.
Dauid frater Leolini Principis Vualliæ. 260,
Dauid Baumgartnerus. 339.
Dauid Imperator Trapezuntij. 302.
Decebalus Rex Dacorum. 37.
Decius XXXI. Romanorum Imperator. 62.
Diadumenus Macrini filius. 52.
Didius Iulianus XX. Romanorum Imperator. 44.
Dinzio Attilæ filius. 119.
Diogenes Dux militum. 212.
Ditericus Marchio Miſniæ. 246.
Domitia vxor Valentis Imperatoris. pag. 96.
Dracolenus. 144.
Druſus Tiberij filius. 10.
Druſus filius Germanici. 11.
Duglaſſius Comes in regno Scotiæ. 295.
Dunſtanus Rex Scotiæ. 215.

E

Ean Rex Scotorum. 154.
Eanfridus Rex Northumbrorum in Anglia. 156.
Eberhardus Comes Vuirtenburgenſis pag. 279.
Eberhardus Palatinus. 193.
Ebroinus Maiordomus Neuſtriæ. 164.
Ebulus Comes. 268.
Ecbertus Marchio Saxoniæ. 214.
Edbertus Cantuariorum in Anglia Rex. pag. 172.
Edelbertus Rex *Cantuariorum.* 177.
Edelredus Rex *Angliæ.* 197.
Edualdus Merciorum Rex *in Anglia.* p. 172. 173.
Edilfredus Rex *Nordanimbrorum* pag. 154. 155.
Edmundus Angliæ Rex. 193.
Edmundus Orientalium Anglorum Rex pag. 185.
Edredus Angliæ Rex, 193.
Eduardus Rex *Angliæ.* 191. 197. 266. 269. 304. 333.
Eduardus Dux Geldriæ. 274.
Egbertus Danorum Rex. 185.
Egbertus Dux Branſuicenſis. 210.
Egfridus Northumbrorum Rex in Anglia. 163.
Eleutherius Exarchus in Italia. 155.
Elmuſtein. 186.
Elmutan Sultanus Aegypti. 245.
Enricus Auguſtanus Epiſcopus. 199.
Erhardus Saxoniæ Marchio. 201.
Ericus Orientalium Saxonum Rex. pag. 191.
Ericus Dux Foroiulienſis. 177.
Eridicus frater Theoderici Regis Go-

Digitized by Google

thorum. pag.116.
Erneſtus Dux Alemaniæ.203.
Erneſtus Dux Auſtriæ. 213.
Erneſtus Dux Sueuiæ.201.
Erneſtus Ludouicus Dux inferioris Saxoniæ.359.
Ethus Scotiæ Rex. 186.
Etuuinus Scotorum Rex.174.
Euaricus Gothorum Rex. 117.
Eucherius. 103.
Eudinus Rex Northumbrorum in Anglia. 156.
Eudocia Auguſta. 106.
Eudoxia Auguſta. 211.
Eudoxia Theodoſii vxor.114.
Eugenius Scotorum Rex.97.174.
Eutropius. 101.

F

Fabius Maximus Conſularis.5.
Farfaix. 361.
Fauila Dux Cantabriæ. 164.
Fauſta Conſtantini vxor.87.
Fauſtina Antonini Imp.filia.39.
Ferdinandus Caſtellæ Rex. 205. 239. 266.
Ferdinandus Dux Albanus. 341.
Ferdinandus Gonzaga. 332.
Ferdinandus Hungariæ & Bohemiæ Rex.327.
Ferrandus Rex Neapolis.309.
Flambertus.191.
Flauius Domitianus XII. Romanor. Imperator. 34.
Flauius Sabinus Conſul. ibid.
Flauius Gratianus XLVIII. Romanorum Imperator.98.
Florentinus Comes Hollandiæ. 210. 224. 262.
Florianus Taciti frater.79.
Fonteius Agrippa.33.
Franciſcus Rex Galliæ. 335.
Franciſcus Alenconius Dux Brabantiæ. 348.
Franciſcus Borbonius Princeps Contiacus. 341.
Franciſcus Buſſonius. 290.
Franciſcus Dux Guiſius.336.
Franciſcus Eſtenſis. 334.
Franciſcus Maria Dux Vrbini.324.
Franciſcus Pactius. 307.
Franciſcus Rauaillacus. 355.
Franciſcus Sfortia Dux Mediolanenſis. 325.
Franciſcus Saluiatus Archiepiſcopus Piſanus. 307.
Franciſcus Vrſinus Grauinæ Princeps. pag. 313.
Frangipanus Comes.362.
Frauita Comes Rauennæ.121.
Fredegundis Francorum Regina.142.
Fridericus Secundus Siciliæ Rex. XXVI Germanorum Imperator.246.
Fridericus Barbaroſſa XXII. Germanorum Imperator.229.
Fridericus Dux Auſtriæ.245.
Fridericus Dux Sueuiæ. 219.
Fridericus Baro Tieſſenbachius.359.
Fridericus Comes Iſenburgius. 240.
Fridericus Dux Saxoniæ Altenburgenſis. 360.
Fridericus Dux Saxoniæ Vinarienſis. ibid.
Fridericus Henricus Palatinus.ibid.
Froiola Rex Legionũ in Hiſpania. 174.
Froiola Rex Hiſpaniæ.192.
Frumarius Sueuorum in Hiſpania Rex. pag. 115.
Fulco Rex Hieroſolymis.219.

G

Gabriel Bathorius Tranſiluaniæ Princeps.358.

Ga-

Gabriel Mongomerius Comes. 335.
Gailenus. 144.
Gaina Dux Arcadij. 102.
Galeatius Maria Sfortia Dux Mediol. pag. 305.
Galla Placidia ſoror Honorij. 105.
Gallus Cæſar frater Iuliani Apoſtatæ. pag. 90.
Garibaldus Dux. 106.
Garſias Caſtellæ Comes. 202.
Garſias Vaſconum Rex *in Hiſpania*. pag. 209. 222.
Garſias Sanctius Rex *Nauarræ*. 193.
Gaſto Comes Fuxenſis. 304.
Gaſto Foiſſæus Dux Nemorenſis. 319.
Geiſericus Vvandalorum Rex. 105.
Gemes, *ſeu Zizimus Mahumetis II. filius*. 311.
Genſericus Gothorum Rex. 105.
Georgius Dux Megapolitanus. 332.
Georgius Princeps Moſconiæ. 244.
Gerardus Comes Montenſis. 272.
Germanicus Caligulæ Imperat. pater. 8.
Germanus Theodoſii ſocer. 151.
Geroldus Bauariæ Dux. 177.
Gerontius Dux Honorij. 104.
Gertrudis Regina *Hungarorum*. 239.
Gibellini. 253.
Gildo. 101.
Giſalaricus Rex *Gothorum in Hiſpania*. 127.
Giſebertus Baro Batenburgius. 341.
Giſelbertus Palatinus. 193.
Giſulphus. 148.
Gloceſtriæ Dux in Anglia. 295.
Godebertus Longobardorum Rex. 159.
Godefridus Daniæ Rex. 177.
Godefridus Lotharingiæ Dux. 209.
Godigiſilus frater Gundobagi Burgundiorum Regis. 126.
Godomarus Rex *Francorum*. 130.
Gozelus Lotharingius. 205.
Granius Martianus Senator. 12.
Gratianus Imperator in Britannia. 103.
Gregorius filius Leonis Armeni Imperator. 182.
Grimoaldus Longobardorum Rex. 163.
Grimoaldus Pipini filius. 170.
Grindio. 144.
Gripho Comes Neuſtriæ. 173.
Gubazes Rex *Laziorum*. 137.
Guelfi. 253.
Guido Rex *Hieroſolymorum*. 232.
Guido Vbaldus Feltrius. 314.
Guilielmus Rex *Siciliæ*. 227.
Gundamundus Francorum Rex. 123.
Gundebaldus Francorum Rex. 122.
Gundericus Vvandalorum Rex. 105.
Guntheramnus Rex *Aureliæ*. 144. 145.
Guſtauus II. Adolphus Rex *Sueciæ*. pag. 360.

H

HAbdalla *Dux Saracenorum in Syria*. 173.
Haidar Rex *Perſarum*. 343.
Halberſtetes Rex *Daniæ*. 219.
Hali Rex *Arabum*. 159.
Haraldus Rex *Angliæ*. 211.
Haraldus Danorum Rex. 194. 198.
Haraldus Noruegiæ Rex. 211.
Hatto Archiepiſcopus Moguntinus. 190
Hazanes Baſſa Boſnenſis Tyrannus. 351
Heinricus Dux Lignicenſis. 261.
Helena mater Conſtantini. 87.
Heliogabalus. Vide Marcus Antoninus.
Heluius Pertinax XIX. Rom Imp. 42.
Hemmingus Danorum Rex. 180.
Henricus Angliæ Rex. 228.
Henricus Borbonius Princeps Condæus pag. 341. 349.
Henricus Caſtellæ Rex. 239. 380.
Henricus Comes Louanienſis. 216.

Henricus Comes Richemontiæ.309.
Henricus Danorum Rex.249.
Henricus Dux Tartarorum.245.
Henricus II. Rex Galliæ.335.349.
Henricus IV. Rex Galliæ. 353.
Henricus Tertius cognomento Niger, XVII. Germanorum Imp. 209.
Henricus Sextus XXIII. Germanor. *Imperator*.232.
Henricus filius Friderici Secundi Imperator.249.
Henricus filius Ioannis Lancaſtri.280.
Henricus Landgrauius Thuringiæ.245. 252.
Henricus Otta de Vvartenberga Baro Bohemus.359.
Henricus Stuardus Rex Scotiæ.338.
*Heracleonas LXV.*Romanor.*Imp*.158.
Heraclianus. 153.
Heraclianus Africæ Comes. 104.
Heraclius Imperator.153.154.155.
Herbertus Comes Viromandenſis. 191.
Herennianus Tyrannus.73.
Herinerus Francorum Rex.11.
Herioldus. 180.
Heriuens Remenſis *Epiſcopus*.191.
Hermannus Dux Luzelburgenſis. 214.
Herminfridus Rex *Herulorum*.131.
Hermintrudis Imperatrix.187.
Hieronymus à Brendeſtein. 339.
Hildericus Rex *Auſtraiſiorum*.159.
Hildericus Rex *Franciæ*. 163.
Hincmarus Remenſis *Archiepiſcopus*. *pag*.188.
Honorius Imperator.101.
Honoricus Rex *Vvandalorum*.123.
Hormiſda Perſarum Rex.146.
Hugo Comes Tiberiadis.216.
Hiſmael Sophus Rex *Perſarum*.318.

I

I*Acobus I.* Rex *Scotiæ*.292.
*Iacobus III.*Rex *Scotiæ*.310.
Iacobus IV. Rex *Scotiæ*.310.320.
Iacobus V.Rex Scotiæ.320.
Iacobus Aragoniæ Rex.239.
Iacobus Rex Siciliæ.260.
Iacobus Pactius. 307.
Iacobus Perſarum Rex.309.
Iacobus Sanctacrucius.314.
Iacobus de Vicouarijs Venetorum Dux.323.
Ianicula Vvalachiæ Regulus.347.
Ibrabim Baſſa.329.
Iezdegirdus Perſarum Rex.137.
Ildobaldus Gothorum Rex. 134.
Imin Amiras Saracenorum. 180.
Ingenuus Tyrannus.69.
Ioachimus II.Elector Brandeburg.341.
Ioanna Regina Siciliæ. 269. 275.
Ioanna Suffolcia.333.
Ioannes Arragoniæ Rex. 280.
Ioannes Rex Bohemiæ.270.
Ioannes Dux Brabantiæ.261.
Ioannes Dux Bulgariæ.201.
Ioannes Burgundiæ Dux.284.
Ioannes Cantabriæ Rex.315.
Ioannes Caſtellæ Rex.280.
Ioannes Caſtellius.354.
Ioannes Comes Arenbergius.340.
Ioannes Dudleus Northumbriæ Dux. pag. 333.
Ioannes Exarchus in Italia.154.
Ioannes Ferdinandus Tettenbachius Comes.362.
Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ.338.
Ioannes Galeatius.277.
Ioannes Georgius Elector Brandeburgenſis. 341.
Ioannes Hunniades Hungariæ Prorex.

rex. pag. 292. 299.
Ioannes Manfronus Venetorum Dux. pag. 323.
Ioannes Medices. 324.
Ioannes Paulus de Balleonibus. 322.
Ioannes Portugalliæ Rex. 308.
Ioannes Rauennæ Exarchus. 170.
Ioannes Rota Comes Caſertæ. 253.
Ioannes Sfortia. 314.
Ioannes tutor Hollandiæ. 289.
Ioannes Zimiſces Orientis Imperat. 197
Ionathan Summus Pontifex. 20.
Iothatines Sultanus Atalię Princeps. pag. 237.
Iouinianus, vel Iouianus XLVI. Romanorum Imperator. 93.
Iouinus in Hiſpania Imperator. 106.
Irene Imperatrix. 175. 177.
Iſabella Hieroſolymorum Regina. 232.
Iſaacius Angelus Orientis Imperator. 227. 231.
Iſaacius Exarchus. 158.
Iſdigerdes Rex Perſarum. 107.
Iſmael Rex Perſarum. 343.
Islan Tartarorum Chamus. 348.
Iulauerus Perſarum Rex. 309.
Iulia filia Auguſti. 13.
Iulia Mammæa mater Seueri Imperatoris. 55.
Iulianus Apoſtata XLV. Romanorum Imper. 91.
Iulianus Mediceus. 308.
Iulius Maximinus Thrax XXVI. Romanorum Imperator. 56.
Iulius Nepos Imperator. 122.
Iulius Sabinus. 33.
Iunius Siluanus Proconſul Aſiæ. 24.
Iuſtina Valentiniani II. mater. 99.
Iuſtinianus Imperator. 136. 137.
Iuſtinianus Secundus LXVIII. Romanor. Imp. 165.
Iuſtinus cognatus Iuſtini Imp. 130.

K

Kennutus II. Scotiæ Rex. 183.

L

Ladislaus Hungariæ Rex. 292.
Ladislaus Rex Poloniæ. 261.
Lambertus Rex Italiæ. 190.
Lamoralus Comes Egmundanus. 341.
Landulphus Capuæ Princeps. 199.
Lanthilaus, ſiue Ladislaus Rex Neapolis. 285.
Laurentius Mediceus. 307. 330.
Laurentius Teupolus. 342.
Lazarus Bulcus Seruiæ Deſpota. 279.
Lentulus Getulicus. 11.
Leo Armenus Byzantinus Imperator. pag. 180.
Leolinus Princeps Vualliæ. 260.
Leontia vxor Phocę Imperat. 153.
Leontius LXIX. Romanor. Imp. 156.
Leopoldus Dux Auſtriæ. 278.
Leopoldus Pulcher Dux Auſtriæ. 213.
Leſcus Albus Polonię Princeps. 240.
Leudeſius Maiordomus Franciæ. 163.
Liberottus Firmanus. 313.
Licinius. 85. 86.
Liuba Hiſpaniæ Rex. 151.
Liuia coniux Auguſti. 5.
Locuſta mulier venefica. 23.
Lollia Paulina. 16.
Lollianus Tyrannus. 67.
Longinus Exarchus Rauennæ. 141.
Longinus frater Zenonis Imperat. 125.
Lotharius V. Rex Galliæ. 194.
Lotharius Italiæ Rex. ibid.
Luca Sabellius. 323.
L. Vitellius Præfectus Syriæ. 31.
Ludouicus Balbus VI. Germanorum Imperator. 187.

Digitized by Google

*Ludouicus Bauarus XXXV. Germanorum Imperator.*244.271.
*Ludouicus Borbonius Princeps Condaus.*336.341.
*Ludouicus Comes Flandriæ.*270.278.
*Ludouicus Comes Noſſouius.*340.
Ludouicus Comes Palatinus. 245.
*Ludouicus Helfeſtein Comes.*324.
Ludouicus Hungariæ & Bohemiæ Rex. pag.326.
*Ludouicus Galliæ Rex.*193. 194. 200.
*Ludouicus Iuſtus Galliæ Rex.*357.
Ludouicus Lucenburgenſis Comeſtabilis Regis Galliæ. 357.
*Ludouicus Landgrauius.*210.
*Ludouicus Rex Germaniæ.*183.
*Luitprandus Anſprandi filius.*169.

M

*Mæonius Tyrannus.*71.
Maclianus Britannorum Comes. pag. 142.
*Macrianus Tyrannus.*73.
Mahumethes II. Turcarum Rex. IX. pag.295. 299.
Mahumethes III. Turcarum Rex XIV. pag. 351.
*Mahumethes Baſſa Carahemidanus.*349.
*Mahumethes Cherei Tartarorum Precopenſium Chamus.*348.
*Mahumethes Hodabendes Rex Perſarum.*343.
*Mahumethes Michaelis filius.*303.
*Maimon Amiras Saracenorum.*180.
*Magnentius Pſeudo-Imperator & Tyrannus.*89.
*Magnus Dux Brunſuicenſis.*274.
*Magnus Dux Moſcouiæ.*364.376.
*Maioranus militiæ magiſter.*115.
*Mamaluci.*225.
*Mamercus Scaurus.*12.
*Manfredus Friderici II. Imp. filius nothus.*252.253.
Maniaces. 207.
Manuelis Orientis Imperator. 222.
Marcomanni. 94.
*Marcomirus Francorum Rex.*11.
Marcus Imperator in Britannia. 103.
*Marcus Antonius Baſſianus Varius Heliogabalus XXIV. Rom. Imp.*52.
*M. Antonius Gordianus XXIX. Romanorum Imperat.*59.
*Marcus Antonius Bragadenus.*341.
*Marcus Antonius Columna.*322.
*Marcus Aurelius Antonius XVII. Romanorum. Imperat.*38.
*M. Aurelius Carus XXXIX. Romanorum Imperat.*81.
*Marcus Aurelius Claudius XXXV. Romanorum. Imp.*75.
M. Aurelius Maxentius Tyrannus. 84.
*M. Aurelius Probus XXXVIII. Romanorum Imperat.*79.
*M. Claudius Tacitus XXXVII. Romanor. Imp.*78.
*M. Iulius Philippus Arabs. XXX. Romanorum Imperat.*61.
*Marcus Saluius Otho VIII. Romanor. Imperat.*30.
Margarita Comitiſſa Hennebergenſis. pag.251.
*Margarita mater Conradini.*255.
Margarita Valeſia Regina Nauarræ. pag. 342.
*Maria Comitiſſa Palatina.*245.
*Maria Maximiliani Imperatoris coniux.*308.
*Maria Scotiæ Regina.*338.
*Marina Imperatrix.*175.
Marinus Dux Honorij. 104.
*Marius Tyrannus.*68.
*Martinus Arragoniæ Rex.*280.
*Maruuan Dux Saracenorum.*172.
Maſdras

Maſdras Sueuorum in Hiſpania Rex. pag.115.
Mauritius Chartularius in Italia.158.
Mauritius Elector Saxoniæ.332.
Mauritius Cappadox LXI. Romanor. Imperator.148.
Maximus in Hiſpania Imperator.106.
Maximus iunior Tyrannus.85.
Maximus Pupienus XXVIII. Romanorum Imperator.58.
Maximus Tyrannus. 98.
Matthias Rex Hungariæ.310.
Mechtildis filia Henrici Ducis Brabantiæ.251.
Medarſes filius Heraclij Imperatoris. pag.155.
Mercurius Albanenſis Venetorum Dux pag.323.
Merouens Chilperici Regis Francorum filius.143.
Metuchal Amiras in Baldach.184.
Mezentius.162.
Mezeſceles.101.
Michael Balbus Dux. 180.
Michael Bulgariæ Deſpota.266.
Michael Burzes.196.
Michael Tertius Imperator Orientis. pag.185.
Michael Calaphates Imperator Orientis.205.
Michael Pſellus.212.
Milcolumbus Scotiæ Rex.215.
Milo Comes.192.
Mineruina Conſtantini vxor.87.
Mithridates Armeniæ Rex.20.
Mneſter. 22.
Mneſteus. 78.
Momyllus Auguſtus.121.
Moſes Zecleorum Dux.353.
Muhamed Cham.258.260.
Muhelius Mahumethes.346.
Mundus Dux militiæ in Dalmatia.133.
Marzulfus. 234.
Muſa Zelebis VI. Turcarum Rex. pag. 284.
Muſtapha Baſſa Budenſis. 347.
Muſtapha filius Solymani Imperatoris. pag.288. 333.
Mutius Attendolus.288.
Mutnazar Amiras in Baldach.184.

N

Nadaſtes Comes.362.
Narciſſus libertus.22.
Narſetes Iuſtiniani Eunuchus. 136. 137. 152.
Nazaleod Rex Britannorum.127.
Nepotianus Conſtantini ex ſorore nepos. 89.
Nicephorus Græcorum in Oriente Imperator.177.
Nicephorus Phocas Orientis Imperator.195.
Niceta. 177.
Niger. 45.
Nicolaus Serinius Comes. 337.
Noradinus Turcarum Princeps.222.
Numerianus. 81.

O

Octauia vxor Rubellij Plauti.26.
Octauianus Cæſar Auguſtus.6.
Octauianus Comes Mansfeldius.350.
Octauius Sagitta Tribunus plebis.24.
Odenatus Palmyrenorum Rex. 71.
Odo Epiſcopus.188.
Odo Rex Burgundiæ.205.
Odoacer Herulorum Rex.121.124.
Offa Merciorum Rex in Anglia.173.
Olaus Rex Noruergianorum.202.
Oldradus Lamponianus.290.
Omar Saracenorum Rex.158.

Ongle-

Onglesius.363.
Opilius Macrinus XXIII. Romanorum Imperator.50.
Orcanes Turcarum Rex II.270.
Orcanes filius Solymani I.284.
Oreſtes Gothus Imperator.121.
Oriſchius Rex Northumbrorum in Anglia.157.
Orphanotrophus.205.
Oſmanes Baſſa Dux.349.
Oſmanus Turcarum Imperator.360.
Oſredus Nothumbriæ Rex in Anglia. pag.175.
Oſuinus Merciorum Rex.159.
Oſuualdus Rex Northumbriæ. 158. 173.
Othman Dux Saracenorum.157.159.
Otho Secundus Occidentis Imperator XIII.198.
Otho Tertius Germanorum Imperator XIV. 200.
Otho Quartus Dux Saxoniæ.238.
Otho Morauiæ Dux. 218.
Otho Tertius Parmæ Dux.289.
Ottocarus Rex Bohemiæ.258.

P.

PÆdanius Secundus Romæ Præfectus. 25.
Pala Conſul.37.
Pandulphus Malateſta.314.
Penda Rex Merciorum.156.159.
Periaconcona Iſmaelis Regis Perſarum ſoror.343.
Perozes Perſarum Rex.120.
Petron.us Maximus Senator. 111.
Petrus Aloyſius Farneſius Dux Placentiæ, & Parmæ.331.
Petrus Antiſiodorenſis Imperat. Conſtantinopolitanus.240.
Petrus Arragoniæ Rex.215.239.
Petrus Arragonius Siciliæ Rex. 259. 260.
Petrus Caſtellæ Rex. 273.
Petrus Hungarorum Rex.208.
Petrus Mauritij Imperatoris frater. pag. 151.
Petrus Strozius. 334.
Petza Theodorici Italiæ Regis Dux. pag.126.
Pharaſmanes Iberiæ Rex. 20.
Philippicus Imperator.169.
Philippicus Bardanes LXXI. Romanorum Imperator.170.
Philippus Aſiæ Laudgrauius.360.
Philippus Tertius iunior Francorum Rex.219.
Philippus Quartus cognomento Pulcher Rex Galliæ.266.
Philippus Rex Galliæ.260.
Philippus Mommorencius Comes Hornanus.341.
Philippus Sueuus XXIV. Germanorum Imperat.237.
Phocas LXII.Romanorum Imp.153.
Pigmentellius Princeps Beneuentanus. pag.315.
Pilatus 18.
Pipinus Maiordomus Franciæ.164.
Pipinus Neuſtriæ Comes.173.
Piſo Prætor in Hiſpania.8.11.
Piſo Tyrannus.72.
Plancina vxor Piſonis.9.11.
Plautianus Afer.46.
Plintha Comes.105.
Primislaus Rex Poloniæ.261.
Priſcus Dux gener Phocæ.Imp.153.
Procopius cognatus Iuliani Apoſtatæ. pag.93.
Publius Ælius.42.
P. Licinius Gallienus XXXIV. Romanorum Imperat.65.
Publius Licinius Valerianus XXXIII

Rom̃anorum Imperator. 64.
Pompeia Macrina. 10.
Pomponius Labeo. 12.
Pontius Comes Tripolitanus. 219.
Pontus de la Gardia. 348.
Popielus Princeps Polonorum. 183.
Poppæa Sabina vxor Neronis. 24. 27.
Poſthumus Agrippa. 13.
Poſthumus Tyrannus. 67.

Q

QVadi & Marcomanni. 94.
Quietus Tyrannus. 70.
Quintillus frater Claudij Imperator. 75.

R

RAbdonas Rex Friſonum. 170.
Radagauſius Rex Gothorum. 103.
Raginfredus. 180.
Ranimirus Arragoniæ Rex. 204.
Ranimirus III. Legionum Rex. 195.
Ranulphus Aquitaniæ Dux. 186.
Raphael Riarius. 306.
Raſimundus Rex Sarmatarum. 86.
Ratherius Sicambrorum Rex. 24.
Raymundus Comes Tripolitanus. 219.
Raymundus Princeps Antiochiæ. 222.
Recimer militiæ magiſter. 114. 117.
Reſtiarius Sueuorum Rex. 115.
Regellianus Tyrannus. 69.
Reginbertus. 161.
Reinchildis Baichlingia. 201.
Richardus Angliæ Rex. 229. 233.
Richardus Comes Cornubiæ XXIX. Germanor. Imperat. 256.
Richardus Eboracenſis. 301.
Richildis. 187.
Rinimirus Arragoniæ Rex. 211.
Robanaus Dux in Gallia. 362.
Robertus Andiæ Dux. 186.
Robertus Bruſſius Scotorum Rex. 264.
Robertus Rex Francorum. 191.
Robertus Flandriæ Comes. 254.
Robertus Flandriæ Dux. 217.
Robertus frater D. Ludouici IX. Regis Galliæ. 248.
Robertus Sanſeuerinus Comes Calatiæ. pag. 309.
Robertus Siciliæ Rex. 272.
Rodoaldus Rex Longobardorum. 159.
Rodelinda. 161.
Roegaudus Dux Foroliuij. 175.
Rogerius Mortimerius. 266.
Rogerius Princeps Antiochiæ in Syria. pag. 217.
Romanus Argyrus Orientis Imperator. pag. 203.
Romanus Diogenes Orientis Imperator. pag. 211.
Romilda coniux Chagani Regis Auarum. 148.
Roſimunda Longobardorũ Regina. 140.
Rubellius Plautus. 26.
Rudolphus Chriſtianus Comes Friſiæ Orientalis. 360.
Rudolphus Dux & Elector Saxoniæ. pag. 287.
Rudolphus Dux Lotharingius. 270.
Rudolphus Saxoniæ Dux. 278.
Rudolphus Sueuorum Dux. 213.
Rufinus. 101.

S

SAbbatius Imperator deſignatus. 182
Saladinus Sultanus Ægypti. 225.
Salim Dux Saracenorum in Ægypto. pag. 173.
Salomon Præfectus Africæ. 136.
Sancia Campana. 269.
Sanctius Arragoniæ Rex. 211. 215.

San-

Sanctius Maior Caſtellæ Rex. 204.
Sanctius Rex in Hiſpania. 213.
Sanctius Legionum Rex. 195.
Sanctius Suprarbienſis Rex in Hiſpania. 183.
Sanguinus Turcarum Princeps. 222.
Saphar Sultanus Ægypti. 224.
Sapores Rex Perſarum. 94.
Sarbara Dux militiæ. 156.
Satilia Meſſalina. 27.
Saturninus Comes. 106.
Saturninus Tyrannus. 72.
Sebaſtianus Portugalliæ Rex. 344.
Sebaſtianus Tyrannus. 106.
Sedeckia Iudæus. 187.
Seianus. 10.
Selymus I. Turcarum Rex XI. 319.
Sempronius Gracchus. 13.
Seneca. 26.
Septimius Seuerus Pertinax XXI. Romanorum Imperator. 47.
Seraph Sultanus Babyloniæ. 261.
Sergius Galba VII. Romanor. Imp. 29.
Serinus Comes. 362.
Seruianus Dux in Armenia. 38.
Seuerianus. 37.
Seuerus. 45.
Seuerus Auguſtus. 117.
Seuerus ſocer Guntheramni Regis. 145.
Sex. Marius. 10.
Sextius Paconianus. 12.
Sigebertus Rex Angliæ. 159.
Sigebertus Francorum Rex. 141.
Sigibrandus Anſprandi filius. 169.
Sigifridus. 180.
Sigiſmundus Auſtriacus.
Sigiſmundus Rex Francorum. 130.
Sigiſmundus Hungariæ Rex. 281.
Silanus. 22. 26.
Silanus Princeps Senatus. 16.
Silius. 22.
Silo Princeps Saracenorum. 174.
Sindualdus Brebtorum Rex. 138.
Sobeslaus Dux. 218.
Soleiman filius Orcanis Regis Turcici pag. 272.
Solymanus I. Turcarum Rex V. 283.
Stauratius. 176. 179.
Stephanus Rex Boſniæ. 304.
Stephanus Hagiochriſtophorites. 227.
Stephanus Sebaſtophorus Dux militum. 208.
Stilico. 102. 103.
Sueno Danus filius Regis. 215.
Suenus Danorum Rex. 198.
Suentopolcus Pomeraniæ Dux. 240.
Sultanus Ægypti. 224.
Syluanus Dux. 90.
Syroes Perſarum Rex. 155. 156.

T

Talbotus. 298.
Tamerlanes Rex Tartarorum. 281.
Tatius Gratianus. 12.
Teias vltimus Gothorum Rex in Italia. 136.
Teleſis Bulgarorum Rex. 174.
Tertullus Conſul. 106.
Tetricus iunior Tyrannus. 72.
Tetricus ſenior Tyrannus. ibid. 74.
Thecmaſis Rex Perſarum. 343.
Theodohatus Rex Gothorum in Italia, pag. 131. 133.
Theodobertus Francorum Rex. 127. 135. 148.
Theodebertus filius Chliperici Regis Francorum. 41. 154.
Theodiſclus Rex Gothorum in Hiſpania. 135.
Theodobaldus Francorum Rex. ibid.
Theodomirus Francorum Rex. 90.
Theodoricus III. Hollandiæ Dux. 200.
Theodoricus Comes Hollandiæ. 208.

Theo-

Digitized by Google

Theodoricus Elſatius Comes Flandriæ. pag.218.
Theodoricus Francorum Rex.*154.*
*Theodoricus Gothorum Rex.*107.117.
Theodoricus Sueuorum Rex.115.
Theodorus Baro Battenburgius.341.
Theodorus Cantacuzenus.227.
Theodorus Laſcaris.240.
Theodoſius iunior LI.Romanor. Imperator.107.
Theodoſius filius Leonis Armeni Imperat. 182.
Theodoſius Mauritij Imperat.filius.151
Theodota Imperatrix.176.
Theophania Othonis II.Imperat. vxor. pag.200.
Theudelinda Longobardorum Regina. pag.147.
Theudius Rex Gothorum in Hiſpania. pag.134.
Thimo Marchio.214.
Thomas patruus Richardi Regis Angliæ.280.
Thomas Tyrannus.182.
Thoriſmundus **Gothorum** *in Gallia Rex.110.*
Thraſco Dux Obetritorum Vvandalorum.177.
Thraſybulus Mathematicus.55.
Tiberius Tertius LXX. Romanor.Imp. pag.197.
Tiberius Italiæ Tyrannus.172.
Tiberius Nepos Caligulæ.16.
Tig[illegible]es Rex Armeniæ.12.
T[illegible]nus Sofronius.30.
Tim[illegible]aus Tyrannus.73.
Titus Veſpaſianus XI. Romanorum Imperat.33.
Tommambais Alcairi Sultanus.321.
Tomoreus Colocenſis Archiepiſcopus. pag.326.
Tonantius Ferreolus.118.
Totila Gothorum in Italia Rex.135.
Toto Dux Nepeſinus.174.
Tralizes Comes.268.
Traſemundus Comes Capuanus.160.
Trebellianus Iſauriæ Princeps Tyrannus.73.
Trebellienus Ruffus.12.
Trebonianus Gallus. XXXII. Romanorum Imperat.63.
Triphyllius.178.
Tudunus Cherſonæ Princeps.168.
Turenius Comes & Gallorũ Dux.364.

V

VAiferus Aquitaniæ Dux.173.
Valens.86.
Valens frater Valentiniani.96.
Valens Proconſul AchaiæTyrannus.72
Valentinianus II.99.
Valentinianus Tertius. LII. **Romanorum.***Imperat.111.*
*Valentinianus Magnus XLVII.*Roma*norum Imperat.95.*
Valeria Meſſalina vxor Claudij Tiberij Druſi.21.
Valerius Aſiaticus Conſul.18.20.
Valerius Aurelianus XXXVI. Romanorum Imperator.76.
Valerius Diocletianus XL. Roma*norum Imperat.82.*
Valerius Diocletianus Herculeus XLI. Romanorum.Imp.83.
Valla Scotorum Rex.264.
Vedaſtus Epiſcopus Atrebatenſis.126.
Venda Ducis Poloniæ filia.173.
Veremundus Rex Legionum in Hiſpania.202.205.
Vernerus Abbas Fuldenſis.199.
Veſper Siculus.259.
Vibius Paſſienus ProconſulAfricæ.73.
Vibulenus Agrippa Eques Romanus.12

Victe.

Vittericus Gothorum Rex in Hiſpania. 151.152.
Victoria, ſiue Victorina Tyranna. 74.
*Victorinus Tyrannus.*68.
Victorinus iunior Tyrannus.ibid.
Villerius Rotomag. *Præfectus.*352.
*Vinitianus.*22.
Vitelocius Thiphernas.313.
*Vitiza Rex Hiſpaniarum.*164.
*Vologeſus Parthorum Rex.*38.
*Vortimerus Britannorum Rex.*122.
*Vvalia Gothorum Rex.*105.
*Vvalterus Gallus.*216.
*Vvarochus Macliaui filius.*142.
*Vvelpho Dux Bauariæ.*219.
*Vvenceslaus Dux Bohemiæ.*264.
*Vvenceslaus Dux Lutzelburgenſis.*273
*Vvenceslaus Saxoniæ Dux.*278.
*Vvilhelmus Angliæ Rex.*214.
*Vvilhelmus Comes Flandriæ.*218.
Vvilhelmus Comes Hollandiæ XXVIII Germanorum Imperator. 244.251.
Vvilhelmus Dux Normanniæ. 193. 211.
*Vvilhelmus Grumbachius.*338.
Vvilhelmus Henrici Regis *Angliæ filius.*217.
*Vvilhelmus Princeps Auraicus.*348.
*Vvilhelmus Rufus Rex Angliæ.*216.
*Vvitzanus Dux Abodritorum.*175.
*Vvoldemarus Marchio Brandeburgenſis.*271.

Z

*Zeliobes Rex Hunnorum.*129.
Zenon Iſauricus LV. Romanor. Imperator. 121.123.
*Zenobia vxor Odenati.*74.77.
*Zoes Auguſta.*203.
Zuendeboldus Rex *Lotharingiæ.*189.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google